

Collegij Societatis Jesu Balthardi

ARRIANI

NICOMEDIENSIS DE EPI

cteti philosophi, præceptoris sui, dissertatio-
nibus Libri 1111, saluberrimis, ac philoso-
phica gravitate egregiè conditis, præceptis
atq; sententijs referti, nuncq; primum
in lucem editi:

IACOBO SCHEGGIO MEDI-
co Physico Tubingensi interprete.

ACCESSIT

EPICTETI ENCHIRI-

dion, Angelo Politiano
interprete.

*Græca etiam Latinis adiunximus, ut commodius
ab utriusq; lingue studiosis con-
ferri possint.*

Cum gratia & privilegio Imperiali
ad annos septem.

BASILEAE, PER IO-
annem Oporinum.

1551. mens. Martii.

GENEROSO ET AMPLIS
VIRO, DOMINO IOANNI IACOBO
FUGGERO, Kirchpergæ & Vucissenhorni
domino, consiliario Casareo & Regio,
patrono colendis.

SEBASTIANVS SIGMAR A'
Schlußsberg, Sereniss. Romanorum, &c. Regis
FERDINANDI à Consilij
& Secretis, S. D.



On utar longa præfatione in cõ-
mendando hoc nostro auctore,
aut materia operis. Constat enim
omnibus, atq; etiam mediocriter
eruditis exploratissimũ est, Epi-
ctetum philosophum ueram ac
purissimã Platonis philosophiam
affectatum, ea duntaxat prodi-
disse, quæ ad cultum morum, uitamq; recte ac sancte insti-
tuendam pertinerent: quæ certè philosophiæ pars, humana
uita in primis utilis ac necessaria omnium iudicio existima-
tur. Hac autem omnia *ARRIANVS* noster, ab ipso
Epicteto, ut ipse narrat, & audiuit, ac fidelissimè percepit:
atq; etiam posteritatis memoria hoc suo scripto mandauit.
Rogauit itaque optimum & doctissimum uirum, *IACO-
BUM SCHEKIVM*, ut hunc libellum latina ciuitate do-
naret: qui hoc ipsum sanctè eruditè & bona fide absoluit, atq;
etiam loca difficiliora suis haud contemnendis Commentarijs
a 2 illustrauit.

illustrauit. Quæ omnia mihi, studiosorum ac cõmunis utilitatis causa, in lucem efferre uisum fuit. Sicuti in præsentia *ARRIANVS* noster Græcus, hætenus (quod ego quidem sciam) in Germania nunquam editus, unâ cum uersione latina, & adiectis Scholijs, typis excusus prodit. Tibi uerò, uir Generose, & omni uirtutum genere præstantissime, *ARRIANVM* multis sanè de causis, ac propterea maxime offerre & dedicare uolui: quòd sciam, te non solum omnes meliores literas, ac humanitatis artes ualde amare & colere, in ysdemq; multum ocij & temporis consumere: sed & ipsa studia, omnesq; doctos ac studiosos, quantum quidem in te est, (est autem proculdubio perquàm plurimum in tuis & tui similium adiumentis positum) maxime fouere & complecti. Quo nomine multum profecto laudis & gloriæ tibi, & posteris, non tam iampridem comparasti, quàm etiam in posterum comparare contendis. Atque id quidem recte.

Hæ enim sunt uera animi uirtutes, hæc ipsissima nobilitatis signa, quæ interire nunquam poterunt. Quod equidem hoc nostro seculo non adeo multis accidisse uideo, ut fortunæ bonis, ac nobilitati, uirtutum ac eruditionis uera etiam ornamenta adiungerent: ac pariter ipsa studia, & honestarum artium studiosos iuuant. Quibus te esse conspicuum, & patrem demortuum *RAIMUNDVM FVGGERVM* potius uincere quàm imitari, omnes uident, & fatentur: atq; adeò hoc familiæ tuæ quasi innatum uidetur. De patruo enim tuo, uiro amplissimo, *ANTONIO FVGGERO*, eiusdem quæ uirtutibus, præstat tacere, quàm pauca dicere. Sed de his satis. Cum hæc enim ob causas, tum etiam propter

PRAEFATIO.

pter tua & familie tue in me bene merita, hoc qualecunq;
munus tibi dedico: peroq; abs te sanè diligenter, ut meam ope-
ram equi boniq; facias. Quod ubi à te consecutus fuero, breui,
Deo uolente, & uberiora & maiora dabimus. Bene & feli-
citer uale. Vienna Austria, mense Februario,

ANNO D. M. LIIII.

3 FER-

EXEMPLVM PRIVILEGII.



ERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Hungariae, Bohemiae, &c. Rex semper Augustus, infans Hispaniarum, archidux Austriae, dux Burgundiae, &c. marchio Moraviae, &c. comes Tyrolis, &c. Nostro & Imperij sacri fideli dilecto Ioanni Oporino typographo Basiliensi, gratiam nostram Regiam & omne bonum.

Exposuit nobis humiliter consiliarius & secretarius noster, camerae nostrae Aulicae, Sebastianus Sigmar à Schluslberg, quòd cum Arrianus, authorem Graecum, de dictis Epicteti, in linguam latinam trāsferri curasset, & eundem authorem tibi ad communem studiosorum utilitatem in lingua Graeca unā cum translatione latina typis excudendū tradidisset, te obtulisse quidem id operis imprimēdum suscipere uelle, si nos priuilegio nostro Regio mediante indēnitati tuę consuleremus. Te namq; magnopere uereri, ne postquam operis illius impressiōnem proprijs impenſis faciendam & elaborandam suscepſeris, & in excudendo uel imprimendo illo plurimū & laboris & sumptuum feceris: alij, ut frequenter fieri solet, commodum & fructum, qui inde ad te redire deberet, æmulatione, seu aliqua alia arte sinistra tibi præripiant, adeo' que te magno & graui damno & iactura afficiant. Eam que ob rem idem secretarius noster nobis humilimē supplicauit, ut tibi hac in parte, ne quid detrimēti accipias, per publicum interdictū clementer prouidere dignaremur. Nos itaq; tum honestissimis æquisimisq; hisce precibus, tum singulari quodā rem literariam iuuandi studio inducti, tibi supranominato Ioanni Oporino, tuisq; hæredibus, scienter de Romanae Regiae, & qualiscunq; nobis competentis potestatis plenitudine, hoc priuilegium nostrum concessimus & dedimus, quinimò concedimus & damus per hasce literas nostras,

nostras, quo expressè & firmiter uetamus, inhibemus & interdicimus uniuerſis & ſingulis typographis, impreſſoribus, bibliopolis, inſtitoribus, & quibuſlibet, qui literariam negociationem & mercaturā exercent, in uniuerſis ditionibus, terris, ciuitatibus, municipijs, colonijs, metrocomijs, atq; alijs locis, tam ſacro Romano imperio, quàm cæteris regnis, dominijs, & prouincijs noſtris mediatè uel immediatè ſubiectis, ne quis eorum prædictum opus per continuum ſeptennium, ab eo die quo prædicti operis impreſſio per te Oporinū absoluta fuerit, computandum, in eadem uel alia forma, iſdem uel characteribus recudere, imprimere, aut alibi impreſſum importare, uendere, diſtrahere, publicè uel occultè, aut quouis alio quaſito colore audeat, ſeu præſumat. Si quis autem ſpreto uel neglecto hoc interdicto noſtro, id facere auſus fuerit, is nouerit ſe, præter librorum impreſſorum ſeu aduectorum amiſſionem (quos tu Oporine, tui uel hæredes, uel mandatū à uobis habentes, ubicunq; inuētos, auxilio magiſtratus loci, aut ueſtra etiā auctoritate, apprehendere, uobisq; uendicare poteritis) ipſo facto, pœnam quoq; grauiffimæ indignationis noſtræ, necnon mulctam decem marcharum auri puri incurſurum eſſe, fiſco noſtro Regio, & tibi Oporino uel tuis hæredibus ex æquo irremiſſibiliter pendendā, toties quoties contra factum fuerit. Mandantes proinde uniuerſis ac ſingulis noſtris, & ſacri Romani imperij Electoribus, principib. eccleſiaſticis & ſecularibus, magiſtratib. officialibus, cōmunitatibus, & alijs ſubditis, cuiuſcunq; dignitatis, præeminentię, ordinis ſeu conditionis extiterint, ut tibi antedicto Oporino, uel tuis hæredibus, aut miniſtris ueſtris, ſeu mandatū à uobis habentibus, ſub eiſdem grauibus indignationis noſtræ, ac decem marcharum auri puri pœnis, cuius quidem pecuniariæ pœnæ medietatem fiſco noſtro inferēdam, reſiduum uerò tibi ſæpedito Oporino aut hæredibus tuis numerandum
ad

ad præsens decernimus, in exequendis præmissis, abs te
uel illis requisiti, omnem fauorem & auxilium præstent,
& præstandum curent, & secus minime faciant, quate-
nus prædictas poenas euitare uoluerint. In cuius rei
euidens testimoniū præsentis literas manus nostræ sub-
scriptione, ac sigilli nostri impressione corroborauimus.
Datum in ciuitate nostra Vienna, die uigesimaquin-
ta mensis Augusti: Anno Domini millesimo, quingen-
tesimo, quinquagesimo tertio: Regnorum nostrorum,
Romani uigesimo tertio, aliorum uerò
uigesimo septimo.

F E R D I N A N D V S.

I. Ionas D.
Vicecancellarius.

Ad mandatum sacre
Regiæ Maiesta-
tis proprium.

M. Singkhmoser,

EPICTETI ENCHIRIDION
ANGELO PO-

liniano interprete.

Quæ in nobis sint, quæque non, qualiæque quæque sunt.

CAPVT PRIMVM.



ORVM quæ sunt, partim in nobis est, partim non est. In nobis est opinio, conatus, appetitus, declinatio: & ut uno dicam uerbo, quæcunque nostra sunt opera. Non sunt in nobis, corpus, possessio, gloria, principatus: & uno uerbo, quæcunque nostra opera non sunt. Quæ igitur in nobis sunt, natura sunt libera, nec quæ prohiberi impediri ue possint. Quæ in nobis non sunt, ea imbecilla, serua, & quæ prohiberi possint, atque aliena.

Quid ex eorum quæ nostra, quæque aliena sint, ignorantia notitiaque eueniat. CAP. II.

Si quæ natura sunt libera, serua putabis, & aliena quæ sunt, propria, impedieris, dolebis, turberis, incusabis deos atque homines. Si uero quod tuum est, id solum tuum esse putabis, & alienum quod reuera est alienum, nemo te coget unquam, nemo prohibebit, neminem culpabis, neminem accusabis, inuitus nihil ages, nemo te ledet, inimicum non habebis.

a Quod

Quod aliena omittenda nostra curanda, quodq; utraq; assequi non est. CAP. III.

Si ergo talia expetis, memento non oportere modicè commotum ea attingere, sed partim omnino dimittere, partim in præsentia reñcere, ac primò tui ipsius curam agere. Si autem & hæc ipsa uelis, regnare scilicet, diues esse, & domesticos dirigere: fortasse neq; hæc ipsa consequeris, quia priora quoq; expetis. Illa uerò nullo modo consequeris, quæ sola homini felicitatem pariūt.

Quo nos pacto in aspera quauis imaginatione gerere oporteat. CAP. IIII.

Continuò igitur in quauis aspera imaginatione disce considerare, imaginationem esse illam, neq; id omnino esse quod uidetur. Deinde scrutare id, & examina his regulis, quas habes. Primæq; hæc, & maximè, utrum circa ea sit quæ sunt in nobis, an quæ non sunt. Quod si circa aliquod eorum sit quæ in nobis non sunt, promptu hoc esto, Nihil ad me.

Quomodo tractanda sunt, quæ in nobis sunt.

CAP. V.

Memento appetitus promissionē esse, ut consequaris, quod appetis: declinationis autem promissionem, ut in id non incidas, quod declines. Qui ergo appetitus promissione excidit, infortunatus est: qui autem in id quod declinat, incidit, malè est fortunatus. Si ergo sola declines, quæ præter eorum naturam sunt, quæ in te sunt, nunquam

nunquam in id incidēs, quod declinabis. Morbum autē si declines, aut mortem, aut paupertatem, malè fortunatus eris. Aufer igitur declinationē ab omnibus quæ non sunt in nobis, eamq; transfer in ea quæ præter eorum naturā sunt quæ in nobis sunt. Appetitum uerò penitus in præsentia aufer. Si enim appetis quæ in nobis non sunt, ab aliquo eorū excidas necesse est: quantū uerò eorū quæ sunt in nobis appetere expediat, nondū tibi cōstat. Solo animi conatu aut auocatione utere leuiter, & cū supputatione, & remissione.

Quomodo tractanda quæ in nobis non sunt.

CAP. VI.

In unoquoq; eorum quæ aut delectant, aut utilitatem præbent, aut diliguntur, memento considerare, quale id quidq; est: incipiens à minimis. Si ollam diligis, dic, ollam diligo. ea enim fracta, nō perturbaberis. Si filium tuum amas, aut uxorem, dic te hominem diligere: mortuo enim, non perturbaberis.

Quomodo preparari in actionibus oporteat, ut perturbatione uscemur, ac primò per meditationem.

CAP. VII.

Cum rem quampiam aggressurus es, redige tibi in memoriam, qualis nam ea res sit. Si lorum abis, propone tibi quæcunq; in balneo fiunt, irroranteis, inquietos, conuicianteis, furanteis: atque ita tutius rem aggredieris. si autem continuo dices, Lauari uolo, propositūq; meū, quod

a 2 secundum

secundum naturam est, seruare, & in quacūq; re similiter: non peccabis. Hoc enim pacto, si quid inter lauandum impedimenti accadat, in promptu hoc tibi erit: Non hoc uolebam solum, sed & meum propositum, quod est secundum naturā, seruare. Non seruabo autem, si modestè feram, quæ fiunt.

De perturbatione declinanda, per eorum naturæ considerationem, quæ nos perturbant. CAP. VIII.

Perturbant homines non res ipsæ, sed rerum opiniones. ut mors nihil terribile, alioquin & Socrati uisa foret: sed quia opinio de morte terribilis, ideo illa terribilis. Igitur cum aut impediamur, aut perturbemur, aut doleamus, nunquam alium accusamus, sed nos ipsos: hoc est, opiniones nostras.

Ratio superioris præcepti, triplicisq; hominum gradus assignatio. CAP. IX.

Ineruditi est, alios culpare, cum quid malè agat. Eius qui iam cœpit erudiri, seipsum: Eruditi, neq; alium, neq; seipsum.

Quomodo tractanda, quæ de externis uidentur eligenda CAP. X.

Ob nullam alienam excellentiam te efferas. Si equus superbiens dicat, Pulcher sum, ferendum esset. Tu uerò, cum dicis superbiens, Pulchrum habeo equum: memento, te ob pulchrū equū superbire. Quid ergo est tuū, præter usum imaginationum? Ergo cum in usu opinionū secundū naturam

naturam te habebis, tum uerò superbias: ob ali-
quod enim tuum bonum superbies.

*Quæ nobis ex externis concedantur, quoq; ijs pacto sit uten-
dum, per similitudinem. CAP. XI.*

Quemadmodum in nauigatione, ubi in por-
tum est uentum, si exeas aquatum, incidit ut co-
chleas in itinere, aut bulbulos colligas: animum
tamen ad nauigium intentum habere conuenit,
& sæpe respicere, an gubernator uocet: & si uo-
cet, omnia illa abijcere, ne uinctus eò conijciaris
instar pecudū. Sic in uita, si pro bulbulo, aut co-
chleola, uxorcula nobis, aut filioli præbeatur,
nihil sit prohibendum: si autem gubernator uo-
cet, curre ad nauigium, relinquens hæc, neq; re-
spiciens. si autem sis senex, nunquam procul à na-
uigio discede, ne fortè uocatus desis, inq; id uin-
ctus conijciaris. Qui enim uolens non sequitur,
necessitate hoc patietur.

*Quo pacto sine perturbatione, & noxia, externis acquiesce-
re possimus. CAP. XII.*

Ne uelis quæ fiunt, fieri ut uelis: sed uelis quæ
fiunt, ut fiunt, & prospereris. Morbus corporis
est impedimentum: propositi uerò minimè, nisi
ipsum uelit. Claudicatio cruris impedimentum
est, propositi uerò minimè. Atq; hoc in quocun-
que incidentiū considera. Inueniesq; id alteri-
us esse impedimentum, non tuum.

*Quod impossibilia non sunt, quæ præcipiuntur, quando uires
animo aduersus omnia insunt. CAP. XIII.*

In quocunq; incidentiū, memento tecum ipse
a 3 quarere,

quærere, quam tu uim habeas ad eius usum. Si malum habeas, uim bonam inuenies, ut ad uoluptates continentiam. Si labor offeratur, inuenies robur: si conuiciũ, patientiã. Atq; hoc pacto assuetus, ab imaginationibus non perturbaberis.

Quales præbere nos oporteat, cum externa amittamus.

CAP. XIII.

Nunquam in re quapiam dicas, Perdidisti hoc, sed reddidi. Puer obiit, redditus est. Ager ereptus, nõne & hic redditus est? Sed malus est uir, qui abstulit. Quid ad te, per quem repetierit, qui dedit? Quousq; autem tibi præbeantur, uelut alienorum curam habe: ut hospitij uiatores.

Responsio ad obiecta, quæ de superiori præcepto emergunt: ac regula, quæ talia eligentes, ab ærumnis non exerceamur. CAP. XV.

Si proficere uis, dimitte has considerationes: Si rem meam neglexero, nutrimentis carebo: Nisi puerum puniam, malus erit. Præstat enim fame obire sine dolore & metu, quàm in affluentia uiuere cum perturbatione. Præstat & puerũ malum esse, quàm te infelicem dominari. Igitur à minimis incipias oportet. Effusum est oleum, ablatum uinum: considera, tanti abs te emi quietem, securitatemq; animi. Gratis autem nihil acquiritur. Si autem uoces puerum, cogita posse illum non audire, aut audientem nihil eorum agere quæ uelis. Sed non tanti is est, ut propter eum tute perturberis.

Si

Contra uulgi de nobis existimationem. CAP. XVI.

Si proficere uis, ne molestè feras, si propter ea quæ extrinsecus sunt, demēs aut stultus uidearis.

Aduersus inanem gloriam. CAP. XVII.

Ne uelis rei cuiusquā gnarus uideri. Et si quibus esse aliquis uideare, ne crede tibi ipsi. Scis enim, non facile esse, & propositum tuum secundum naturam seruare, & ijs qui sint extrinsecus placere: sed necesse est, ut qui alterum curet, alterum negligat.

Quibus studendum sit, quibus non sit. CAP. XVIII.

Si uelis liberos, uxoremquæ tuam, & amicos uiuere, stultus es. Quæ enim in te non sunt, uis in te esse: & quæ aliena, tua. Atque ita si puerum peccare non uis, stultus es: uis enim, ut uicium non sit uicium. Si autem uelis, appetens aliquid, eo non excidere, hoc potes: hoc igitur exercere potes.

Quæ nos seruos faciant, quæ uel liberos.

CAP. XIX.

Dominus cuiusquæ estis, qui quæ ille uult, aut nō uult, potest aut dare, aut auferre. Qui ergo liber esse uult, nequæ uelit quicquam, nequæ fugiat eorum quæ sunt in alijs. alioquin, ut seruiat necesse est.

Regula electionis presentium, præteritorum & futurorum, per similitudinem. CAP. XX.

Memento, oportere te in conuiuio uersari: in quo si fercula ad te perueniūt, extenta manu modestè carpe: si transit qui fert, ne eū detine: si non dum

dum peruenit, ne procul appetitum extende: sed expecta, dum ad te ueniat. Sic erga filios, sic erga uxorem, sic erga principatus, sic erga diuitias: erisq; aliquando dignus deorum conuiuio. Si uero quæ apposita fuerint, non capies, sed contemnes: tunc uerò non modò deorum conuiua, sed collega eris. Id enim cum facerent Diogenes & Heraclitus, atque his similes, meritò & diuini erant, & uocabantur.

Quo pacto imaginationi moderandum, circa ea quæ fugienda uidentur. CAP. XXI.

Cum flentem uideas in luctu, quia eius filius aut peregrè absit, aut obierit, aut bona dilapidauerit, caue ne te imaginatio corripiat, tanquam in malis sit ille, cum sit in externis. Sed statim in promptu habeto: Non hunc casus hic torquet, quia alium non torquet, sed opinio, quantum igitur ad sermonem pertinet, uersare audacter cum illo: quinimò & si inciderit, simul geme. Caue tamen, ne & intrinsecus gemas.

Quid ad nos attineat, quid uic supra nos sit, optissima similitudine. CAP. XXII.

Memento actorem te esse fabulæ, quamcunq; is uelit, qui docet: si breuem, breuis: si longā, longæ. Si mendicū agere te uelit, & tunc ingeniose age: si claudum, si principem, si priuatum. ad te enim pertinet, datam tibi personam bene agere: eligere, ad alium.

Quo

*Quo pacto & in diuersorum expectatione imaginationi
moderandum sit. CAP. XXIII.*

Si coruus aduersum crocitabit, ne te imaginatio corripiat: sed statim tecū ipse diiudica & dic, Nihil mihi hæc significant, sed uel corpori meo, uel gloriolæ, uel natis, uel uxori. Mihi uerò omnia prospera significāt, si uoluero: qcquid enim horum incidat, in me est, ut ex ijs utilitatē capiā.

Causa superioris sensus, & quasi conclusio. CAP. XXIII.

Inuictus esse poteris, si in nullū certamen descendes: quod ut uincas, in te non est.

Que uia ad libertatem expeditissima sit. CAP. XXV.

Vide ne quenquam, quem tu aut honore, aut potentia, aut fama præstantem uideas, beatū dicas: ab imaginatione uidelicet correptus. Nam si substantia boni in ijs est quæ sunt in nobis, ibi neque inuidia neq; æmulatio locum habet. Tu autem non imperator, aut consul esse uis, sed liber. Vna autem uia ad hoc est, contemptus eorum quæ in nobis non sunt.

Solutio eorum quæ superioribus obſtare uidentur. CAP. XXVI.

Memento, non qui conuiciatur, aut uerberat, iniuriam facere: sed opinionem de hoc, uelut iniuriam facere. Cum te igitur quis irritet, tua te opinione scito irritari. Quamobrem à principio enitere, ne te imaginatio corripiat: si enim semel per aliquod tempus eam continebis, facilius tui ipsius compos eris. Mors & exilium, & omnia quæ terribilia uidentur, ante oculos tibi con-

b tinuò *

* voir la page 10 au verso de la page 13 qui se trouve après la page 15.

quentia, atq; ita rem aggredere. Oportet bene se
se instituere, necessarijs uesci, abstinere cōdimen-
tis, exerceri ad necessitatem, ad præscriptam ho-
ram, in æstu, in frigore, frigidam non bibere, nō
uinum, si ita ferat res: totum te deniq; præfecto
ipsi ceu medico tradere: tum in certamen prodi-
re. Et interdum manum uulnerari, talum distor-
queri, multam aphen deglutire, interdum uerò
& flagellari, postq; hæc omnia superari. His ani-
maduersis, si adhuc uis, abi certatum: sin minus,
instar puerorum deges, qui nunc palæstritæ lu-
dunt, nunc gladiatores, nunc tuba canunt, mox
tragædum agunt: ita & tu nunc athleta, nūc gla-
diator, nunc orator, nunc philosophus: toto ue-
rò animo nihil, sed uelut simius, quicquid cernis,
imitaris, aliudq; ex alio tibi placet. nō enim cum
animaduersione rem aggressus es, neq; circum-
spectans: sed temerè, & per frigidam cupiditatē.
Sic nonnulli, cum philosophum intuentur, aut
cum à quopiam audiunt, Bene Socrates dicit, &
qui potest dicere ut ille: uolunt & ipsi statim phi-
losophari. Homo considera primò, quæ nam, aut
qualis sit ea res quam aggredieris. Deinde naturā
tuam consule, utrum id tolerare possis. Vis esse
luctator, aut pentathlus: aspice brachia tua, aspi-
ce lumbos, aspice femora. aliud enim alijs aptū
rebus natura parens largita est. An te censes hu-
iusmodi rebus studentē, eodem modo uesci pos-
se, eodem modo potū sumere, eodem modo ira-
sci,

sci, eodem modo morere. Vigilare oportet, laborare, discedere à proprijs bonis, à pueris contemni, derideri ab omnibus, uniuerſis in rebus minus auctoritatis habere, in honore, in magistratu, in iudicio, in cæteris omnibus. Hęc in quã omnia considera: & utrum pro his indolentiam, libertatem, quietem malis, animaduerte. quod ni malis, caue ea aggrediaris, ne instar puerorum modò philosophus, modò publicanus, paulo post rhetor, postremò Cæsaris procurator fias. Hęc inuicem nequaquã conueniunt. Illud oportet, hominem esse te, uel bonum uel malum: aut ad interiora te uertas necesse est, aut ad exteriora: uel philosophi locum teneas, uel idiotæ.

Quod officia à natura ducuntur, quodq; ut sese quisq; aduersus quempiam habeat, considerantur: tum de officijs erga homines. CAP. XXXV.

Officia habitibus pēsantur. Pater appellatur: curandus est, cedendū ei in omnibus, ferendus cum aut obiurgat, aut uerberat. Sed malus pater est. At natura te non bono patri, sed patri conciliauit. Frater iniurius est: uide quo tu loco sis, nō quid ille faciat. Propositum tibi est, ut secundum naturam tu facias. Nemo enim te lædit, nisi uolentem. Tum læsus eris, cum te lædi opinaberis. Sic ergo à ciue ad ciuem, à uicino ad uicinum, ad imperatorem ab imperatore officium inuenies, si considerare habitus assuesces.

Pietatis x

x. Voir pour la page 16 au verso de la page 11 qui se trouve au second feuillet qui suit la présente.

b-2

Continuatio eorum solutionis, quæ philosophari incipientem impediunt. CAP. XXX.

Præpositus tibi est quispiã in conuiuium, aut in salutatione, aut in cõsilio. Si hæc bona sunt, gaudere te oportet, quia his potitus sit ille: si mala, ne ægrè fer, quia tibi non acciderunt. Memento autem, non posse te hæc solummodo facientem, paria cum cæteris consequi, in ijs quæ in nobis non sunt. Quomodo ergo paria habere potest, alicuius fores non frequentans, cum eo qui frequentat: non deducens, cum deducente: non laudans, cum laudante? Iniustus igitur eris, atq; inexplebilis, si ijs nequaquam relictis, quibus illa emuntur, ea gratis uolueris. Sed quanti emuntur lactu cæ: obolo, si ita contingat. Vt igitur, cū quis obolum præbens accipiat lactucas: tu non præbens, nō accipias: haud minus habere te censes eo, qui accipit, ut enim ille habet lactucas, sic tu obolum non dedisti. Eodem modo hñc euenit. Non uocaris ad cuiusquam conuiuium: non enim quanti conuiuiū emitur, dedisti. Laude id uendit, ministerio uendit. Da igitur, si tibi conducit, quanti emitur. Quod si & illa amittere non uis, & hæc accipere, inexplebilis es, & stolidus. Nihil igitur habes pro cœna, nempe habes, quod nō laudas, quem non uis: quod non ea persers, quæ ad eius limen perferuntur.

Quæ sunt communia etiam ex natura uoluntate.

CAP. XXXI.

Volūtas naturę perpendi ex his potest, in quibus

bus alteri ab alteris non differimus: uelut cum alienus puer fregerit poculum, in promptu statim est, esse id ex ijs quæ fiunt. Scito igitur, cum tuum fuerit fractum, talem te esse oportere, qualis fueris, cum alienum frangeretur. Idem ad maiora quoque trāser. Alienus obiit filius, aut uxor: nemo est, qui non dicat, humanum id esse. Sed cū suus cuiusque obiit, statim, Hei mihi, & me miserum. Oportebat autem meminisse, quid nobis accidat, cum de alijs idem audimus.

Mali naturam in mundo non esse. CAP. XXXII.

Quemadmodum non ideo sagittarij signum figitur, ut non attingatur: sic neque mali natura in mundo fit.

Que putanda sit animi perturbatio: quidue agendum, ne in eam incidamus. CAP. XXXIII.

Si quis tuum corpus imperium habenti traderet, agere ferres: quod autē tu tuam mentem cuius tradis, ut cum tibi conuicia dicuntur, perturbatur illa, & confunditur, non ne te pudet? Quicquid igitur aggressurus es, eius initium primò, tum quid deinceps sequatur, considera: atque ita rem aggrediare. Id si nō feceris, nunquam ipsam promptē aggredieris, nihil eorum cogitans quæ futura sunt. Postmodum uerò cum quædam apparebunt turpia, pudore afficeris.

Efficax considerandi exemplum, quid quoque in re, quam simus aggressuri, accidere possit. CAP. XXXIIII.

Vis Olympia uincere? & ego, per deos: magnificum enim est, sed considera & initia, & conse-

b 3 quentia x

x Voir pour la page 12 au verso de la page 9.

tinuò sunt. maximè uerò omnium mors: nequicquam unquam humile cogitabis, nequicquam cupies nimis.

SECUNDA pars, quæ cum qui iam profecerit, instituit. Eaq; primò dissoluit, quæ philosophari incipientibus occurrunt. CAP. XXVII.

Si philosophiam cupis, præpara te continuò, ut irridearis, ut subsanneris à multis: ut dicant, Repentè nobis philosophus emerfit, & unde nobis hoc supercilium? Tu uerò supercilium quidè ne habe. quæ uerò tibi optima uidentur, ita retine, tanquã sis à Deo in hac acie collocatus. Quòd si persistes in iisdem, & qui te prius deridebant, iisdem postea admirabuntur: si uerò ijs terga dederis, dupla irrisione afficeris.

Quod à seipso ad externos conuersio, philosophi statum destruit. CAP. XXVIII.

Si quando euenerit, ut ad ea quæ extrà sunt, te conuertas, uelisc; cuipiam placere, scito te de statu decidisse. Satis igitur tibi in omnibus sit, philosophum te esse: si autem uideri etiam uis, tibi ipsi uideare, & satis erit.

Solutio emergentium in eius animo cogitationum, qui philosophiam aggrediatur. CAP. XXIX.

Hæ te cogitationes ne crucient, Honore carebo, nequicquam ullus ero. si enim carere honore in malis est, (ut certè est) non potes in malo esse propter aliud, non magis quàm in turpi. Nunquid igitur tuū opus est, principatu potiri, conuiuio accipi? Minimè. Quomodo igitur hoc est, honore carere? quomodo uerò nequicquam ullus

lus eris, quem in ijs solis esse oportet, quæ sunt in te, in quibus tibi ipsi maximè esse licet. Sed amicis prodesse non potero. Quid tu ais prodesse? non habebunt abs te argentum, neque eos ciues Romanos facies? Quis tibi ergo dixit, esse hæc in nobis, & non aliena opera? Quis autē potest dare alteri, quod ipse non habet? Posside igitur, inquit, ut & nos habeamus. Si possum possidere, seruans memet uerecundum, fidum, & magnanimum: ostende uiam, & possidebo. Si uerò æquum ducitis, mea me bona perdere, ut uos, quæ bona non sunt acquiratis: uos ipsi uidete, quàm iniqui sitis, quàmque ingrati. Quod si fidū, uerecundumque amicum argento præponitis, in hoc uos mihi opitulamini: neque ea me agere æquum ducite, quibus hoc perdam. Sed patria, quantum in me erit, adiumento carebit. Rursus, quod tu hoc ais adiumentum? porticus non habebit per te, neque balneas? Quid tum? neque enim calceos habet per cerdonem, neque arma per fabrum? Satis est autem, si suum quisque opus expleat. Quod si ei quempiam alium compares, ciuem fidum & uerecundum, nihilne ei prodes? Vtique. Neque tu igitur inutilis illi eris. Quo igitur ordine in ciuitate ero? Quo poteris: seruans simul te fidum, & uerecundū. Quod si, dum illi prodesse uelis, hæc perdas: quem tu illi usum asferes, qui imprudens, inuidusque euaseris?

b 2

P r a p o s i t u s

* voir pour la page 14 au verso de la page 15 qui se trouve avant la présente.

Pietatis erga deos id maximū esse scito, ut de
 iplis bene sentias, putesq; & eos esse, beneq; ac re
 ctè gubernare. Tum ut ita te compares, parère
 eis, atq; omnibus cedere quæ fiant, neq; inuitum
 sequi, quasi omnia ex optimo cōsilio efficiantur.
 Hoc enim pacto neq; deos unquam culpabis, ne
 que inculabis, quasi neglectus. Id uerò aliter effi
 cere nō potes, nisi ab his te auoces, quæ in nobis
 non sunt: inq; ijs tantum quæ sunt in nobis, bo
 num ac malū ponas. Quod si eorum aliquid bo
 num esse aut malum opineris, necesse est, ut cum
 ea non consequaris quæ uelis, aut in ea incidas
 quæ nolis, conqueraris, atq; oderis eius rei cau
 sam. Omne ad hoc animal natum est, ut quæ no
 xia uidentur, eorumq; causas, fugiant, atq; ab his
 auertantur: utilia uerò, & eorum causas, quærāt,
 atq; admirentur. Non potest igitur, qui se lædi
 putat, eo quod lædere uidetur gaudere: unde &
 ipsa lēione gaudere, impossibile est. Vnde & pa
 tri filius cōuiciatur, cum his quæ bona uidentur,
 filium non impartit. Et Polynicem atq; Eteoclē
 hoc inter se discordare cōpulit, quòd tyrannidē
 bonū esse putabant. Propter hoc agricola conui
 ciatur dñs, propter hoc nauta, propter hoc mer
 cator, propter hoc ipsum quibus aut uxores aut
 liberi interiēre. Vbi enim utilitas, ibi pietas. Quā
 obrem qui ea curat appetere atq; euitare quæ o
 portet, is eo tempore etiam pietatem curat. Liba
 re

re autem & sacrificare secundum patrios mores unumquemque decet, purè, absque lasciuiâ, absque negligentia: non parcè, non supra facultatem.

Qualem se ad diuinationem adhibere, de quibus uatem consulere, quomodo diuinationibus uti oporteat: in quo simul & officium erga deos, & erga nos ipsos existit.

CAP. XXXVII.

Cum ad diuinationem accedis, memento ignorare te, quid sit euenturum: atque ideo uatem adire, ut ex eo id audias. Quale autem quicumque sit, si philosophus es, non ignoras. Si enim ex his est que in nobis non sunt, necessarium profectò est neque bonum id esse, neque malum. Tolle igitur abs te, cum uatem adis, appetitum ac declinationem, aliter enim tremens uatem adibis. Sed cum noris, quicquid euenturum sit, susque deque esse, & nihil ad te, licebit (quodcumque id sit) eo bene uti, neque te quisquam prohibebit: fidens igitur deos tanquam consultos adi. Mox ubi quid tibi consuluerint, memeto quos in consiliu acceperis: quibusque sit obaudire, nisi parueris. De his autem (ut & Socrates dictitabat) consulendus est uates, quorum omnis consideratio relationem ad exitum habet: cuius cognoscendi occasio neque ex ratione nobis, neque ex arte aliqua sit præbita. Quamobrem cum tantum periclitandum tibi fuerit cum amico, aut cum patria, ne consule, an periclitaturus sis. nam si tibi uates dixerit aduersa apparuisse exta, manifestum est, aut mortem significari, aut corporis impedimentum, aut exilium. Sed dictitabit ratio, teque

c confirma-

confirmabit, ut cum amico & patria pericliteris. Maximo igitur uati, hoc est, ipsi Pythio intēde, qui eum de tēplo expulit, qui amico opē non tulerit.

Officia erga nos ipsos, ac de ijs primò quæ ad morum constantiam faciunt, quæ uero eam impediunt: ex sermone in primis ac silentio. CAP. XXXVIII.

Statue tibi ipsi formulam quandam, ac regulam, quam deinceps serues, & cum tecum ipse es, & cum in homines incidis. Silentium sit plurimum. Loquere necessaria, & paucis, & raro: aut quandoque, cum te ad aliquid dicendum tempus uocat, dic quidem, sed non de quauis re: non de gladiatorum pugna, non de cursu equorum, nō de athletis, nō de epulis, uel poculis singulatim: maximè uerò omnium, non de hominibus uituperans, aut laudans, aut cum cæteris iudicans. Si igitur possis, demuta eorum sermones qui tecū sint, in id quod deceat. Quod si inter extraneos te deprensus uideas, tace.

De risu. CAP. XXXIX.

Risus neque multus sit, neque ob multa, neque solutus.

De iurciurando. CAP. XL.

Iusiurandū refuge, si possis, prorsus: si minus, cum licet.

Aduersus cupiditatem, ac primò de conuiujs.

CAP. XLI.

Conuiuia cū extraneis, ac uulgaribus, respue. Quod si quando tempus incidat, intentum habe animum, ne in uulgarium statum defluas. Scias enim,

enim, necessarium esse, qui cum inquinato conflatur, & ipsum inquinari.

De eorum quæ ad corpus pertineant, usu. CAP. XLII.

Quod ad corpus attinet, ad purum usque usum sume: uelut cibum, potum, uestem, domum. Quod autem ad gulam, aut delicias pertinet, penitus circumscribe.

De re uenerea. CAP. XLIII.

Circa rem ueneream quantum in nobis sit, ante nuptias pure agendum est. Quod si cogimur, quæ tamen sunt legitima, assumenda. Ne sis tamen molestus utentibus, neque redargutor: neue sæpius obijce, te non uti.

Aduersus iracundiam, & quales nos erga detractores præbeamus. CAP. XLIII.

Si quis ad te deferat, Ille de te malè dicit: ne excusa quæ dicantur, sed responde, Ignorat ille & alia quæ mihi adsunt mala: alioquin non sola hæc diceret.

De speculatorum cupiditate. CAP. XLV.

Ad theatra sæpe accedere, necessarium non est. Quod si quando tempus incidat, caue ne cuiquam magis studere uidearis, quam tibi. uelis quæ fiunt, ita fieri ut fiunt: & eum tantummodo uincere, qui uictor fuit. Status autem ne sit grauis, sed constans cum quadam lætitia. Egressus spectaculo, multa de iis quæ facta sint, ne disputa, quando ad te corrigendum non faciunt: neque de omnibus sermonibus, qui dicti sint.

c 2 Ad

De disputationum cupiditate. CAP. XLVI.

Ad recitantes ne accede, neque his uel raro intersis, quod si intersis, grauitatem, constantiamque ita serua, ut molestia uaces.

De congressu cum potentioribus. CAP. XLVII.

Congressurus cum aliquo, & eorum praesertim qui potentiores uidentur, praepone tibi, quid in hoc fecisset Socrates, aut Zeno: neque dubitabis, quo te pacto gerere oporteat.

Quomodo preparare nos debeamus potentiores adituri.

CAP. XLVIII.

Cum aditurus quempiam eorum es qui magna possunt, praepone tibi ipsi, fore ut non admittaris intro ad eum, ut excludaris, ut tibi fores non pateant, ut te ille negligat. Tum cogita, an cum ijs eum adire expediat: ubi adieris, fer quae fiunt. Neque tu tecum dicas unquam, Talia non merebar. Vulgare enim est, quae extrinsecus sunt calumniari.

De congressibus cum plurimis. CAP. XLIX.

In congressibus absit, ut de tuis aut operibus, aut periculis nimium atque immodice memineris. Non enim, quemadmodum tibi de tuis periculis meminisse, ita & alijs, quae tibi acciderint, audire est iucundum. Absit etiam, ut risum moueas, est enim res uulgaris, & nescio quo modo ducit ad uilitatem: & haec una uenerationem, qua te prosequantur qui adsint, remittere potest. Nonnunquam uero & in sermonis obscenitatem trahit, quod si quando incidat, tum si res & tempus fert, obscenitate utentem increpa: sin minus, at
saltem

salte taciturnitate & rubore ostende, eum te sermonem ferre iniquo animo.

Quomodo resistendum uoluptati. CAP. L.

Cum uoluptatis cuiuspiam imaginationem capis, quemadmodum in cæteris serua te ipsum, ne ab ea corripiaris: sed excipiat te res ipsa, atque aliquod tute spacium cape. Tum utrunque tempus animo uoluta: & qua uoluptate potieris, & quam potitus poenitentia afficeris, teque ipsum tute increpa. his uero oppone, Quantopere, si abstinueris, gaudebis: teque ipsum tute laudabis. Quod si res postulare uidetur, ut rem aggrediaris: caue ne suis te blandimentis atque illecebris superet. Tum oppone, quam melius sit, huius certaminis uictoriam tibi ipsi conscire.

Agendum bonum propter seipsum, reliquis neglectis, ac primo de iustitia. CAP. LI.

Cum iudicaris faciendam tibi rem, idque facias, ne da operam, quo minus te facientem alij uideant, etiam si aliud quippiam ea de re multi sint opinaturi. Si enim non recte facis, ipsum opus fugiendum est: si recte, ne metue increpaturos non recte. Vt enim hoc, Aut dies, aut nox est, aduersus disiunctum magnam habet dignitatem: aduersus autem coniugatum, indignitatem: sic & maiorem partem eligere, magnam erga corpus dignitatem habet: ad seruandam autem quam in conuiuio communionem oportet, indignitatem habet. Si quando igitur cum aliquo conuiuaris, memento, ne ad eorum que opposita sunt, digni

ratē aduersus corpus aspicias: sed aduersus quoque animum, qualem decet conuiuiam, te serua.

Quod non bonum simpliciter, sed quod nobis faciat, eligendum. CAP. LII.

Si personā induisti supra tuas uires, neq; eam sustines: & quod implere potueras, omisisti.

Quomodo animum uel ab irrationalibus affectibus, uel à suo peruerso iudicio seruemus. CAP. LIII.

Inter deambulandum, quemadmodum caues, ne clauum calces, aut pedem distorqueas: ita caue, ne quod in teipso dominatur, offendas. & hoc si in quauis re seruemus, tutius illam aggrediemur.

De eorum quæ ad corpus pertineant, possessione.

CAP. LIII.

Modus possessionis unicuiq; corpus est, uelut pes calcei. Si in hoc ergo consistas, modū seruabis: si excedas, in præceptis feraris necesse est. uelut in calceo, si supra pedem extendas, fit aureus calceus, deinde purpureus, deinde punctatū dus. Nullus enim terminus est, ubi modum semel excefferis.

De officio & cura erga uxorem. CAP. LV.

Mulierēs statim à xiiij anno dominæ uocantur. His enim uiri ob concubitum blandiuntur. Virorum ergo culpa sibi deinceps nimis placet. Monendę igitur sunt, fore ut apud nos in honore sint, nihil ob aliud, nisi si modestæ sint, & uirum reuereantur.

Degeneris signum, deq; nimio corporis cultu. CAP. LVI.

Degeneris signum est, insistere ijs quæ corporis

ris

ris sunt: ut plurimo exercitio, plurimo corporis cultui. Sed & consensus cuiusdam superuacanei signum est. Quibus enim gaudemus, cum ipsdem consentimus. Oportet igitur nimiam corporis curam, uelut ab re esse arbitrari. Maxime uerò curam eius habere, quod ipso utitur corpore.

Præceptum ad patientiam ac mansuetudinem.

CAP. LVII.

Cum quisquam tibi malefacit, aut dicit, memēto illū suo se officio fungi arbitrantē, facere aut dicere. Esse igitur non potest, ut is quod tibi uidetur, sequatur, sed quod sub ipsi. Quod si male sibi uidetur, ipse læditur, qui & deceptus est. Verum enim coniugatum: si quisquam falsum arbitretur, non coniugatum ipsum læditur, sed qui decipitur. Si ab his igitur mouearis, mitem te aduersus conuiciantem præbebis. Loquere igitur, Sic, in quauis re, ipsi est u sum.

Quod res omnes partim altere alteris consentiunt, partim dissident. CAP. LVIII.

Omnis res duas habet ansas; alteram quæ ferri possit, alteram quæ non possit. Frater si iniurius sit, ne eum inde capias, quod scilicet est iniurius. hæc enim eius ansa est, quæ ferri non possit. Sed inde magis, quod frater est, quod tecū educatus: atq; ita inde eum capias, unde ferri possit.

De seruatorum congruentia. CAP. LIX.

Hi sermones non congruunt: Ego sum ditior te, ego

te, ego igitur melior sum: Ego sapientior te, ego igitur melior te. Hi autem magis congruunt: Ego te ditior sum, mea igitur possessio quam tua melior est: Ego te sapientior, mea igitur oratio quam tua melior. tu uero, neque possessio es, neque oratio.

De iudicio rerum exacto. CAP. LX.

Lauatur quis citò, ne dicas malè eū lauari, sed citò. Bibit quis multum uini, ne dicas malè, sed multum. Nisi enim eius consiliū scias, unde scis an malè? Sic enim accidet, ut aliorum apprehensuas imaginationes accipiamus, alijs autem assentiamus.

Aduersus gloriam atq; ostentationem, & primò circa scientiam. CAP. LXI.

Nullo modo te ipsum dixeris philosophum, neq; multum loquere inter ineruditos de speculationibus: sed fac aliquid ex ipsis speculationibus. ueluti in conuiuio, ne dic quo pacto oporteat comesse, sed comede ut oportet. Memento enim & Socratem undecunq; abstulisse ostentationē. Quòd si de aliqua speculatione sermo inter ineruditos incidat, tace ut plurimum. Magnum enim periculum est euomere, quæ non cōcoxeris. Et cum quis dixerit te nihil scire, idq; te non remordeat, tunc scito initium esse operis. Nam oues, non herbam euomentes, pastoribus ostendunt quantum comederint: sed cibum intus concoquentes, uellera extrà ferunt, & lac. Et

tu

tu igitur ne speculationes ineruditis ostenta: sed ex his concoctis opera.

Aduersus sobrietatis, tolerantieq; ostentationem.

CAP. LXII.

Cū attenuato sis corpusculo, ne tibi ob id place. Neq; si aquam bibas ex quauis occasione, dic, Aquam bibo: sed cogita, quā sint medici abstinentiores nobis, quamq; tolerantiores. Tum quod alia non habeamus bona, quæ alij habent. Quod si exerceri uelis ad laborem ac patientiam, tecum ipse hoc fac: neq; ab externis uideri uelis, ut qui uim patientes à potentioribus, quo populū conuocent, statuas inscendūt, & se uim pati clamāt. Ostentator enim totus extrā uergit, & patientie atq; abstinentie bona destruit, cum eorū finem statuit esse multorum opinionem.

Descriptio triplicis habitus ineruditi philosophi, & proficientis. CAP. LXIII.

Ineruditi status & formula est, nunquam à se ipso expectare utilitatem, aut nocumentum, sed ab externis. Philosophi status est & formula, omnem utilitatem ac nocumentum à seipso expectare. Signum proficientis hoc est: Neminem uituperat, neminem laudat, de nemine queritur, ne minē accusat, nihil de seipso dicit, ceu si sit aliquis, aut aliquid sciat. Cū in re quapiā aut impedit, aut prohibetur, seipsum accusat. Et si quis ipsum laudet, ridet laudantem ipse secum: & si uituperet, non se expurgat. Degit autem instar ualetudina-

d rij,

rii, cauens aliquid eorum quæ sunt in se commouere, priusquam ad soliditatem perueniat. Appetitum omnem in seipso sustulit: declinationem uero in ea tantum quæ sunt contra naturam, eorum uidelicet quæ sunt in nobis, transtulit. Conatu ad omnia remisse utitur. An stultus, an rudis dicatur, minime curat: usque uno explicem uerbo, quasi aduersarium seipsum obseruat, & quasi insidiatorem.

Quod uerba propter opera. CAP. LXIII.

Cum quis ideo gloriatur, quod Chrysippi sententias interpretatur, dicat ipse secum: Nisi obscure Chrysippus scripsisset, nequaquam haberem unde gloriarer. Sed scripsit Chrysippus, non ut quis eum interpretaretur, sed ut secundum se operaretur. Si ergo scriptis utar, tum eorum bonum fuero consecutus: si autem interpretantem admirer, aut etiam ipse interpretari possim, grammaticum, non philosophum admirer, aut agam. Quid autem prodest medicamenta quædam inuenisse descripta, eaque intelligere, atque alijs tradere, ipsummet ægotantem minime eis uti?

Quod in his perseverandum. CAP. LXV.

In proposito perseverandum uelut in lege est. Persta igitur, uelut si hæc transcendas, impius sis futurus. Quod si quis de te dixerit, ne cura, id enim tuum non est.

Quod super sedendum non est, sed quamprimum ad hæc incipendum. CAP. LXVI.

Quod te usque differs, ut iam te aliquando dignum his quæ optima sunt, putes: neque usquam transgre
di

di hæc statuas: quod si diem de die termino adijcias, non proficis, sed deficis. Iam nunc igitur affuesce, ut tanquam perfectus uiuas: omnibusq; quæ accidunt, rectè utaris. Et quacuncq; in re arbitrare propositum tibi certamen, neq; ullum diem negligas: quo enim die non proficis, deficis. Hoc igitur pacto Socrates uirorum omnium sapientissimus euasit. Quod si ipse nondum es Socrates: at uiuere debes, ut qui Socrates uelis esse.

Tres loci in philosophia, eorumq; inter se ordo.

CAP. LXVII.

Primus ac maximè necessarius locus est in philosophia, qui ad usum speculationum pertinet: uelut est, non mentiri. Secundus, qui ad demonstrationes: uelut est, cur mentiri non oporteat. Tertius, qui ad eas confirmandas, & prospiciendas spectat: hoc est, quo pacto, & unde demonstrare id possimus, uerum esse aut falsum. Igitur tertius quidem locus necessarius est ob secundum, secundus ob primum: maximè omnium necessarius, & in quo quiescere oporteat, primus est. Nos uerò contrà facimus, tertio enim loco immoramur, inq; eo omne nostrum studium conterimus.

Tres antiquorum sententiæ in promptu habende. Quarum prima Cleanthis, Euripidis secunda, tertia

Platonis est.

CAP. LXVIII.

Semper hæc in promptu habenda. Primum: Si renitar, malus ergo, gemensq; ac plorans sequar. Secundum: Necessitas omnia fursus uer-

d 2 sus

sus ad diuinam causam ducit uolentia, & inuita,
eam qui lætus sequitur, is uerè est sapiens. Sed &
tertium: O' Criton, si ita dñs placet, ita fiat: Me
uero Anytus & Melitus interimere qui-
dem possunt, lædere autem
non possunt.

ENCHIRIDII EPICTETI

Finis.

ARRIANI²⁹

EPICTETVS, IACOBO

Schekio Medico Physico

interprete.

ARRIANUS LUCIO

Gellio salutem.



EPICTETI sermones nectam accuratè conscripsi, quàm potuissent fortasse perscribi ab alio quopiā: nec eo consilio, ut in lucem ederentur. Etenim quæ ab ipsius ore excipiebā, non exquisita & polita admodū oratione sum complexus, quæ solemus in conscribendis uti commentarijs: sed ad uerbum expressi, quoad eius fieri potuit, ut ipsius sententijs memoria repetere posterius possem, libertatemq; dicēdi exprimere sum conatus. Proinde sunt huiusmodi hæc, qualia disputari pro re nata, atq; explicari quibusq; solēt obuijs familiari colloquio: nō cuiusmodi illa sunt, quæ primū rudius impolitiūsq; scripta, posterius stylo atq; accurata magis oratione limantur. Ac mirari satis quidē non possum, quī factum sit, ut hæc minus elaborata, me nō solum inscio, uerū etiam inuito, in manus peruenerint hominum. Veruntamen ad me quod attinet, nō magnopere sum sollicitus, si parum elegans scriptor uidear. multo minus hæc opinio Epictetum mouebit, fastidians & cōtemnens orationem ipsius: quandoquidē ne differendo quidē captare cuiusquam plausum uidebatur, quum esset in id tantum intentus, ut animos auditorum ad ea quæ ipsis essent optima, incitaret. Quod si id ipsum sint cōsecuta etiam nostra scripta, nō decribit nimirū is fructus,

d 3 qui

qui requirendus in philosophorum est sermonibus: si uerò hanc efficaciam nō habeant, qua legendis his animo quispiam afficiatur, eam nihilominus tantam fuisse in Epicteto lectores existimēt, ut quando cūq; his uteretur ad auditores, quocūq; liberet, animos ipsorū permoueret. Qua sanē uī ac efficacia si scripti sermones careant, ego fortasse in causa ero: aut forsā rerum natura id fert, ut aliter se habere ista nequeant.

De his quæ sunt in potestate nostra, aut non sunt.

C A P V T I.

SI quæ sunt facultates aliæ animæ (excepta ratio cina-
strice) reperietis sanē nullam quæ ipsam sese cōtem-
plari possit. Quocirca nullius erit proprium approbare
quidpiam, uel reprobare in rebus agendis. Nōne
Grammatica aliquousque contemplatrix est, in id nimi-
rum intenta ut cognoscat literas: quin etiā Musica in
id incumbit, ut exploratam habeat rationem sonorum.
Num uerò sic cōparata est quæpiā ex his, ut ipsa sui ipsius
sit cōtemplatrix? Nequaquam. Etenim si necesse sit aut
deceat rescribere socio, quid scribendum, Grammatica
subijciat: utrum uerò sit, nec ne scribendum, Grammati-
ca non indicabit. Haud longē secus res comparata est in
harmonijs Musicis. Veruntamen canendum ne, cytha-
ræq; personandum, an uerò non sit, haudquaquam mo-
nebit. Quæ ergo est facultas animæ de his nos ad mo-
nens? Hæc nimirum, quæ non solum quascūque res
alias, sed ipsa seipsam quoque cognoscit. Quæ nam ue-
rò ea est? Facultas certē ratio cinatrix. Sola enim ipsa se-
metipsam intelligens, apprehendit quid ipsa sit, & quid
possit, & quanti sit precij, si se cæteris facultatibus appli-
carit. Nunquid uerò aliud est, quo definiatur honestum
in auro? Non enim ipsum aurum honestum appellat.
Ergo facultatem utendi sic nominabit: qua iungitur re-
cta scilicet ratio cū * uilis, Aliud uerò num est, quo Mu-
fica,

*provenit
Latini ap-
pellat uisā.*

lica, Grammatica, cæteræq; facultates dijudicantur: an uerò alio quopiam usum æstimamus, & perspicimus occasionem? Certè nihil aliud. Quemadmodum itaque præstantia hominis erat dignum, dii effecerunt, ut nimirum quod rectè uteretur oblati uis, præstaret cæteris, ac principatum in nobis obtineret: reliqua uerò, ut non essent in potestate nostra. Atqui censes ne istud ita euenisse, quia noluerint? Certè, ut mihi quidem uidetur, cætera quoque potestati nostræ subiecissent, siquidem præstare id nobis potuissent: sed non potuere id consensu potentia sua. Etenim in terra degentes, & huiusmodi corpusculo impliciti, & cōmunicatione talium rerū, quā fieri potuit ut ab externis non impediremur rebus?

Sed quæso quid dicit Iupiter nobis, Epictete? Nempe si fieri potuisset, & corpusculū, & possessiunculam tuam liberam & solutam omnibus impedimentis effecissem. Verū ne nescias: Tuum illud non est, cū sit lutum scitè mixtum. Itaq; cū istud ut tuum esset efficere non potuerim, dedi tamen partem tibi quandam à nobis, facultatem nimirum prosequendi & fugiendi, expetendi etiam & declinandi, ac omnino utendi uis. Cuius si curam susceperis, ac in ea collocaris quæ ad te pertinent, nihil sanè tibi impedimento esse poterit. Non equidem hac fretus dolebis, non accusabis, non cuiquam adulaberis. Nunquid parua tibi uidetur hæc esse? Absit. Contentus ergo his esto, ac supplica dijs. Atqui unum istud in potestate nostra cū sit, ut ualeamus studio nostro procurare, atque ex uno illo pendere possimus: satius arbitramur tamen, multarum rerum curis implicari, ac multis rebus alligari, nēpe facultatibus, fratri, amico, seruo. Itaque multis deuincti, ab eisdem prægrauamur, ac deprimimur. Quo circa quum quo minus nauigemus tempestas nos impedit, sedemus solliciti: ac sine intermissione obseruamus, quī nam uentus spiret. Quid quæris de Borea? ecquid nam nobis cum illo commercij intercedit?

dicit: Sed quando Zephyrus flabit? Quum uidelicet ei
 commodum uisum, aut Aeolo fuerit, ô bone uir. Neque
 enim te dispensatorem Deus constituit uentorum, sed
 Aeolum. Quid ergo nobis opus est factor? Nempe ut ea
 quæ nostra sunt in potestate, quàm rectissimè adorne-
 mus: reliquis autem rebus utamur, prout dant sese. Sed
 quo pacto sese dent rogas? Eo nimirum, quo uisum fue-
 rit Deo. Sed fac, necesse mihi esse, ut unus ego capite
 plectar. Num ergo hoc animo eris, ut cupias simul om-
 nes truncari capite, ut ex ea re solatij aliquid capias? An
 uerò abnuis ita porrigere ceruicem, ut ipsam *Laterani*
caedes. porrexerit Romæ, quum supplicio capitali à Nerone affi-
 ceretur? Protenso enim collo, cum ictum accepisset im-
 becillio rem, quàm ut eo caput amputaretur, cū parum-
 per se cōtraxisset, iterum porrexerit ceruicem. Quin etiam
 priusquam extremo afficeretur supplicio, à liberto Ne-
 ronis Epaphrodito de cōiuratione interrogatus, respon-
 dit: Si quid est quod uolo, ipse dicā domino tuo. Quid
 ergo in his meditatū habere calibus oportet? Ecquid nā
 aliud, quàm nosse quid meum, & item quid meum non
 sit: quid mea sit in potestate, & quid non sit. Mori mihi
 necesse est: num etiam ingemiscere? uinculis detineri:
 num etiam eiulare? in exilium pelli: sed quid prohibet,
 quominus & ridens, & hilaris, & magna tranquillitate
 animi solū uertam? Profer arcana. Non proferam: istud
 enim in mea est potestate. At uinciā te. Mihi ne uincula
 iniicies? Vt crura uinculis astringas, arbitrium tamen ni-
 hilominus meum erit, quod ne Iupiter quidem uincere
 potest. In carcerem te conijciā, truncabo te capite. Num
 dixi aliquando tibi, ceruicem meam solam nō posse præ-
 cidi? In his elaborare oportet philosophantes, hæc quo-
Thraseas. tidie commentari, in his exerceri. Sic Thrasea solitus est
 loqui: Malo hodie quàm cras interfici, aut in exilium re-
 legari. At uide quid ei dixerit Rufus: Si, quia alterū gra-
 uius est, magis deprecis, quid stultius hac optione? sin
 quia

quia leuius, quis delectum hunc concessit tibi? Quare non potius in eote exerces, ut sis contentus rebus concessis & oblatiis? Quò cum respiceret Agrippinus, quid quæso dixit? Ego mihi ipsi non uolo esse impedimen-
 to. Denunciatum ei fuit, quòd in senatu accusaretur. Be ne uortat, inquit. Quintus aduenit dies, quo solebat se exercere, & frigida lauare: Eamus, dixit, in palæstram. Luctanti quidam ait: Abi, quoniam damnatus es. Quæsiuit, utrum exilio an morte plecteretur: Exilio, respondit. Sed de bonis quid? Hæc tibi adempta non sunt. Eamus ergo in Ariceam, & isthic prandeamus. Atq; id ipsum est meditari quæ meditanda sunt nobis, nempe prosecutionē, declinationem, comparare item ea quæ impediri non possunt, nec quæ sint casibus incertis obnoxia. Mori mihi necesse est. Si modò oportet, moriar sanè: sin uerò nō multo pōst, prandebo nunc, siquidem tempus illud postulat: ac deinde mortem oppetam. Sed quomodo morieris? Vt par est eum qui ea quæ sua non sunt, sed aliena reddit.

Quo pacto suum decorum seruare quisq; possit in omni re suscipienda. CAP. II.

PArticipi rationis animalī, solum id quod rationi repugnat, intolerabile est: quod uerò ei cōsentaneum est, facile sustinetur. Etenim uerba ac plagæ natura sunt tolerabiles. Sed quo modo? Considera, ut Lacedæmonij uerberibus accipiantur, freti sola disciplina, qua intelligunt rectè id fieri. Suffocari laqueo, ne ipsum quidem tale est ut non possit sustineri, simul enim ut quis didicerit à ratione non abhorre, discedens nō abnuīt suspendi. Quocunq; deniq; animum aduerteris, à nulla re perinde animal premi atq; ab experte rationis natura: ac iterum non aliò pertrahi uehementius, atq; ad id quod rationi consentaneum sit, experiemur. Veruntamen aliud aliq uidetur consentaneum, uel non consen-
 e taneum,

aneum, quemadmodum etiam bonum & malum, utile item & inutile: ut hanc ob causam institutionis ac disciplinæ uel præcipue indigere uideamur, quæ imbuti, quid deceat, quid non, cognoscentes, iudicium illud rebus singulis (in quibus uersamur) quoad consentaneum sit, adhibere queamus. Proinde decentis ac indecentis operis iudicium describitur non modo rerum quæ extra nos sunt, & quibus utimur, momentis, uerum etiam sue personæ respectu quisque id poterat. Videbitur equidem cuiuspiam conuenire ac consentaneum esse, tenere matulam: ei nimium qui eò respiciat, ut si non teneat, plagas metuat, & uictum non habeat: sin autem teneat, nihil patiatur asperum, aut triste. Id ipsum uero alij cuiuspiam tam intolendum uidebitur, ut non solum ipse præbere matulam, sed ne inspicere quidem præbitorē ac ferre possit. Quod si ex me sciscitare, utrum porrigere matulam an non debeas: assentiar equidem tibi, si a te pluris fiat cibum accipere quam non accipere, ac tundi uerberibus maiorem censere esse ignominiam. Quare si talibus opinionibus tuas actiones metiris, abi & præbeto. Attamen consentaneum illud non existimo ego: quare te ipsum ad consilium hoc non etiam me, adhibebis. Tu etenim es, qui te ipsum quanti facias, optimè noris, & quanti te addicere uelis: alij enim pro alijs sese uenditant. Quocirca Agrippinus, secum cogitanti Floro, utrū ad spectacula Neronis ei esset descendendum, & si quid usui esset suppeditandum: autor fuit ut descenderet. sciscitante porro Floro, quare ipse etiam non descenderet: respondit, Quoniam id consilij ego non capio. Nam qui semel in huiusmodi rebus cogitationē suam defixerit, ac in his quæ sunt extra se plurimum momenti opinione & suffragio suo ponit, similis est his qui suā ipsorum faciem obliuiscuntur. Quid, inquiunt, me rogas, mors optabiliusne sit, an uitæ ita sentio, ut uitam putem esse potiorē, nec puto dolorem præstare

Vide Erasmus in pro uerbo: indignus qui matellam porrigat.

*Agrippinus.
Florus.*

prestare uoluptati. At nisi Tragœdis operâ meâ præstitero, capite plectar. Abi ergo, & nauta illis operâ tuam: ego certè Tragicis ludis interesse nō uolo. Quî autē istud fiat, interrogas? Quia uidelicet tu temetipsum censes *Scenics* *quàm fuerit* *addictus* *Nero, apud* *Tacitum* *reperies.* lum quoddam esse ex multis illis, quibus contexta est toga. Ergo quidnam, aut in quo tibi est elaborandum: nempe ut in id incumbas, quò possis aliorū hominū esse similis: quemadmodum unum filum præ alio nihil habet eximij. Verū ego id ago ut sim purpura: quæ in prætexta non multa assuit: illustre quiddam, splendūq; , ac quod alijs ornamentum decoremq; cōciliet. Quid ergo mihi præcipis, ut me similem exhibeam multis: hac enim ratione quî possem esse purpura? Ac id ipsum Priscus quoq; Heluidius intellexit, & ita sentiens *Priscus Heluidius.* se talem quoq; præstitit. Etenim Vespasianus cum per nuncium monuisset, ne ingrederetur senatum: respondit, In tua est potestate ut me moueas ordine senatorio. Quousq; tandem igitur me ingredi oportebit? Ingredere sanè, sed os contine. Non roga sententiam: & tacebo. At oportet me rogare sententiam. Ergo decebit, ut quod iustum & æquum mihi uideatur, respondeam. Si dixeris, interficiam te. Num aliquando me immortalem esse dixi: si interfeceris, tu tuum, ego meum præstabo. Tuum erit occidere, meum uerò occumbere fortiter: tuum est agere in exiliū, meum egredi sine molestia ac ægritudine animi. At Priscus cum esset unus, quid profecit: quid prodest purpura assuta togæ: nunquid aliud præstat, quàm ut ei sit ornamento, quia purpura? Sic Priscus etiā alijs tanquā insigne exemplum proponitur, atq; inter multos effulget insignis. Alius fuit quidā, cui Cēsar turbulento illo rerū statu, ne senatū ingrederetur cū dixisset: Gratias, inquit, habeo tibi, quòd mihi peperceris. Hunc quidem ut interdicto accesseret senatu, nihil fuit opus: propterea quòd sciret, affur-

*Athletæ for-
tuito.*

*Decorum
cuiusque
personæ.*

turum se ipso in confessu tanquam testaceum uas, aut dicturum ad arbitrium Cæsaris: & plura etiam additurum quæ ipse proposuisset. Haud longè secus res habet & ratio Athletæ cuiusdam, cui omnino, nisi pateretur sibi amputari uirilia, moriendum erat: ad quem frater accedens (philosophus is erat) sic eum est allocutus: Agè frater, quid facies: præcidemusne partem illam, ut iterum deinde in palæstra uersari possimus? Renuit: ac perstans in sententiâ, diem suum obiit. Quærente deinde quodam, quo istud more & instituto fecisset: utrum ut Athletæ, an tanquam philosophus? respondit, ut uir in Olympijs fama celebratus, in hisque certaminibus exercitatus, atque in hac palæstra uersatus, non autem iuxta batum oleo plenum duntaxat unctus. Alius proinde quidam fuit, qui se, quo minus iugularetur, non recusaturum diceret, si modò absque ceruice uiuere posset. Tale illud est cuique personæ congruens decorum: tantæque eius uis & efficacia apud eos, qui assuefacti à seipsis, in deliberationibus asserre possunt quod ipsos deceat. Agè Epictete, tonde capillos, siquidem es philosophus. Nolo inquam tondî. At amputabo tibi ceruicem. Siquidem melius tibi erit, non impedio quo minus istud facias. Sed quærat fortasse quispiam, quomodo suæ personæ quisque decorum percipiet, aut exploratum habebit? Vnde quæso est, quod taurus, inuadente leone, solus absque monitore sentit se instructum, sequi ipsum propugnatorem offert pro armentis: Nonne perspicuum est, simul ut nactus sit apparatus illum quo possit propulsare uim, non deesse etiam sensum istius possessionis? Proinde quiuis etiam nostrum conscius sibi erit, quemadmodum ad uiuendum sit instructus. Non enim taurus subito fit, nec derepentè existit uir generosus: sed rebus oportet difficilibus exerceri, præparari etiam, ac non temerè & inconsultò ferri

ferri, proflientem ad ea quæ ad se nihil pertinent.

Duntaxat cogita ô homo, quanti uelis addicere tuum in deligendis rebus arbitrium. Hac cogitatione si nihil aliud, id certè consequere, ut ipsum nō paruo diuendas. Eximium uerò si quid est, & magnificum: id alijs congruet magis, Socrati nimirum ac similibus. Sed qui fit, ut non multi aut plerique tales efficiamur, quum simus natura habiles: præsertim quum equi fiant omnes celeres, & canes omnes sagaces? Cum sim tardo ingenio, etiam ne desistam ab hac exercitatione? Nequaquã. Epictetus melior Socrate non est: si non sit, deterior tamen non est, quod mihi satis est. Non enim si Milo esse non possum, ideo corpore omnem abijciam curam: nec si Cræsus nō fiam, ideo acquirendi studium omne depōnam: nec si ad summa perueniendū, spes nulla uobis appareat, ea re omnis exercitatio meditatioq; relinquenda.

*Est aliquo
prodire te-
nus, &c.*

*Quoniam pacto hac opinione imbutus aliquis, Deum uidelicet
esse patrem hominum, in omnibus deinde studijs
uersetur.* C A P. III.

SI quis huic opinioni ex animo, atq; ita ut ipsius præstantia postulat, assentiretur, nimirum nos procreatos à Deo quodam insigni naturæ principatu, ac præterea Deum patrem esse deorum atq; hominum: haud dubiè nihil humile aut abiectum de seipso cogitaturus esset. Quòd si Cæsar te adoptaret, supercilium tuum nemo sanè ferret. Si ergo Dei te filium agnoscis, non te eferes? At istud nos non facimus iam: propterea quòd duo hæc in ortu nostro confusa sunt & coagmentata, corpus scilicet, quo cōmunicamus cum animalibus reliquis, & ratio atq; intelligentia, qua cōuenit nobis cum Dijs. Quare nōnulli, & maxima quidem pars, ad mortiferam illam atq; infelicem cognationem naturæ propensiores sunt: quidam uerò, & perpauci, sese ad diuinam & beatam illam adiungunt cognationem naturæ.

c 3 Cūm

Cum porrò sit necesse quemlibet re qualibet sic uti, pro eo ut de ea senserit, pauci nimirum illi qui se natos censent ad fidem, ad pudorem, ad cautionem prudenter utendi uisis, de seipsis nihil scilicet cogitant humile aut abiectum. Plurimi uerò illi cōtrā faciunt. Quis, inquiunt, tandem mihi uideor? Certè misellus homuncio, & caro infelix, & reuera misera. At melius etiam quiddam habes carne: quare misso illo, & neglecto, carni duntaxat es deditus? Ob huius societatem declinantes à meliore natura quidam, lupis similes efficiuntur, dum sumus perfidi, & insidiosi, & ad nocendum parati: alij leonibus, quia feri, immanes, ac truculēti; maxima uerò pars uulpeculæ sumus, aut si quid aliud in animalibus promonstroso habetur. Etiam ne aliud quiddam est maledicus aut maleuolus homo, quàm uulpes, aut si quid ea est uel ignobilius, uel contemptius? Circumspicite itaq;, & curate, ne quando huiusmodi calamitatibus obnoxios fieri uos accidat.

De profectu. C A P. IIII.

IS proficere dicendus, qui institutus à philosophis, indicit appetitionem esse bonorum, declinationem uerò malorum; ac præterea, quòd tranquillitas uacuitasq; affectuum aliter non contingat homini, quàm si ipsius appetitum nihil unquam frustretur, fugiendo autem & declinando in malum non incidat. Præterea, qui ratione appetitionis omnia præsidia uiuendi à seipso expectet, & supra omnia se effert, declinationem uerò ad ea duntaxat adhibeat quæ sub delectum & arbitrium cadunt. Si quid enim declinauerit eorūque sub delectum nostrum non cadunt, haud eum fugit certè, quin ita incidere aliquando possit, ut uitare non liceat aliqua cautione oblatū periculum, quo necesse sit (si uirtutem arbitretur esse talem declinationē) calamitosum & miserum existere. Quòd si hoc de se promittit uirtus, se nimirum

mirum conciliatricem esse felicitatis, affectuum expul-
tricem, tranquillitatis animorum procuratricem, nonne
profectus ad eam sic referendus est omnis, ut ad ea quæ
iam dixi singula sit accommodandus? Nam quocumque
nos perfectio alicuius rei prorsus adduxerit, eius pro-
gressu etiam & appropinquatione definiri æquum est
profectum. Proinde quæ sit ut uirtutem id esse, quod di-
xi, fateamur: profectum uerò in alijs quæramus, atque
ostentemus? Quodnam opus uirtutis? tranquillitas. Quis
uerò profecisse dicendus? Qui multos Chrysippi libros
euoluerit? At uirtus non est, ut liquet, perlegisse Chry-
sippi commentaria. Nam si sit, absque cōtrouersia uerum
& concedendum erit, profectum nihil aliud esse quàm
multa Chrysippi scripta intelligere, sed nunc cōfessi su-
mus, aliò nos respicere definienda uirtute, & aliò dum
definimus progressionem in ea, nempe profectum. Is,
inquit, iam potest sine interprete assequi Chrysippum.
Rectè igitur, ô homo, profecisse eum dicis: sed quonam
profectus? Quid illudis ei, quare eum abducis ab animad-
uersione & sensu suorum malorum? Non uis ostende-
re opus uirtutis, ut discat qua ratione ei sit proficiendū?
Profectū igitur, ô miser, quæras illuc, ubi occupatus esse
debes. Sed in quonam debes esse occupatus? In prose-
quendo & fugiendo: ut uidelicet ne frustrere, & ne cir-
cūueniari, ut appetendo & refugiendo peccato careas.
Primi sunt illi primi, inquam, loci, quibus ex necessita-
te est insistendum. Quando autem tremens et lugens id
agis ut ne quod in malum incidas, certè non est ut te ar-
bitrere proficere. Tu itaque tuum mihi ostende profe-
ctum. Perinde autem facis, ac si Athletam compellans,
petam ab eo ut humeros suos mihi ostendat: is uerò nō
humeros, sed halteras proferat in mediū. Considera,
tu quidem & halteres præstò sunt, ego autē industriam
& opus spectare cupiebam, In manus sume de appetitū
uolumentū

uolumē, & considera quomodo ipsum euoluerim. Mā-
 cipium, nō illud quæro, sed quemadmodum te geras in
 prosequendis & fugiendis rebus, appetendis respuen-
 disq̃, ut sis deditus, ut te accōmodes ac pares ad res ob-
 eundas, conuenientēne naturæ, an ab eius præscripto
 dissentiens. Si conuenienter, declara istud mihi, & fate-
 bor ego te profecisse: sin uerò discrepas, abi, & non mo-
 dō interpret sis librorum, sed etiam ipse cōscribe si libet
 talia. At quem inde percipies fructū? An nescis totum
 librum quinq̃ emi numulis? Igitur ne in alio opus ue-
 strum, & in alio profectum collocetis. Sed quānam in
 re est profectus? in ea nimirū, ut quispiam desistens ab
 externis, sese totum reuocet ad iudiciū & delectū re-
 rum, in eoq̃ occupatus sit & elaboret, ut cōsentientem
 animum naturæ obtineat, excelsum, liberū, qui à nullo
 prohiberi aut impediri possit, constantē & fidelē, uere-
 cundum. Præterea qui didicit, cognouitq̃ ea quę sua in
 potestate nō sunt, si quis ea aut cupidē delideret, aut re-
 fugiat, eū nec cōstantem nec liberū esse posse, sed in his
 rebus fluctuantē simul uariē iactari, ac modō his modō
 alijs affectibus agitatum exardescere. Quin etiam idem
 obnoxium sese his exhibebit, quorū ope ista uel acqui-
 runtur, uel quo minus ad nos perueniant impediuntur.
 Proinde qui profecit, mane ē lectio surgens, officiosa e-
 tiam illa obseruat & custodit: siquidem lauat ut uir bo-
 nus & integer, item comedit ut uerecundus, ac quauis
 re oblata tanquam materiā nactus aliquā, præcipua illa
 exercet uirtutis munera. Nam ut cursor currendo, &
 cantor canendo, sic qui proficit ueritate rerum exerce-
 tur. Idem si aliorum se conferat & quasi peregrinetur,
 non temerē quicquam facit. Si se studijs ac libris addi-
 xerit, in eo quoque genere strenuē elaborat, quasi qua-
 dam peregrinatione suscepta. Quinetiam iubeo, inde
 domum se recipiat, nec domestica negligat, propterea
 quòd

quòd & hæc ipsius quædam sit peregrinatio. Si procuratio nulla sit, restat ut hoc mediteris, quo nimirum pacto detrahas uitæ luctus & lamentationes, & ne subinde in hanc uocem erumpas, Heu mihi, & me miserum: nèue succumbas uel afflictæ uel prorsus aduersæ fortunæ, ut cõsideres quid mors sit, quid fuga, quid carcer, quid ci-cuta: ut nimirum detentus carcere efferre istud possit. O amice Crito, si dijs ita uisum est, fiat sanè. Ac nõ illas effe-rat uoces: Miser ego, confectus senio, ad hæc tempora canos meos referuauit? A' quo ista dicuntur? Credo pu-tabitis illum esse ignobilem quẽdam & abiectum, à quo hæc dici sit cõsentaneum. Nonne Priamus sic loquitur? & præterea quot reges ita loqui solent? Nam quid aliud Tragoedia est, quàm representatio (numeris compre-hensa ac uersibus) affectuum? quibus admirantur ho-mines quæ sunt extra se. Quòd si decipi est, id addisce-re, quòd nimirum externa (quæ uoluntate nostra guber-nari non possint) ad nos nihil pertineant: non respuo sanè hanc imposturam, qua placidè & sedatè possim ui-tam transigere. Sed uos quo animo sitis cogitate: quid autem uobis prodest Chrysippus? Vt noris, aiunt, hæc falsa esse, non autem illa quibus paratur tranquillitas, & perturbationum uacuitas. Sume libros, & intelliges ue-ra & consentanea esse nature, quibus sedantur affectus. O' felicitatem ingentem, ô præclarum benefactorem eum qui nobis demonstraui uitam. Equidem templa, & aras Triptolemio undiq; mortales extruxerunt, quòd ab agresti ad mitiorem uictum cultumque corporis hu-maniorum traduxerit. Ei porro qui ueritatẽ in uita in-dagauit atque illustrauit, eamq; uniuersos edocuit ho-mines, non tam ad uiuendum quàm bene uiuendum accomodatam: quis unquam uestrũ aram dedicauit, aut sanum struxit, aut effigiem posuit? aut quis pro be-neficio tanto se supplicem exhibuit deo? Num quia ui-

f tium

*Sunt uerba
Socratis a-
pud Plato-
nem in Cri-
tone.*

Tragoedia.

*Chrysippus
Triptole-
mo diuinis
honoribus
dignior.*

tium aut tritici utilitatem percepimus à Deo, ei sacrificamus: quòd uero tantum in animis hominū produxerit fructum, quo nobis ueritatē patefecit fœlicitatis nostræ, pro tanto beneficio gratos nos non exhibebimus Deo?

Ad Academicos.

C A P. V.

SI quis (inquit) disputando se opponit impendiò perspicuis, contra illum afferre rationes non est facile, quibus diuersum ei persuadeat. Verùm id usuuenit nec propter ingenij facultatē eius qui contradicit, ut perspicuis fidem nullam habeat, nec propter imbecillitatem eius cui contradicit docet ijs assentiendum esse. Proinde defectione reiectioneque euidētium rationū si quis quodammodo saxeus fiat, quonā pacto aduersum eum uti aliquis ratione poterit? De cætero autem concretionis istius in saxeum stuporem duræ sunt species, una, quādo mens lapidescit: altera, quando uis illa animi saxeæ efficitur, quæ rebus agendis gerendisque uacat. Prior est, quā rigido sensu stupidus quispiam, nō annuit euidētibus: posterior, quum à pugnantibus se quispiam nō abstinēt. Plerique corporeorū amissionem sensuum perhorrescimus, adeoque omni studio prouidemus ne mortifero alicui malo occurramus. Atqui animus ne suū amittat sensum, ac uita ne sua priuet, perinde solliciti haud sumus. Et quod ad animam quidem attinet, per Iouē, sic res est comparata, ut si quis sit tam obtusa acie mētis, ut assequi intelligendo nihil possit, nihil complecti memoria, non bene ipsum habere existimemus: quòd si officiosa animæ industria pudorque omnis, prauitate emoriantur, nihilominus ipsam adhuc ualidam uiribusque suis uegetam arbitramur. Percipisne te euigilasse? Negato. Quippe ne in somno quidem, quādo me uigilasse per somnium offertur, pro explorato & percepto habere possum, me uigilare. Nihil ergo discrepant uigilantium uisa, ab his quæ obuersant dormientibus: iam nihil causæ amplius apparet,

apparet, cur disputando tecum agam. Sed quínam ita affecto, aut qualis adhibendus ignis, aut quónam ferro dilaniandus, ut sentiat esse se expertem sensus, ac mortuum? Nihil sentiens, simulat tamen se sentire: quo deterior etiam est reuera mortuo. dissidium enim intra se non percipit, & quàm malè habeat non cognoscit, reuera mortuus, nec mouetur, nec proficit in miseria. Mutilatus amputata uiuit uerecundia, & studio mancus rectitudinis, intelligendi tamen nihilominus non est oratus facultate: quæ tamen rite culta non sit, sed agrestis, immanis, & fera. Hæc ego appellem animæ uim & facultatem: Absit. Nisi libet effœminatissimis etiam cinædis uim & robur tribuere, quo quicquid in mentem uenerit, pro libidine sua & dicere & facere solent.

De Prouidentia.

CAP. VI.

EX quauis re condita in hoc mundo, facile est laudibus celebrare prouidentiam, si quis duo hæc in semetipso habeat, facultatem nimirum cõtemplatricem eorum quæ sunt data cuique, & præterea gratitudinem à se exhibendi. Si utraque non præstò sint, eueniet sanè ut ab illo non perspiciatur in rebus exhibitis grata communicatio omnium. Ab hoc autè etiam si animaduertatur, gratitudo nihilominus exhibeatur nulla. Si colores Deus effecisset, sensum percipiendi eos nulli animali concedens, quis quæso horum esset usus? Ac rursus, si cernendi sensum largiretur, res uerò coloratas nullas exhiberet, quibus affici posset ac pelli acies, quid quæso proderet? Non tantillum profectò. Deniq; ambo hæc machinatus, nisi luminis interuentu hæc ambo copulasset, ne sicquidem usum haberent aliquem. Quis ergo componit hæc inter se, & unde est compago illa qua gladius aptatur atque inditur uaginæ, ac rursus uagina gladium astringit? Nullus ne huius compositionis opifex? Profectò ex apparatu ipso operum solerti & artificioso
f 2 pronun-

pronunciare solemus, effectorem esse artificem aliquē, nec temerē & casu euenisse ista. Ergo horum quiduis suum nobis declarat artificem: aspectabilia uerò illa in mundo corpora, inspectiones etiam & oculis lumen undiq; offusum, opificem suum non testabuntur? Quid dicam de sexu masculino, itemq; foemineo, utriusque etiam ad conueniendum desiderio, præterea ut sexuum illorum facta sint discrimina partibus corporis præstantissimum usum habentibus, nunc etiam his non est perspicuum, esse opificem aliquem? At hæc quidem ita sunt comparata. Rationis uerò ac intelligentiæ nostræ hæc est natura et índoles, ut per se ipsa rebus sensum pellentibus applicari nō possit, nec species huiusmodi imprimi in ea queant, sed ex his sensu quidem antea comprehēsis decerpimus aliquid, & detrahimus item, quin etiam adiicimus interdum quid, & cōponimus, adminiculo sensilium ratiocināntem, & per Iouem, ex uno in aliud digredimur per intelligentiam representatis rebus. An hæc quidem satis non sunt quibusdam, ut moueantur atq; instigentur, quo minus deserant opificem? uel exponant saltem nobis, quid sit tandem, cuius fabricatione omnia ista efficiantur? uel quemadmodum fieri possit, ut admiranda hæc & artificiosa temerē casuq; efficiantur? Sed num in solis nobis admiratio hæc locum habet? Multa sanē in nobis sunt admirabilia, quæ ppter mentem lōgē maximo sunt usui, Haud pauca cōmunia nobis & brutis reperiēs: sed num assequi uel attendere possunt his quæ fiunt, expertia rationis bruta? Nequaquā. Aliud enim est sensuū usus, et aliud attentio. Brutis quidem opus fuit Deo tanquam utentibus phantasia & uisis rerum, nobis uerò ut attendentibus, & animaduertentibus usum. Quocirca his satis est si bibere atq; edere, præterea quiescere & procreare sobolē possint, aut si quæ sunt alia quæ pro sua natura singula queūt exequi.

At nobis,

At nobis, quibus tributa est uis & facultas attendendi, satis illa non faciunt. Nam nisi certo præscripto atq; ordine, item conuenienter cuiusq; naturæ ac conformationi omnia peragamus, haud ad finem nobis destinatum perueniemus. Nam quorum conformationes discrepant, eorundem quoq; opera & fines differunt. Quod ergo cunq; ita conformatum à natura est, ut rebus tantum utatur: earum usum si consequi possit, nihil certè amplius requirat. Cuius uerò facultati utendi rebus adiuncta etiam est attentio, huic si defuerit decorum & cōsentaneum, ad finem suum aspirabit nunquam. Sed cuius nam usui quoduis illorum inseruit? Quædam nimirum ut ipsis uelcamur, nonnulla ut agriculturæ inseruiant, alia uerò ut suppedient nobis caseum, aliaq; alijs uisibus sunt destinata. Quid autem prodest his uisibus adhibere attentionem animi uilis se applicantem ritè, & hæc omnia dijudicare uolentem? Deus quidam introduxit in mundum hominem, ut inspectorem operum suorum: ac non cognitorem solum, uerumetiam interpretem. Quare turpe est homini, si inde incipiat, & eodem destinatus, ubi cætera solent ratione destituta. Magis enim cōuenit inde incipere, in eo autem desinere quousq; natura nos nostra euexit atq; produxit. Sed natura tanquam ad fastigiū quoddam adduxit hominem, quo nimirum res contemplaretur, eisq; attenderet, cōuenienterq; maturæ uitam traduceret. Ergo date operam ne contingat uos harum rerum nihil animaduertentes mortem oppetere. Quæ uerò dementia est, ad Olympia proficisci uos ut Phidiæ opus spectetis, & si quis ante obitum non uiderit pro infortunato semetipsum reputare: illud uerò quod ante oculos est, & quò peregrinando non est necesse peruenire, sed omnibus uitæ actionibus occurrit, pro neglecto habere, contemplationisq; & cognitionis eius nulla cupiditate moueri? Etiam non sentitis, neq;

Obiectio.

qui sitis, neq; gratia cuius conditi: neq; quid illud sit, gratia cuius facultatem contemplandi obtineris? At enim quæ sic in uita geruntur, aspera sunt & ardua. Num in Olympijs spectandis nullæ occurrunt molestiæ: nonne æstuat, in angustum cogimini, non commodè lauatis, asperisionibus madescitis, tumultu & clamoribus alijsq; molestijs uos affici contingit? Verum, ut opinor, his omnibus anteponitis præstantiam spectaculi, cuius respectu sustinetis & fertis omnia. Agè uerò, num facultates non accepistis, quibus omnē fortunam sustineatis? magnitudinem & robur animi non accepistis, quibus perferatis fortuita, num tolerantia uobis non est concessa? Quod si ita est, quid mihi magnanimo asferre sollicitudinis possunt fortuita? Quid est quod me extrā me ponere, aut perturbare possit? aut quid nam uidebitur graue & molestum? Eriamne huius facultatis mihi concessæ usu, rebus oblati abstinēbo, ac his quæ mihi accidunt dolebo ac plorabo? Videtur certè. Muccus, inquis, effluit mihi ē naribus. Quare manus habeas cogita, o mācipium, nonne ut emungas? Nec est absurdum, si quis in mundo existimet esse muccos: quos quāto melius est detergere, quā queri? Quidnam quæso esset Hercules, nisi tantus leo extitisset, & hydra, & ceruus, & sus, præterea iniusti quidam homines ac immanes, quos ille expulit, ac terras repurgauit? Quid nisi hæc extitissent, efficere potuisset? Nihil aliud opinor, q̃ stragulis inuolutus dormisset. Ac primū uoluptati & ocio deditus dormiendo, in Hercule illum non euasisset. At quid profuit ei uirtus tanta? Num uerò alius potuit esse usus lacertorum ac roboris ipsius, tam tolerantis item & generosi animi, si non ipsum huiusmodi pericula & quasi materia uirtutis excitassent atq; exercuissent? Ergo ista apparabis & conquires, ac leonem in regionem ipsius introduces, nec nō aprū, & hydram? Quidni insanum istud

istud sit, & stultum? Alioqui si sint & inueniantur casu, operæ precium nimirum in his quoddam est, ad declarandum & ad exercendum Herculem. Eodem sensu tu quoque imbutus, considera vires tuas, quas habes, easque respiciens dic: Age nunc o Jupiter, si fuerit ita tibi uisum, calibus dubijs me obijce. Nam ex te habeo apparatus mihi concessum, & occasiones condecorandi meipsum, si rebus affligar aduersis. An consentaneum illud non est? Ergo delides confidete, partim nequid eueniat mali pertimescentes: partim impendentibus atque opprimentibus ærumnis flentes, ac lamentantes, ingemiscentesque terite tempus: deinde incusate Deos. Etiamne aliud commitari huic desidiæ potest, aut potius impietatis? Quamquam Deus non modò facultatem hanc largitus est uobis, qua sustinere omnes casus acerbos ualeamus excelsis ac infractis animis: uerum etiam, quod erat boni regis ac patris, ipsius ueritatis facultatē hanc solutam, nulla necessitate implicitam, ac nulla ex parte impeditam concessit, totamque nostra ut in potestate esset annuit: imò uerò ne sibi quidem ut cogeret potestatem aliquam reliquit, uel prohibendo uel impediendo eam. Hac igitur habentes & libera, & soluta, & omnino uestra, non eis uti tamen uultis: nec animaduertitis, quæ & à quo illa acceperitis: sed sedetis lugentes, ac ingemiscentes? Nonnulli quidem ita exæcati sunt animo, ut contueri largitorem non queant: alij uerò, propter socordiam in querelas & accusationes aduersus Deum erumpunt. Cæterum quòd insita tibi sit indoles, ac te natura instruxerit ad magnitudinem animi & fortitudinem, demonstrabo. Tu uerò, si libet, ostende mihi, quam habeas anam uel causam aut irascendi, aut accusandi Deum.

Quam utilitatem afferat cognitio redarguentium et hypotheticarum rationum, ac similium. CAP. VII.
Doctrina præceptorum illorum quibus de nostra sententia

tentia depellimur, & posito aliquo deinde astringimus nostrum propositum, item quibus interrogando assensum eius quo cum disputamus, elicimus, similesq; si quæ sunt in ratiocinando solertiæ, quam vim habeant ad vitam rectè instituendam, perpauci sanè intelligunt. Nam in omnibus institutis rationibus hoc quærimus, ut tranquillè bonus & honestus uir sese ex rerum agendarum multiplici cogitatione expedire, ac in ea, prout decet, promptè uersari possit. Itaque fateantur necesse est, uel non congressurum respondendo interrogandoq; suum diosum uirtutis: uel si det se disputationibus, haud curaturum ne hoc à se temerè & fortuito respondendo interrogandoq; munus peragatur. Quòd si horum neutrum concedendum putent, necesse est fateantur, cognosci oportere locos illos quibus instructi simus ad exequendum munus interrogandi & respondendi. Sed quid de se promittit studiosus? Nimirum se rationibus suis adhibere uera, detrahare falsa, in ambiguis sustinere assensum. Num satis est solū istud discere? Satis est, inquit, Etiamne uolenti ac cupienti in monetæ usu non hallucinari, satis est duntaxat istud audire hortantem, ut probatæ monetæ denarios tantū accipiat, adulterinæ uerò reijciat? Certè satis non est. Quid ergo huic monitioni oportet adijcere? Num uerò quid aliud, q̃ facultatem, qua possit cognoscere & discernere denarios probos ab adulterinis. Quapropter in pensitandis quoq; rationibus simplex præceptum illud nō satisfacit, sed omnino solertem æstimatorē earum effici conueniet, ut quid intersit inter uerum, falsumq; & ambiguum, ritè discernat. Si hæc teneas, quidnam præterea ut animaduertas aliud tibi præcipiet? Nempe ut approbes confectaria illa, quæ ex rite positis & cōcessis abs te concluduntur. Agè uerò præceptorūne satis est, ut id præstare possis? Non profectò: sed addiscere oportet, quæ, quibus,

aut

aut quomodo, sint consequentia. Item, quando unum sit
 uni consecrarium: item, quando ex multis simul iunctis
 aliquid concludi possit. Nonne istud etiā adhibere ne-
 cesse est eum, qui scienter in disputationibus uersari cu-
 piat, quibus cum ipse demonstrare aliquid, tum alium
 demonstrantem intelligere ualeat, ac nequando à ca-
 ptiosis sophistarum argumentis in errorē adducatur ue-
 lit præcauere? Ex quo concludendum nobis, doctrinā,
 quæ tradit de connectendis rationibus, earumq; obliga-
 tionum modis & figuris, utiliter ut in ea nos exercea-
 mus proponi. At interdum accidit, ut concessis propo-
 sitis ueris existentibus, falsum sit quod cōcluditur. Quid
 ergo tum mihi faciendum? num assentiendum falso?
 sed quid id facere possum? An potius parum consideratē
 me concessisse aliquid fatebor? sed ne istud quidem li-
 berum mihi est & solutum, quum non sit in concessis.
 An cōtendam, ista non concludi propter posita & con-
 cessa? At ne illud quidem in datis numeratur. Quid er-
 go in his agendum? Nonne ut satis non est obligatum
 fuisse, ad conuincendum ut pro debitore habeatur quili-
 piam, sed necesse est esse & permanere adhuc obnoxium
 debito, ac nodum dissoluisse ipsum: Ita satis non est, ut
 necesse sit alicui conclusionem approbare cōcessis præ-
 missis, sed in primis acquiescere oportet positis rationi-
 bus: deinde firmis & immotis ad extremum usq; dispu-
 tationis (eo quo concessæ sunt modo permanentibus)
 omnino necesse est nobis ab his non discedere, & quod
 ex his cōsequatur approbare simul cum antecedentibus.
 Quod si ab antecedentibus sumptis ac positis desistamus,
 profectò si quid ex his concluditur deinde, istud nec no-
 bis, nec secundū nos cōcluditur. Quapropter rebus his
 ita cōparatis, uim enunciatorū, quæ ad probandū assu-
 muntur, prius addiscere oportet: deinde, quemadmodū
 cōtingat mutare alicuius in disputationibus sententiā,

*Obignorā
 tiam enim
 artis indo-
 cti ad metā
 (ut loquū-
 tur scholæ)
 perducunt-
 tur.*

g acre-

acredarguere, uidelicet interrogādo, respōdendoq; uel colligēdo, uel quocūq; tandē alio modo aduersaria arripientē argumēta, aliū uerbis refellere, ac de priore sentētia deicere, qua solertia usus quispiā perturbare inertes, qui consequentiū ordinē nō intelligūt, possit. Discenda porrō cur ista sunt: ut nimirū hoc loco nō contra quā debeat, nec temere, nec confuse cum alijs disputādo uersetur. Atq; idipsum in hypothēsibus ac hypotheticis rationibus etiā custodiendū. Interdū enim necesse est, postulato cuipiā posito, reliqua ei tanquā fundamēto superstruere. Ergo uel in uniuersum, uel ex parte est cōcedenda hypothēsis: & si ex parte, quānam ex parte, considerandū. Sed quānā de re circūspectos nos disputādo conuenit esse: ut nimirū intelligamus, quid nos deceat. Proinde cōcesso & dato quopiā, constanterne in eo est persistendū, an etiā aliquando desistendū: Certē cōsecraria approbanda, & pugnātia repudianda. Quidni? Sed est qui dicat, se posse hypothēsi data possibili, adducere ad concessionē absurdi. Cū eo certē nihil cōmunicabit prudens, abhorrebitq; ab eius collatione ac cōmunicatione sermonis prorsus. Attamē est praterea quidam alius, qui uti rationib. disputandī cōmodē possit, sitq; respōdendo et interrogando acutus, quicq; se falli et decipi facili nō patiatur. Huic nimirum prudēs se cōmittet, ac cum illo cōferet. At interim id nō curabit, ut ne temerē, ne insipienter, ne incōstanter in disputationib. oberret. Si nō istud curet, quānam erit is, quē ipsum uideri uolumus? Verūtamen absq; eiusmodi etiā exercitatione & apparatu doctrinæ id custodire potest quispiā, qd ordo rationū postulat. Id nimirū nobis demōstrent, & ostendāt, ut cōcedamus ipsis huiusmodi pcepta nō cōuenire aut cōgruere institutis ac rationibus studiosi hominis. Quousq; tandē desides, ac ignaui, socordesq; sumus: & excusationes ad defugiēdos labores querimus, nec eugilamus

Syllogismi
ex hypo-
thesi.

Nō enim is
erit diale-
cticus, sed
cōtentiosus
& sophi-
sta.

gilamus ut consentientē habeamus rationē? At est qui dicat, num in his si halluciner, parricidiū admiserō? Mancipium, alicubine pater hoc in loco sese obtulit, ut eum occideres? Vis scire qđ peccatū cōmiseris? Illud nimirū (cuius te reū agit præsens iste locus) peccasti. Ita memi-
ni me Rufo quoq; occurrisse, reprehendenti aliquando me, qđ omissum aliquid in syllogismo nō animaduertis-
sem: Non, inquā, propterea Capitoliū est à me dirutū. Quid, inquit, mancipiū dicis? num quod in argumento defuit, Capitoliū est? Num censēs duntaxat peccatū esse Capitoliū incēdere, patrē occidere? Quādo aut frustra quis ac temerē suis utiſ uis, ac rationes rerū uidere non potest, nec demonstrationib. aut captiosis argumētis iudiciū adhibere ualeat, nec internoscere quid intersit inter id quod per se & nō per se diciſ esse interrogando & respōdendo, nū hac inq; pro peccatis nō numerabimus?

*Quod uires & facultates non bene institutis non sint
salutares.* CAP. VIII.

QUot modis permutari possunt idem significātes orationes (Dialectici appellant æquipollentes) totidē modis species etiā argumētōrū et Enthymematū in disputationib. uariare possumus. Eius rei istud habeto exemplū: Si mutuō accepisti, & non reddidisti, debes mihi adhuc argentū. Nō mutuō accepisti, nec reddidisti, itaq; nō debes etiā mihi argentū. Huiusmodi permutatiō nū neminē esse magis gnarū par est, qđ philosophū. Enthymema enim imperfectus cū sit syllogismus, constat eum qui perfecti syllogismi uim habeat cognitā, eundē optimē etiā cogniturū imperfectū. Quid causae porrō est, qđ nec ipsi nos, nec nobiscū alios hac in cognitione exercemus? Hæc est, quod in hac exercitationem quāuis operā nō impendamus, nec ego uos ab informatione morū ad alia traducam studia: nīhilo tamē magis ad summā uirtutis perfectionem cōtendimus, aut in ea

proficimus. Si præterea id quoque negotij sibi quispiam asciscat, quid expectandum erit: præsertim si quis non solum in necessarijs se occupari patiat, sed præterea etiã ansam arripiat opinionis cuiusdam & arrogantia non vulgaris. Illustris enim est facultas illa probandi & plausibiliter differendi, præcipue si confirmata sit exercitatione, adeoque ornatu quædam uerborum adiunxerit. Quinetiam uniuersi generis (non accommodati uidelicet ad certas controversias) tractandi facultas, non tunc traditur infirmioribus, ingenijs, ac male institutis: propterea quod hac scientia nimis sese efferunt, & uana ambitione turgidi fiunt. Etenim haud ullis uerbis persuaseris adolescenti in his artibus egregie erudito, ut his artibus ipse se opinetur debere esse ornamento, ac non ut ab ipsis ornet, expectare. Nonne suasiones huiusmodi nostras concilians, elatus nobis atque inflatus obambulat, uel attingi se moleste ferens, dum subinde commemorat, quibus pro derelicto habitis, ad quæ animu suum applicarit? Quid ergo Plato, nonne philosophus erat? Quid Hippocrates, nonne medicus? Sed uides quomodo loquatur Hippocrates, nonne pro eo ut medicum decet? Quid ergo misces studia, ac confundis, propterea quod sæpe in eisdem concurrunt? Itaque si Plato pulcher & robustus fuit, num etiã me id ut consequar sedentem elaborare oportebit, nempe ut efficiat uel pulcher uel robustus, tanquam si requiratur istud ad philosophiam? At quotus quisque philosophus simul & pulcher & philosophus fuit? Quid est quod non sentis aut animaduertis recte, gratia nimirum cuius homines fiunt philosophi, & quibus causis aliarum rerum fiant participes? En ego philosophus si essem, (cum sim claudus) num propterea uos etiã claudos effici oportebit? Quid ergo, num facultates aspernor illas? Nequaquam: nam ne uidendi quidem, Sed ex me si quæras, quod bonum sit hominis, haud aliud tibi quod dicam habuero, quam

quàm quodam modo se habens arbitrium & delectus rerum, uisa oblata subsequens ritè,

Quoniam pacto à contemplatione cognitionis quæ est nobis cum Deo, rebus cæteris se quispiam accommo-
dare debeat. CAP. IX.

SI uera hæc sunt quæ de cognatione Dei & hominū disputantur à philosophis, ecquidnam aliud mortalibus relinquitur, quàm id quod Socratem dixisse serūt, ut nimirum interrogāti unde sint oriundi, nequaquam se Corinthios aut Athenienses, sed mundanos esse respondeant? Quæ causa porrò est quòd te Atheniensem prædicas esse, ac nō potius in angulo ortum illo, in quo primū nascens corpusculum tuum sit proiectum? An fortasse id causæ subest, quòd nimirum à nobiliore loco & continente nō modò angulum istum, sed uniuersam quoq; domum ac totam stirpem maiorum qua es procreatus, patriæ appellationē arripis? Inde nimirum Corinthium te, aut Atheniensem nominas. Quicumq; igitur intelligentia assecutus est gubernationem mundi, eamq; cognouit esse maximam, præstantissimam, capacissimamq; fabricam, coagmentatam ex hominibus & Deo, à quo nimirum profecta sint primordia ac semina non solum ea quibus pater meus me procrearit, & patrem auus, uerūetiam in res omnes è terra nascentes, ac præcipuè in ratione prædita, quòd nimirum hæc sola communicare possint cum Deo commercio intelligentiæ connexa: his, inquā, causis per motus quispiam, non meritò se mundanum nominet? Quidni etiam filium Dei? Deinde quidnam in rebus humanis & casibus ei formidandum occurreret? Si quis attingat propinquitatem Cæsarem, aut alium quempiam potentiorum Romæ, satis ad tutò uiuendum, & ut ne despiciatur, præsidij habebit, nec sibi ab aliquo timebit. Deum uerò quum habeamus cōditorem, & patrem, & curatorem, is nos tri-

sistia & metu non liberabit: Vnde, inquit, me sustentabo, cum nihil habeam? Quæro ego, quomodo serui, quomodo fugiui, qua re confidentes, suos deserant dominos: Num agris, num mancipijs, aut ualis argenteis? Nulla certè re alia, quàm semetipfis confisi. His tamen alimenta non defunt. Ergo philosophum decebit spem ponere alijs in rebus, eisq; sic acquiescentē peregrē proficisci, ac nō sui ipsius præsertim curam suscipere: Esseq; iplis animalibus brutis deteriore, timidioremq; quorum nullum est quod non seipso sit contentū, suoq; non potiatur alimento, & non cum alijs cognatis sibi, ac secundum suam naturam uiuat: Ego sic statuo, oportere seniore aliquem absidere hic, non qui istud negotium susciperet admonendū uos, nequid abiectum cogitetis, aut nequid humile aut ignobile sermonibus uestris efferatis inter uos colloquentes: sed nequi in uos incidunt adolescentes, qui cognationem, quæ nobis est cum dijs, intelligentes, ac præterea nos uinculis quibusdam corporis scilicet & eorum quæ corporis causa possidentur, nec non quæ ad hæc conseruanda nobis sunt necessaria re familiari custodienda, & quasi adminicula sunt ad uitam hanc degendam, districte animaduertentes, tantam quam pondera quedam molesta & inutilia abijcere conantur, ut nimirum ad suos reuerti queant cognatos. Illud equidem certamen decertare præceptorē ac doctorem (si quis erat) uestrū oportuit. Vos autem ad me sic accedere decuisset: ut diceretis, Epictete, nos amplius corpusculo huic astricti uiuere nolumus, ipsum uidelicet cibo & potu reficientes, & quiete recreantes, & subinde repurgantes, gratia cuius etiam necesse sit nos huc atque illuc uagari. Nōne inter hæc siue fiant siue non fiant nihil magnopere interest: nec mors est mala ducenda: Eodem accedit, quod cognatio nobis est cum Deo: inde enim profecti sumus, Permite nobis, ut eodem reuertamur,

Præceptor
est uera ratio atq;
ipse 717.

uertamur, unde discessimus. Concede ut his liberemur uinculis, quibus alligati astringimur ac prægrauamur. Hic sunt latrones, fures, tribunalia, uolenti principes, quos uocant tyrannos, qui se existimant habere in nos potestatem propter corpusculum illud, eiusque possessiunculam. dimitte nos, ostendemus his quod nullam in nos potestatem habeant. Idem uerò doceat me sic uobis respondere: Vos cum sitis homines, Deo attendite: quando is significarit, ac liberauerit uos hac seruitute, tum ad ipsum discedite: in præsentia uerò patientes estote, hunc locum, in quo quemque uestrum constituit incolentes. Perbreue enim tempus est istius habitationis, nec difficile his qui sic animo sunt affecti. Nam qui tyrannus, aut qui fur, aut quæ tribunalia his sunt pertimescenda, qui pro nihilo ducunt corpus, eiusque possessiones? Manete, & temerè ne discedatis. Ita sanè hortari bonæ indolis adolescentes debebat præceptor aliquis. Sed modò quid accidit? Mortuus est qui uos docet, quin etiam uos mortui estis. Quum uos hodie ad saturitatem comederitis, sedetis flentes de crastino solliciti cibo. Mancipium: si consequeris illum, habebis utique: si nullum obtinueris, discedes, patefacta erit ianua, quid luges? lachrymis quare relinquis locum? quod studium adulationis incessit? quam obrem alius alij inuidebit? quare opulentos admirabere? aut eos qui multum possunt quantumuis robustos & iracundos? Quid nobis isti facient? an quæ possunt, facere non permittemus his? quæ uerò nobis curæ sunt, in his efficacia eorū nulla est. Ecquis nam in talem hominem sibi usurpabit imperium? Qualem in his se præstitit Socrates? num alium, quam eum conuenit cui persuasum est se esse Deorū cognatum? Quando, ait, istud à me cōtenditis, dixeritisque, Hac cōditione te dimittemus, si deinceps ab huiusmodi disputationibus te abstineas, quibus hæcenus fuisti usus, ac non incularis

culcaris eas adolescentibus & gravioribus natu: respon-
 debo certè, admodū ridiculos uos esse, qui ita sentiatís,
 si ab aliquo uestro imperatore locum & ordinem serua-
 re sim iussus, cum omnino mihi seruandū & custodien-
 dum putetis, ac antè millies oppetendam mortem quàm
 eum deseram: cum autem quem Deus mihi locum at-
 tribuerit, officiumq; descripserit, iusseritis deserendum
 esse. Talis reuera est homo propinquus deorum. Sed
 nos tanquam uentres, tanquam intestina, & pudenda
 si essemus, de nobis ipsis deliberamus: quoniam time-
 mus, quoniam cupiditatibus flagramus, eosq; quorum
 ope hæc adipiscimur adulamur, eosdemq; pertimesci-
 mus. Quidam me rogauit ut sua causa Romam mitte-
 rem literas, uidebatur is plerisque afflictus, cum prius
 esset honoratus & diues. Postea omnibus spoliatus re-
 bus isthic uitam egit. Suppliciter egi causam scriptis li-
 teris: quibus ille lectis, reddidit mihi eas, inquiens: Vo-
 lebam ego ut me iuuares, & non uti commiserareris,
 quum malo nullo implicer. Sic me Rufus tentare sole-
 bat, his alloquens uerbis: Hæc & hæc tibi exhibebun-
 tur ab hero. me uerò respondente, quòd sint humana:
 Quid ergo, inquit, ad dandum horter illum, quum à te
 ista possis accipere? Reuera enim quod à seipso quis-
 piam habet, ab alio si accipiat, inutile erit & superuaca-
 neum. Ego quidem à meipso quum habeam magnum
 & generosum animum, utrum à te agrum, argentum,
 uel dominatum accipiam? Nequaquam. Absit ut mea-
 rum opum tam sim ignarus, ut eas nullo sensu percipiā.
 Nam si quis formidolosus est & abiectus, pro illo quid
 faciendum aliud, quàm scribendæ literæ tanquam pro
 mortuo quodam, in hanc sententiam: Beneficium mihi
 exhibe in istius cadauere, aut sextario sanguinis. Nam
 reuera cadauer is est, & sextarius sanguinis, ac præterea
 nihil. Si quid enim aliud esset, animaduertisset utiq; uni
 ab alio

ab alio aduersam fortunam ac miseriam nō provenire.

Ad eos qui Romæ ut dignitate potiantur aliqua, student.

CAPVT X.

SI tantum operæ in studijs nostris poneremus, quantum maiores natu Romæ in suis occupationibus ponunt, fortasse proficeremus & nos aliquid. Noui quendam ego seniozem me annonæ præfectū Romæ, quum huc se recepisset ex fuga, Deū immortalem, qualia mihi de superiore uita sua exposuit, & quæadmodum deinceps esset uitam acturus ostendit: Reuersum etenim se nihil aliud per reliquam uitam curaturū, quàm ut in ocio possit & tranquillitate uiuere, Quantulum, inquit, mihi superest uitæ? Respondi ego, istud ipsum nequaquam facturū: sed simulac subodoratus tantum esset Romam, fore ut omnium illorum obliuiscatur. Quod si in aulam aditus ei non præcludatur, etiam gauisurum, ac gratias acturū Deo. Si me reperies, inquit, Epictete uel unum pedem in aula ponentem, permitto tibi ut quicquid uoles de me existimes. Nunc quid fecerit, uide. Priusquàm ueniret Romam, occurrerunt ei quidam à Cæsare afferentes literas: quas accipiens, omnium promissorum oblitus est. Reliquo enim omni tempore non desuit unū negotium aliq̃ accumulare. Ac perquam uelim coram ei sermones in reditu habitos in memoriā redigere, ac insuper addere, me multo uatē esse elegantiorē quàm ipse sit. Num uerò dico ego, ociosum animal esse debere? Absit. At quid est quod in actu rerum nos non uersamur? Etenim quum primū luceſcit, parumper mecum ipse commentor ac delibero quænam mihi sint legenda. Deinde rursus mecū, quid mihi curæ esse patior quemadmodum iste legat: Primum est ut me deſam quieti, & sim sedatus. Verūtamen quidnam simile habent nostra negotia cum illorum occupationibus? Si cōsideraueritis quid isti agāt, haud uos latebit, Ecquid-

h n am

nam aliud quàm totum diem subducunt rationes, simul quærunt & cōsultant de annonâ, de agello, de ceteralium rerum incrementis: Num interest nihil, accipere à quodam codicillum de re aliqua interpellantem, atq; in hâc sententiam te hortantem, ut uidelicet des operam quò mihi copia fiat annonam auerendi: an uerò admonentem, ut ex Chrylippo discas quæ sit istius mundi administratio, & in eo quemadmodum locatum sit animal particeps rationis: nec nō ut te ipsum cognoscas, & quilibet contemplare, & cuiusmodi tuum sit bonum, itemq; malum? Num hæc sunt illis similia, pariq; studio exequenda? an eadē est turpitudine, siue hæc siue illa pro neglectis habeas? Quid ergo soli nos curis uacui sumus, ne, & stertimus? Nequaquam. Imò multo magis uos, & in primis uos quidem o adolescentes. Quandoquidem grandiores natu quum ludentes uidemus uos iuuenes, inuitamur ipsi etiā cupiditate quadam uobiscum coludendi. Ego uerò si expergefactus promptosq; ad studia cernerem uos, multo certē ad nauandam simul operam alacrior utique essem.

De amore quo afficitur aliquis erga suos, Græci φιλοστοργίαν appellant. C A P. X I.

QUODAM ad ipsum ueniente qui magistratum gerebat, quū percontatus illum esset uarijs de rebus, præterea num liberi etiā & uxor ei essent, quæsiuit, quo annuente, etiā illud sciscitatus est, ut rebus istis uteretur: satis calamitosē, respōdit. At is, quomodo (inquit) illud accidit? quippe uxores cum ducant, & liberis creandis dent operā mortales, non ut sint miseri, sed potius ut beati. At ego, inquit, multis excrucior ærumnis propter liberos. Nuper enim filia cū in morbum incidisset, ac uideretur mihi periclitari de uita, ferre non potui, nec adesse egrotanti, sed fugiens aliò me contuli, donec denūciaret mihi quidam meliuscule habere ipsam. Quid,

Quid, inquam, tibi uidetur? num rectè te fecisse censes? Respondit: Videor mihi secundum naturam, At istud si mihi persuaseris, quamobrè existimes factum tuum cōsentaneū esse naturæ: mox ego probabo tibi, quicquid fiat secundum naturā, id rectè fieri. Quia id pleriq; facimus patres, ait, & quia plerūq; sic afficimur. Non repugno, inquā, quin ista fiant: sed de quo ambigis, illud est, num rectè istud fiat. Alioquin enim si eò respicias, panos etiam & hūlcera oportebit pro bono quodam corporis numerare, quādoquidem sæpe oboriuntur: & omnino peccatum omne secundum naturam pronunciare, quòd nimirū propemodum omnes aut maxīma pars peccamus. Ergo id mihi monstres, quemadmodum à natura hæc insint. Non possum, inquit: quin tu potius id mihi ostendas, non esse hæc naturæ cōsentanea, adeoq; non rectè ista fieri. Tum ille: Si quæstio nobis esset de albo & nigro instituta, quòdnā, ea disceptanda, iudicij nostri instrumentū adhiberemus? Visum, respondit. Si de calidis & frigidis, duris item & mollibus, quòdnām? Tacitū. Quandoquidem de his quæ secundum naturā, ac de his quæ rectè aut uitiose fieri dicuntur disputamus, quale his internoscendis instrumentum iudicij nostri accommodabimus? Nescio, inquit. Sensum porro penes quē sit facultas discernendi colores, item odores, nec non etiā fapores, ignorare fortasse nō magni sit periculi ac damni: sed ignorare quo sensu discernenda sint bona à malis, & quæ cōtra naturam sunt hominis ab ijs quæ sunt secundum naturā, parūmne obesse censes? Imò uerò maius damnū non esse arbitror. Age, inquam, dic mihi. Num omnia quæ uidentur quibuslibet pulchra & decētia, rectè se etiam habeant? Etenim & ludæis, & Syris, & Aegyptijs, & Romanis, fieri potest ut omnia sua, quæ ad uictum pertinent, rectè instituta uideantur. Sed quī istud consentaneum sit? Necessè enim est, ut opinor, si rectè

habeant Aegyptiorum, aliorum oportere uideri praua: aut si Iudæorū bene sint constituta, perperam se habere quorumuis aliorū. Quidni? Vbicunq; porro ignorantia, ibidem quoq; inscitia, & rerū quoq; necessariarum imperitia: Assensus est. Tu itaque cum sic sentias, in reliquum tempus aliud nihil curabis, nec aliq; rei incumbes, quā ut perdiscas cuiusmodi sit instrumentū percipiendi eas res quæ nobis secundum naturam conueniunt, eo'que fretus discernas singulas res tibi oblatas. Caterū quod ad præsentem disputationem pertinet, quod possum in re proposita te iuuabo. Insitus à natura erga suos amor, mihi secundum naturā & honestus uidetur? Quidni? Vtrū uerò ille ipse amor à natura proficiscitur & honestus est, quod autem rationi est congruens non itidem? Nequaquam. Ergo inter se non pugnant, amor natūus, & ratio recta? Nec mihi uidetur. Nōne si pugnent, si unū secundum naturā sit, alterum necessario naturæ fore aduersum? Annuīt. Ergo si quid tale repertum fuerit quod simul & amore illo & recta ratione sit præditum, cōfidenter affirmabimus & rectū & honestum ipsum esse? Sic esto, inquit. Proinde deferre oppressū morbo puerulum, ac inde discedere, quòd recta ratione careant, ne tu quidem opinor repugnabis. Restat ut, amorine factum illud sit ascribendum, cōsideremus. Contemplabimur istud hoc modo. Quæro utrum tu cū paterno amore in puerum afficerēre, rectē feceris in fugam te cōijciens, ac deferens ipsum? Nōne mater etiā charitate illam naturali complectebatur? Equidē fateor. Quare matris quoq; erat, ut eam discedens relinqueret: an istud non conueniebat? Non. An nutrix nō afficiebatur? ardentē certē amabat? Itaq; nec ipsam par fuit adesse, sed destituere? Nequaquam. Quid, Pædagogus num affectu illo carebat? Vtique & is adamabat. Ergo et hunc desertorem abire decebat, ac solum

ac solum destitutumq; relinqui puerum propter multitudinem amoris, quo cum uos illum complectebamini, tum hi quarum curæ erat commissus. An in manibus nec diligentium ipsum, nec magnopere curantium mori conueniebat? Nequaquam. Haud enim illud par esset & cōsentaneum. Simul illud etiam considera, quod se decere quispiam arbitratur præstatione insiti amoris, idem concedendum alijs non est, ita se amare profitentibus? Absurdum sanè. Responde porro, num tu si ægrotares, uellesne sic aduersus te affici propinquos, ac quosuis alios, præterea etiam liberos & uxorem, ut dimitterere solus, & omni præsidio destitutus? Nequaquam. Optaresne sic te à tuis diligi, ut propter exuperantiam amoris te desererent solum, morbo affectum? An potius rebus sic comparatis, malles ad hūc modum diligi ab inimicis (siquidem amor huiusmodi ullus esse potest) quò nimirum desertus ab ipsis, uiueres? Quæ cum ita se habeant, concludendum, factum illud tuum plenum amoris & officij non fuisse. Præterea, nihilne erat quo cōmouebare, & quod te impelleret ad desertionem pueri? Fuisse enim aliquid necesse est. Id uerò ipsum tale extitit incitamentum, quale ferūt in quodam fuisse Romæ, quum equestri certamine depugnās, obnubi sibi caput iuberet: ac casu quodam adeptus uictoriam, hac animi defectione laborauit, ut ei spongijs admotis succurrere necesse esset, quibus recrearetur deficiens. At quoniam fuit iste stimulus? Eius accurata exquisitio in præsentia suscipi à nobis nequit: sed satis est persuaderi nobis (siquidem uera sunt quæ disputant philosophi) extra nos stimulum rerum agendarum esse nō oportere, sed eandem atq; unam causam esse qua incitemur uel ad suscipiendum uel omittendū aliquid, item ad dicendum uel tacendum, ut nos efferamus uel ut nos contrahamus, ut fugiamus aut ut prosequamur. Nempe hæc quæ utrisq;

h 3

nobis

*Iudiciū à ui-
sis formatū,
causa est a-
ctionū. Sed
ratio pro-
nūciare de
uisis debet,
non libido.*

*Quæra lati-
ni appellāt
panos.*

nobis oblata causa, tibi quidem fuit ut me conuenires, ac sedens me audires: mihi uerò, ut hæc audienti tibi exponerem. Cuiusmodi uerò illa est? Num alia quàm hæc, qua uisum est nobis ita faciendum esse? Quod si aliud fuisset uisum, aliudne quàm quod uideretur egissemus? Itaq; Achilli quoq; moestitiæ fuit hæc causa, non mors Patrocli (cū sit qui interitu sui sodalis non sic animo afficiatur) sed propter opinionē lugebat. Quæ tibi quoque ipsi causa extitit, cur fugeres: quòd si māssisses, haud alia certē fuisset manendi, quàm opinio. Et quòd nunc Romam es reuersus, in causa est opinio: & quando aliter constitueris, nōne discedes rursus? In uniuersum, nec mors, nec fuga, nec dolor, deniq; res alia nulla, ut uel faciamus uel omittamus aliquid in causa est, sed opinionēs & consilia nostra duntaxat nos incitant. Ac quiescisne his quæ dico, annon? Assentior. Proinde cuiusmodi causæ sunt singulis administrandis rebus, talia quoq; sunt euenta. Ergo si quid rectē à nobis non fiat, acculare deinceps aliud nihil debemus quàm opinionem, qua patratū à nobis aliquid est. Hanc euellere atq; abscindere maiore studio conandum, quàm aut panos, aut apostemata ex corpore. Nec aliam causam rectefactorum putabimus esse. Quocirca nec seruum posthac in causa fuisse dicemus, nec uicinum, nec uxorem, nec liberos. ut nobis aliquid eueniret mali: siquidem persuasum id nobis sit, non nisi pro opinione nostra, ac nisi uideantur, suscipi à nobis solere. Cæterum ut uideatur nobis, uel non uideatur, in nobis est positum, & non in rebus externis. Assensus est. Hodierno igitur die incipientes, nihil consideremus aliud, nec perquiramus quale quidq; sit, aut quomodo comparatum: nec agrum, nec famulitium, nec equos, aut canes, sed tantū respiciamus opiniones nostras. Perquā sanè istud opto, inquit. Sentis itaq; tibi ex usu esse ut siās scholasticus; nempe tale animal,

nimal, quod irrideatur ab omnibus: siquid uoles contemplari, cuiusmodi opinionibus præditum esse te oporteat. Id ipsum non unius horæ aut diei esse opus, late te te non arbitror.

*Et hodie
videtur ab
omnibus
scholastica
uita & phi
losophia.*

De equitate animi.

CAP. XII.

DE dijs quidem disputant, nō esse omnino numen asserentes. Alij esse quidem, sed ociosum & nihil procurans, nihilq; prospiciens. Tertij sunt, qui esse & providere, sed magna duntaxat & cœlestia, terrenas uero res nullas. Quartj, qui & terrenarum & cœlestium rerum procuracionem penes ipsum dicunt, communiter tamen ad omnia pertinentē, & non priuatim ad singula. Quinti (ex quorum numero Vlysses est, & Socrates) sic alloquuntur numen: Haud te latebo, etiam quando me commouero. In primis itaq; necesse est, sigillatim sententias illas ponderare, an sint consentaneæ. Ergo si dij sunt nulli, quare pro fine haberetur sequi Deos? aut si sunt, & nihil procurant, ne istud quidem pro consentaneo habendum. Quinetiam existentibus & procurantibus, si nihil inde redundet etiā in mortales, ac per loquem, in memetipsum etiam, ne id quidem probari potest. Vniuersa hæc secum considerans bonus & integer uir, suam sententiam & uolūtatē subiicit omnium rerum gubernatori, quemadmodum boni ciues obediunt legi ciuitatis. Qui porro se exhibet instituendum, hoc proposito se conferet ad disciplinam, ut nimirum secum ita cogitet: Quomodo sequar ego omnibus in rebus Deos? Item, diuinę administrationi qua equitate animi acquiescam? Quæ ratio erit acquirendæ libertatis? Et enim liber est, cui eueniunt omnia ex animi sui sententia, & quem prohibere nemo possit. Vtrum demencia quædam est libertas? Nequaquam. Infania enim & libertas iungi nequeunt, At ego (propter libertatem) uolo

Nā (ut ait
Cormel. Ta
citus) falso
libertatis
uocabulum
obtenitur
ab ijs, qui
priuatim
degeneres,
in publicū
exitiosi, ni-
hil nisi per
discordiam
habent. Hi-
storie Augu-
ste li. ii.

uolo mihi pro eo ut uisa sunt omnia euenire, quæcunq;
tandem uideantur. Furis, desipis: an nescis pulchrum
quiddam & eximium esse libertatem? Cæterum pro re
nata ac inconsultò uelle aliquid, & quæ sic decreueris,
operam dare ut fiant, sæpenumero accidit ut non modò
honestæ sint, sed interdum etiam omnium turpissi-
ma. At grammatico in studio quid facimus? Volo, ut li-
bet mihi, nomen Dionis scribere? Non certè, quoniam
doceor uelle id ipsum ut oportet scribere. Quid in Mu-
sica sit? Haud aliter. Quid in uniuersum in omnibus
quibus adhibetur ars & sciētia, fieri solet? Quòd si secus
accideret, nullius precij esset scire aliquid, siquidem sin-
gulorum hominum uoluntatibus accommodari posset.
In eo itaq; quod maximi momenti est, & in quo prin-
cipatus est libertatis, id permittendū, ut quocūq; modo
uelis aliquid pro libertate habeatur? Nequaquam. Sed
erudiri, id est discere singulis rebus hanc adhibere uolun-
tatem, pro eo ut fieri eas oportet. At quo pacto fiunt? Eo
quo disposuisti qui eas in ordinem redegit. Proinde sic
digessit effectus rerum opifex, ut esset nimirū hyems &
æstas, item fertilitas & sterilitas, præterea uirtus ut esset
& improbitas: omniaq; huiusmodi contrariè repugnan-
tia, propter coherētiā Vniuersi. Cuius porro no-
strū tribuit corpus, partesq; corporis, præterea fortu-
nas etiam, & eos quibus cum nobis aliquid esset nego-
tij. Istius ordinis memores, disciplinæ nos dare debe-
mus, ut ne alieni simus ab his initijs doctrinæ (nam his
melius nobis datum est nihil) sed quum res nostræ sic
sint comparatæ, ac sese ita habeant, pro habilitate earum
uoluntates nostras occurrentibus ipsis accommode-
mus. Num potest fieri ut nos subducamus ab homini-
bus? Haud potest. Cum his uiuentes, possumusne alios
efficere quàm sint? Quis istud nobis permittet? Quid
ergo reliquum est, aut quidnam excogitabimus, ut ipsis
sicuti

sicuti ualeamus, ut quamuis pro tua libidine faciant omnia, nihilominus nos geramus pro eo ut naturæ rerū est cōsentaneum? Tu impatiens es, & morosus. Quum solus fueris, solitudinem nominas: si cum multis, infidiosos & latrones appellas. Iratus es parentibus, liberis, fratribus, uicinis. At oportebat contrā, si solus esses, id ipsum tranquillitatem appellare & libertatem, & similem te dijs reputare. Inter multos uersantem, multitudinem non appellare turbam, aut tumultum & molestiam seu fastidium: sed festum ac celebrem conuentum, omniaq; ad hunc modum æquo animo interpretari. Cuiusmodi igitur pœna infligenda est his, qui præsentibus casibus æquitate animi non acquiescunt? Iniquo fert animo quispiā se solum esse: in solitudine uiuat. Iniquius fert suos parentes: sit improbus filius, & dolorem capiat inde. Abhorret alicuius animus à liberis: sis nequam pater. Conijce ipsum in carcerē, quo iam tenetur nimirū: quia uidelicet illic sua sponte ac uolens nō includit. Nā ubi quis inuitus detinetur, ibi carcer ipsius est. Quo circa Socrates in carcere non erat inclusus: uolens enim illic fuit. Iniquo feram ne animo, crure mutilatum me esse? Mancipium, an propter unum crus mundum accusas? ac non potius uniuersitati rerum istud adnumerabis? atq; ab ea te non remouebis, gaudensq; cedes largitori Deo? indignè feres ac impatienter ea quæ constituta sunt à loue: quam ipse cum Parcis præsentibus ac definito curriculo uoluentibus ac desinentibus natiuitatis tuæ sortem descripsit? Nescisne, quantula sis pars uniuersæ? siquidem corpus respexeris. Nam quod pertinet ad animum, nec inferior nec minor es dijs. Etenim magnitudo mentis nec longitudine nec altitudine aestimatur, sed opinionibus. Abnuisne in his tuum ponere bonum, secundum quæ deorum es similis? Miser, inquis, ego sum, sortitus talem patrem ac matrem. Potestatemne

*Sic Plato
ait, Deum
fortuna &
occasione
adhibitis
administra-
re omnia.*

statémne tibi quisquā fecit, cum primū nascereris, eligendi, ac sic dicendi: Ille huic matrimonio copuletur, & hac hora congregiantur ut nascar ego? Non concessum id tibi fuit. Nam prius tuos fuisse oportuit parentes, ac postea te nasci. At ex cuiusmodi? Quales nimirū illi contigerant tibi. Quæ cum ita se habeant, nihil ne ad ea sustinenda præsidij tibi datum est? Nōne miser & calamitosus es, si sensum oculorū (quem usum habet ignorans) sic possideres, ut oblati coloribus eum occluderes. Simile est, quod nescis in te esse magnum & infractum ad sufferenda omnia animum: quo nomine quis te non arbitretur multo miseriorem, ac magis calamitosum? Offeruntur tibi, in quibus uis præstanda erat, huius facultatis: tu uerò præsertim eam euertis, quādo apertam & prospicientem illam habere oportebat. Quin potius dijs gratias agis, quod te eminentiorem his faciunt, quæ in tua potestate esse noluerunt: ac duntaxat horum rationem reddere te uoluerunt, quæ præstare tu posses. Causam dicere de parentibus, de fratribus, de corpore, fortunis, morte, uita, non est necesse. Sed quid est de quo te rationem reddere uoluit Deus? Nempe de eo quod tu præstare potes te solo, ut uidelicet usus sis rerum uisis oblatarum. Etiāne asciscis tibi illa quæ ad te dum causam tuam dicis, nihil pertinent? Quippe id est, sibi ipsi negotium facessere.

Quemadmodum omnibus in rebus erga deos pietas præstari possit. CAP. XIII.

Inrogante quodam, qua ratione uescēs etiam Dijs placere posset? Si iustē inquit, & grātē, æquabiliter, continenter, modestē comederis: id ipsum nōne etiā est dijs placentem cibum capere? Quod si calidam te postulante, puer uel non auscultarit, uel audiens tepidiorem porrexerit, aut si domi non inueniatur, non propterea excandueris iracūmparis, dijs istud ipsum gratum

gratū non esse censes? Quisquāme ferre ista patienter potest? Mancipium, recusās sustinere fratrem tuum, qui Iouem habet parentem, tanquam filius ex eadem stirpe generatus, & ex eodem de supernis satu. Proinde si huiusmodi excelso in loco constitutus fueris, quamobrem tibi usurpabis tyrannidem? Non meministi qui sis, & quibus imperes? Nempe cognatis, itemq; fratribus naturalibus, necnon ijs qui prognati sunt à Ioue. At emptiij mei sunt, ipsi uerò nullo me emerunt precio. Vides quò respicias? nempe in terram, in barathrum, in erumnosas istas leges mortuorum, deorum autem leges non consideras.

A' numi he diuino omnia conspici.

CAPVT XIII.

PErcontante quodam, quemadmodum persuaderi alicui possit, ut quicquid faceret, istud à Ioue conspici opinaretur. Nonne, inquit, omnium rerum una est & continens natura? Videtur, ait. Etiamne terrena corpora affici à cœlestibus censes? Ita iudico. Vnde quòd sic rato ordine omnia fiunt quodam tãquam iussu Dei, ut cum præcipit stirpibus florere, floreant sanè, quando reuirescere, reuirescant, quando fructus proferre, eos proferant, quando maturescere, maturescant, quando deponere & abijcere folia, deponant & abijciant, atque in se inuoluta contracta q; stirpes ut conquiescant quum uoluerit, tum sanè à motu desistant quiescentes. Quid porrò causæ est, quòd incremento & decremento luminis Lunæ, item accessu & recessu Solis, tantæ mutationes & tam contrariæ tempestatum in his inferioribus excitantur? Etenim si folia, adeoq; corpora nostra sic deuincta sunt, huiusmodiq; cõtagine afficiuntur ab unuersitate rerum, multo id magis in animis nostris usu ueniet. At uerò animi similiter sunt nexi ac colligati ex Deo, quandoquidem particulae i-

Stoici naturam causam continentem appellant Deum.

plius sunt, & ex ipso delibati. Vtrum igitur nō omnem motum illorum tanquam domesticum, & cognatione quadam naturæ affinem, Deus exploratum habebit? Attamen de gubernatione diuina, præterea de singulis quæ diuinitus fiunt, quæq; humanitūs instituuntur ac gerunt, animo cōplecti potes, ac simul etiā ab innumerabiliū rerū sensu affici, rationes persequi, uel assentiendo, uel dissentiendo, uel sustinēdo & cohibendo assensum. A' iam multis insuper ac uarijs rebus impressas formas animo tuo cōtinens ab eisdem cōmoueris ad similes rerum notitias, earū quæ prius in animo impressæ erant. Artes alias super alias, ac memoriam infinitarum rerum complecteris. Ergo Deus (mens infinita) nō potest omnia cōtueri, ac uniuersis præstō adesse? & quandam penes ipsum omnium rerum dispensationem habere? Illustrare potest sol tantā uniuersi amplitudinem, paululū uerō quid sui luminis expers relinquere, & admodū exilē, si quis ipsum cōferat toti mundo, ac tantillū duntaxat quantum obiectu terræ differt, die umbræ qua lumen excludi ipsius contingit. Ille uerō fabricator solis, atq; agitator (quum sit pars ipse quoq; sol exigua, si eum uniuerso Dei operi cōferas) percepta & explorata nōne habebit omnia? Verū respondebis, ego his simul uniuersis nō possem adesse. Quis est qui tuā uim similē Iouis dixerit? Quinetiā suū cuiq; curatorē Dæmonem

Angelos seu
Dæmonas
custodes esse
hominiū,
Plato in E-
pinomide
ostendit.

(Larem appellāt latini) apposuit Deus, qui custos esset uigilantissimus, & quem latere nihil posset, aut fallere. Etenim cuiānam alij aut meliori aut diligentiori quemq; nostrū cōmittere custodi potuisset? Quāobrem clausis ianuis ac ualuīs, quū in tenebris cōsederitis, nolite dicere uos solos esse. non enim estis, nō certē estis: sed Deus est intus, & uester demō nō abest. His equidē ad uidendū lumīne, & ad cognoscendū uestra opera nihil opus est. Enim uero par erat uos etiā Deo obstrictos esse iure iurando,

iurādo, quemadmodum milites sunt Cēsari. At milites propter stipendiū iurāt, se Cēsaris salutē omnibus rebus anteferre. Vostantis & tam eximijs affecti beneficijs non iurabitis, aut iurati nō præstabitis? Ecquidnam vobis iurandum? Non rebellaturos unquam, aut incusatos, aut indignè laturos, ullam rem ab ipso vobis oblatam: necnon libenter facturos & perpeffuros, si fecerit ita necessitas, omnia.

Quid polliceatur philosophia.

CAP. XV.

PEtente quodam consilium, quī fratri suo persuaderet, ut tam morosus erga ipsum ac difficilis non esset: Istud philosophia, inquit, non profitetur, se posse nimirum rerum extra nos positarum compotes facere homines. Quod si ita non sit, externam quandam in qua elaboret, obtinebit materiam. Etenim fabri materia, ligna sunt: statuarij, æs: itaq; artis excolentis uitam, materia est sua cuiusque uita. Quicquid ergo suum est fratri, id ut excolat, suæ quoq; est artis & industriæ. Quod ad tuam pertinet artem, in numero ipse est externorū, ac similis agro, similis uoletudini prosperæ, ac honori, quorum nihil est quod nobis philosophia polliceatur. At in omnibus suscipiendis negocijs ut alterius cuiusdam mens consentaneè se cum rebus habeat, obseruare conor, ac præsertim fratris: in quo ipso iam occupor, quo nimirum modo efficere possim, ut tam implicabili animo in me non sit. Adduc eum mihi, & ei ipse ego dicam. Nam de iracundia ipsius quod apud te disseram, habeo nihil. Consultore porro dicente, quinetiam quæro illud quemadmodum (si is placari non patiatur sese) tamen commodissimè secundum naturam uti ualeam meipso. Nihil est, inquit, magnarum rerum, quod derepentè fiat: quandoquidem ne botrus quidem, aut ficus, Quod si nunc mihi dicas te cupere ficum, respon-

i 3 derem

*Iuuenalis,
Nemo repē
tē fuit tur-
pissimus:
Ergo ex cō-
trario, nec
optimus.*

derem sanē, tempore quodam opus esse. Sine prius ut
floreat, postea fructum producat, & maturitatē deinde
consequatur, ad extremum ficus tandem conspiciatur.
Vna hora & subito nō absolvitur. Mentis humanæ fru-
ctum tam breuī tēporis curriculo, ac tam sine negotio
acquisturum speras: id uerō moneo ego, ne expectes.

De prouidentia.

C A P. X V I.

NE admirationi tibi sit, quòd alijs quidem animan-
tibus ad corporis usum omnia sunt exhibita, ac
non modò uictus & potus, sed & latibula, simul etiam
quòd nō indigent calceis, nec stragulis, nec ueste, qui-
bus rebus nos omnibus indigemus. Hæc enim cū nō
sua sint ipsorum causa generata, sed usui nostro inser-
uiant, ita nasci ut illarum quoque rerum indigerent, ex
usu non fuit. Deinde istud quæso considera, quale fu-
turum esset, si quòd ad has res pertinet, eas non solum
nobis, sed etiam ouibus procurare oporteret, nec non
asinis, ut & quibus uestiantur, & calceos inducant pe-
dibus, & quemadmodum uescantur ac bibant curan-
dum sit. At quemadmodum milites parati assunt im-
peratorī calceati, induti, armati (nam si circumeuntem
tribunum oporteret mille calceos inducere, & uestibus
amicire, quàm molestum quæso esset & grauer) sic na-
tura apparauit hæc quæ usui nostro inseruīrēt, ut essent
expedita, & nullam curam nostram requirerent. Hæc
prouidentia sit, ut pulsio aliquis uniuersum gregem o-
uium bacillo deducat. At in huiusmodi beneficijs nos-
met minimè gratos exhibemus: & quod non tantun-
dem nostris rebus consulant, quantum nos eis curæ im-
pendimus, conquerimur coram Deo. At per Deos im-
mortales, nōne id unum satis esse potuit ad cognoscen-
dam prouidentiam Dei homini pudenti et grato: ne in-
terim memorem grandia illa, id scilicet ipsum, quum ex
pabulo nascitur lac, ex lacte caseus, ex pelle lana: quis
effecit

effecit aut excogitauit ista? Nemo, inquit. O' impudentiam & stuporem singularem. Age mittamus opera naturæ præcipua: ad minora hæc respiciamus, & quasi appendiculas maiorum operum. Quid barbæ pilis uilius? quin Deus his etiam usus est, quàm potuit, decentissimè. Vides ut his discreuerit speciem sexus uirilis à muliebri? Nónne cuiusq; nostrum natura eminus obtestatur, uir sum, sic me conuenias, sic mecum loquere, aliud ne quæras, inspicere signa. At rursus in muliebri sexu, ut admiscuit aliquid tenerius ac mollius in uoce, sic etiam glabrum & leue effecit corpus. An res ita non habet, sed indiscriminatum satius fuit relinqui corpus, ac uoce duntaxat significare quempiam se esse uirum? An insigne illud pulchrum non est, aut scitum, aut uenerandum? Quanto elegantius illud est crista gallinæ, aut iuba promissa leonis? Conueniens igitur fuit insignia Deorum tueri, & ea non abijcere, & sexus discretos non confundere, quantum in ipsis erat. An pro ut dignitas rei postulat, hæc possunt oratione satis uel laudari, uel representari? Num aliud quid oportebat nos (siquidem intelligentia in uobis est quædam) publice & priuatim facere, quàm laudare ac celebrare nomen, eiq; pro beneficijs in uos collatis gratias agere? Nónne & fodientes decet, & arantes, & comedentes, canere hymnum Deo? Magnus Deus, qui nobis instrumenta hæc quibus terrâ coleremus, exhibuit: magnus, qui nobis manus dedit, itē ut gula deglutire possemus, qui uentrem, qui incrementa corporis occulta, qui ut sopiti somno possemus spirare effecit. Pro his uniuersis laudare Deum decebat, ac præstantissimum diuinissimumq; hymnum accinere, confessionem hanc expri mentem, quòd nimirum dederit nobis facultatem assequentem hæc omnia, ac certa uia rationeq; ijs utentem. Quid igitur fit? Quandoquidem plures cæci esis, an
non

Barba de
cet philo-
sopham. u

Hymnus
Deo canen-
das.

non esse oportet aliquem isto munere fungentē, & pro omnibus debitam laudem Deo exhibentem. Etiam ne aliud ego præstare possum senex claudus, quàm celebrare Deum. Etenim si luscinia essem, facerem quod solent luscinia: si cygnus, cygni more canerem. Atqui compos sum rationis. Itaque hymno mihi celebrandus Deus: nam meū illud est officium, quod sanè præstabo, nec deseram ordinem hunc quoad eius possum: uosq; uiridem faciatis, atq; eadem incedatis uia, hortor.

Necessariam esse artem Logicam.

CAP. XVII.

Q Vandoquidem ratio alijs euoluendis atque explicandis adhibetur, haud ipsam perspicuitate uacare decebat. At quānam ratione alia intelligentia rerū plana erit & euidens. Enimuero aut ipsa à semet ipsa perspicuitatem habebit, aut ab alio eam consequetur quodam. Ergo aut ratio erit explanatrix rationis, aut ratione aliquid melius: quorum utrunq; absurdum est. Nam si ratio fuerit, ut euidens sit, aut habebit ex sese perspicuitatem, quare ea contenti erimus, nec aliud desiderabimus: aut ex alia declarabitur. Ergo hæc rursus ex alia, ac sic infinitè accumulabūtur rationes, si earum proprium sit alijs declarari. Attamen ut ei arti demus operam, nihilominus hortantur nos similia quædam. De his si quid uis audire, adhibe aures. Proinde autem tu si dixeris: si quid uerum aut falsum differendo proponatur, me non animaduertere, aut si quam protulero uocem ambiguum, admoneasq; ut distinguam, non æquo animo sum laturus, quin ipse potius istud tibi subiiciā. At illos sic urgere solebat impensius. Hanc ob causam opinor nobis proponunt Logica, quemadmodum uidelicet ante mentionem frumentorum proponimus cognitionē mensuræ. Quòd si ergo prius exploratum de modio non habuerimus, aut si libra cognita prius non fuerit,

ipse tamen non assequatur intelligentia, nimirum multo erit interprete arrogatior. At uero ne Chrysippo quidē nobis est opus quia Chrysippus, sed ut percipiamus ea quæ naturæ sint propria. Neque uero ipsum propter se sacrificium requirimus, sed quo ualeamus futura, et ea quæ significantur à dijs, percipere. Neque uiscera propter se, sed ut quid his significetur certum sit, inspicimus. Coruum quoque & cornicem haud miratur quispiam, sed Deum qui his demonstrat aliquid. Accedo itaque ad horum omnium naturæque legum interpretem & aruspicem, petoque ut inspicat uiscera, & quid ea significant, declaret mihi. Hæc arripienti ille, atque patefaciens, quod uolo explanat. Scito, inquit, homo, te habere arbitrium natura liberum, quod prohibere nemo possit, nemo uolenter impellere. Id in his nimirum uisceribus est descriptum. Ostendam id tibi primum eo loco, quo præsertim mihi assentieris. Num quis prohibere potest quo minus annuas uero? Nemo. Num cogere potest ut falsum animo tuo approbes? Nemo. Vides ergo quemadmodum hoc loco uoluntas & arbitrium tuum appareat liberum, ac nulla deuinctum necessitate, atque prorsus expeditum? Agere porro, num secus res est comparata in appetitu atque incitatione uoluntatis? Ecquid nam appetitum uincere potest? Alius appetitus certe. Inclinationem & propensionem quid impedit? Profectio inclinatio alia, & propensio. At inquit, si mihi mortis proposuerit metum, cogit me. profectio non quæ proponitur mors in causa est, sed quia uidetur tibi melius esse facere quiddam istorum quam mortem oppetere. quare tua opinio coegit te, id est uoluntas uicit uoluntatem. Proinde peculiaris hæc est nostri pars: quam nobis contulit Deus opifex: quam si euellens à nobis hac natura efficeret, ut nil ab ipso, uel ab alio quopiam cogi posset aut impediri, profectio pro Deo non esset habendus: nec

dus: nec sanè eo, quo æquum erat, modo nos curaret. Huiusmodi, inquit, reperio in his sacris, hæc tibi significantur. Si uis, liber es. Si uis, nemini eris iratus, neminem accusabis. Omnia ex tui animi, itemq; Dei sententia euenient. Causa istius ergo responsi ad aruspitem, eundemq; philosophum me confero: non quia ipse sit interpret talium rerum admirans ipsum, sed propter res, quas sua is interpretatione in medium affert,

Non exandescendum esse peccantibus.

CAPVT XVIII.

Siquidem uerum est quod dici à philosophis consue-
uit, unum in uniuersis hominibus esse principium
& assentiendi affectioni, quod in his est quæ esse dicun-
tur, & recusationis affectionis, quod numeratur in non
existentibus, & per Iouem, cohibitionis etiam & ex-
pressionis affectus animi, quod est in incertis, quin e-
tiam incitationis in affectum, quæ pertinet ad illa quæ
mihi conducunt: fieri cerè nequit, ut alio dijudicemus
utile, & alio id ipsum desideremus: aut alio discernamus
officium, & alio id ipsum appetamus. Enimuero com-
pluribus irascimur. Fures (inquit) sunt, & clam ue-
stimenta suffurantur. Sed quid tandem sibi uult dum sic
inueuehitur in illos? Errore quodam falluntur in bo-
nis ac malis rebus dijudicandis. Num ergo irasci illis
conueniet magis, an uerò misereri. At errorem osten-
de. Considera porro qui possint desistere à pecca-
tis. Quum nihil uident, haud aliquid eminentius ha-
bent eo quod ipsis uideatur. Quare hunc prædonem,
illumque adulterum pœnam dare tibi non oportebat?
Nequaquam. At multo magis hunc qui oberrat &
decipitur in rebus maximis: quique non oculis, qui-
bus discernuntur alba à nigris, sit captus, sed animo,

*Nam ut A-
ristoteles
ait, in appe-
titaliquod
instar est
affirmatio-
nis et nega-
tionis.*

cuius est boni malique discretio. Ita si sentias, quam inhumanum sit, quod dicis, agnosces: ac perinde istud dici cognosces à me, atque si quis non perdere cæcum aut surdum suadeat. Cæterum maximarum rerum detrimentum quoque est maximum. In quouis autem nostrum est arbitrium, quo deligere potest qualia nimirum sunt deligenda. Eo quispiam si priuatur, quid ei quæso succentes? Homo, non decet ut contra naturam alienis in malis animo male afficiaris: potius commiserare ipsum. Aut ne obstupescas pulchritudine mulieris, & sic adultero non eris iratus. Cogita furem & adulterum in tuis bonis locum non habere, in alienis tantum & quæ in potestate tua non sunt. Hæc omitte, & pro nihilo reputans, quis erit cui tu succenses? Quoadusque uerò ista tu admiraberis, tibi ipsi iratus potius quam alijs esto. Considera hoc. Pulchra habes uestimenta. Vicinus tuus non habet. Valuam habes, qua suspensa hæc perflatur refrigerentur. Haud scit ille quòdnam hominis sit bonum, sed opinione adumbrat id ipsum esse, pulchras habere uestes, quæ tua quoque est persuasio. An sic existimans non ueniret postea, & tolleret? Proinde etiam placentam ostentans hominibus liguritoribus, quam tu solus tamen deuores, non uis tibi hanc eripi? ne irritaueris illos: ne ualuam habeas qua uentilentur uestes tuæ. Ego nuper cum haberem ferreum candelabrum iuxta deos, ac fores concepuisse cum audissem, statim accurri, & surreptum candelabrum sensi. Cum mecum reputarem factum, animaduerti furem non sine ratione id consilij coepisse. Quid ergo? Cras, dixi, reperies argillaceum. Illa nimirum quis amittit, quæ habet. Perdidi uestem meam. Habebas ergo uestem. Dolet mihi caput. Num cornua tibi dolerent? Quid iniquo es animo? Abolitiones talium rerum, dolores item: sunt, quarum possessio

sefsio quoque est. Tyrannus uinculis capiet. Quid, num crus? Quin etiam auferet quid. Num ceruicem? Quid est tandem, quod nec uincire nec eripere potest? Voluntatis studium. Quò respicientes ueteres, monuerunt ut aliquis se ipsum cognoscat? Quid igitur fieri conueniebat? Per deos, experiri quemque uires suas, ac meditari in rebus paruis, & ab his incohantes progredi ad maiora. Caput dolet. Ne dixeris, Heu mihi. Auris malè habet, sed heu ne dixeris. Atqui à natura datum non esse gemitum haud dixerim, ueruntamen ex animo ne ingemiscas: nec si seruus tardius afferat uinculum, in clamores prorumpe, ac diuexare, ab omnibus te odio haberi clamitans. Et profectò quis non odio persequeretur talem? Huiusmodi itaque obediens præceptis, in posterum rectè ambula, sisq; liber, non magnitudine corporis confusus ut luctator: non enim eodem modo, quo asinum, inuictum esse oportet. Quis ergo est insuperabilis? Quem res quæ sub delectum & arbitrium nostrum non cadunt, ab animi constantia non depellunt: ac deinde singulatim omnes commemorans casus, deprehendam ipsum, experiarque tanquam athletam. Prima fortitione superior is fuit. Sed in secunda qualem se præstitit? Qualem se exhibuit in magnis ardoribus, qualem in Olympia. Haud longè secus in præsentia faciendum. Qualis erit, si obieceris pecuniolam? contemnet. Qualis si puellam, si in tenebris, quid si gloriolam, quid si contumeliàm uerborum, si laudem, si mortem obtuleris? Potest hæc omnia uincere. Quid quæso si multus calor affligat, quid ei erit? quid si compluatur? quid si in mœstitiàm melancholicam incidat? quid dormiens? Ille est, quem

ego inuictum censeo esse

athletam.

k 3

Quomodo

Quomodo affecti erga tyrannos esse debeamus.

CAPVT XIX.

SI quid fuerit quo aliquis præ cæteris emineat, aut uideatur esse, quod tamen reuera non habeat, cum omnino necesse est, si sit indoctus, propter idipsum inflari. Tyranni hæc uox est: Ego sum omnium potentissimus, ecquid est quod dare mihi possis? Num appetitionem meam potes mihi expertem impedimēti præstare? Vnde istud tu mihi exhiberes? Tūc es declinando tam circumspectus, ut in nullum incidas uitium: consecretando aut tam prouidus, ut nusquā pecces? Vbi nam tibi hæc præsidio sunt? Agē, in naui gubernanda num ipse tibi confidis, an gnaro potius gubernatori? & in regendo curru cui? nonne scienti? Quid alijs in artibus soles facere? Idem profectò. Quid igitur tandem est quod possis? Omnes mihi ministrant. Nam ego tabulam adorno, & lauo & extergo eam, & propter myrothecā infigo paxillum parieti: num propterea meliora hæc sunt quàm ego sim? Nō, sed usum mihi quendā præbent, cuius gratia ista apparant. Num asinū non accuro, nonne ipsius lauo pedes: et quominus sit strigosus, como ipsum strigili. An nescis, sui quēq; hominē curatorē esse: te uerò ab alijs tanquā asinū curari: aut ostende quā te tanquā hominē curet, aut qui similis tibi esse cupiat, aut qui imitetur quēadmodum Socrates ad imitandū proponi solet. Attamē in potestate mea est ut te iugulē. Bene loqueris. Nesciebam te hūc ad modū colendū quo febris, aut cholera colitur: & aram itē ædificandā, ut Romę cōstituta est febrī. Quid ego est quo turbant & terreni plerique? Tyrānus scilicet, & stipatores ipsius. Istud under: at nequā quā est consentaneū. Fieri enim nequē, ut quod suapte natura liberū est, id ab alio quodam turbetur, aut prohibeatur, præterquā à seipso. Sed opiniones ipsum perturbant. Quādo enim tyrānus dixerit alicui, Vinciam

cura

Febris ara.

crura tua: q magni fecerit pedes suos, Miserere, inquit qui uerò ad delectū rerū respicit arbitrariū, ait, Siquidē utilius tibi istud uideatur, liga. Nō sollicitus es: utiq; nō sum. Tibi enim ostendam me esse dominū. Tu quomodo istud mihi probabis? Iupiter me libertati asseruit, an putas potuisse fieri ut filiū suum abripi in seruitutē sinneret: Tu uerò in potestate tua habes id quod in me est caducū & mortale: quod si uoles, capito. Quando me accesseris, num recusatis me colere? Nō te, sed me ipsum, colā si uoles ut assentiar, ac dicā metibi etiā exhibiturū cultum, fatebor sanē, sed non secus atq; ollæ alicui. Atq; id ipsum uitiosa nō est philautia, id est, amor sui. Quoduis enim animal sua causa facit omnia. Etenim & sol ipse sua causa uniuersa efficit, & Iupiter quādo grauis est tempestatibus ac molestus. Etenim quum pluuiosus est, ac fructuosus, deniq; pater hominum & deorum, non intelligis hunc opera huiusmodi & appellationes conferre qui non posse, si in commune utilitatem nullam conferat. In uniuersum autem sic instituit naturam animalis ratione præditi, ut ipsum propriū bonū consequi nullum possit, quod cum utilitate communi non sit cōiunctum. Qua ratione efficitur, ut nequaquam cōmunicationis sit expers, quod sua causa aliquis facit. At quid inde colligis? Istud nimirum, ut à suis & priuatis cōmodis desistat quispiam. Alioqui enim quomodo unum erit idemq; principium uniuersorum, aut quæ erit cognatio omnium? Quid eueniet, si de rebus quæ in potestate nostra nō sunt bonis & malis, prauæ & absurde opiniones imbuant nos? omnino enim necesse erit sic affectis tyrannos colere, atq; utinā præter ipsos nō seruirēt quoq; cubicularijs. Sed quī sit ut subito fiat prudēs, quē Cæsar præfecerit curruī quo stercorea euehūtur: mox dicimus, Quām sapiēter mecū locutus est Felicio. Utinā denuò reijciat ad sterquiliniam, ut iterū p stolido haberes ipsum.

Boni practici proprium.

Felicio.

Habuit

*Epaphrodi-
tus libertus
fuit Nero-
nis.*

Habuit quendam sutorē Epaphroditus, quē quia nullo ur-
sui sibi esset, uēdidit. Is fortuna sic impellēte, emptus est
à quodā Cæsariano, cœpitq; esse Cæsaris sutor. Vidisti
opinor quēadmodum ipsum postea Epaphroditus ob-
seruarit. Amabo te, quid quæso agit bonus Felicio. De-
inde si quis nostrū percōtaretur, quidnam ageret ipse:
subinde respondebat, q; quādā de re cum Felicione con-
sultasset. Nōne hunc uēdidit ut inutilē? quis ergo eum
tam repentē sapientē effecit? Id ne aliud quiddam est, q;
colere ea quæ in potestate nostra nō sunt? Præfecturam
adeptus est, omnes obuij gratulabātur ei, quidā osculaf
oculos, alius ceruicē, serui manus. Domū uenit, collucēt
omnia lychnis, ascēditur in Capitoliū & sacrificat. Quis
uerō unquam ut appetitus essent sancti immolauit, quis
ut studia & conatus nostri secundū naturā se habeant?
Certē pro his etiā dijs gratias agimus nos, qui bonū sic
definimus. Quidā hodie mecū locutus est de sacrificio
Augusti. Dixi ego, ut omitteret illud: fore enim ut ma-
gnos sumptus frustra faceret. At nomē clatores, inquit,
meum quoq; consignabunt ac scribent nomen. Num-
tu, inquam, ades præstō lectoribus, ac te esse eum qui in-
scriptus sit, ostendis? Et ut possis esse præstō iam omni-
bus, post mortē quid facies? Permanebit nomē meum.
Incide igitur ipsum potius in lapidē, ne sic quidem ab-
olebitur. Agē uerō si extra Nicopolin sis, quis tui recor-
dabitur? At coronam auream gestabo. Si decretum id
tibi est, roseam potius arripe, ac impone tibi; magis e-
nim hæc condecorabit.

Deratione, ut ipsa sese contemplari possit.

C A P V T XX.

OMnis ars & facultas principalit̃ quorundā cogni-
trix est: quod si ipsa quoq; scientia seu ars eiusdem
speciei ac sub eodē genere est, quo sunt illa quæ cogno-
scit, necesse erit ut semetipsam q; contēpletur. Si uerō
genere

genere duntaxat conueniunt, nequit fieri sese etiā ut cognoscat. Verbi gratia, Sutoria coriorum cognitione occupata est: ipsa uerò ars omnino ex materia corij nō est constituta: quare artis sue sutor non erit contemplator. Proinde grāmatica quoq; scribendarum uocularū cum sit scientia, non quoad in mente ars est, ipsa quoq; ex numero est uocū quæ scribi possunt, quare ipsa sese etiam non contemplatur. At ratio & mens cui rei secundū naturam suam applicatur? Ad id nimirum, ut utatur uisis prout est consentaneum. Ipsa ergo quidnam est? Collectio ex aliquo modo se habentibus uisis. Hac natura efficitur suisplius etiam contemplator animus. Præterea prudentia unde prouenit, & quibus contemplandis nascitur ipsa? Bonis uidelicet, ac iuxta malis, et neutris. Proinde ipsam quid esse dicemus? Bonū. Quid imprudentiam? Malum. Ergo necesse est ut cum ipsa sese contempletur prudentia, tum contrarium quoq; suum, nempe imprudentiam. Ex quo concludendū, philosophi minus illud longē esse maximum & præcipuum, ut aestimare uisa possit, ac diiudicare, ac sine deliberatione nihil proferre. Considerate quid fieri in moneta soleat, quando ad nos pertinere & nostra referre uidetur, ut eius simus gnari. Eius quidem cuiusmodi sit inuenta ars, & argentarius quibus utatur ad explorandū nomisma, oculis uidelicet, tactu, olfactu, postremo auditu quoq; quis nescit? Violenter enim in aliquo illidens denarium, sono attendit. Quinetiam contentus est non semel uibrato neruo, sed multa sonorum attentione tandem efficitur musicus. Haud secus fieri consuevit, quando errare & non errare pro discrepantibus numeramus: tum ad discernenda ea quæ in errorē nos possunt ducere, multam adhibemus diligentiam. Cæterū oppressa ratione (quæ est dux uitæ) oscitantes ac consopiti, omnia quæ uidentur nobis, approbamus, Atq; id adeo propter impunita-

Quia scientia eadē est contrarij.

tem fieri solet. Vt ergo sis affectus animo, si exploratum habere cupias, & in malis bonis que rebus dijudicandis quanta remissio, ac rursus quanta contentio studiumque ad ea sectanda in quibus nihil est momenti quo sis bonus uel malus, si inquam cognoscere id expetis, animaduer te et considera quemadmodum ad occupationem habear, & quam facile fraus tibi fieri possit: & sine dubio intelliges, quam longè ab sis à iudicio, quo uti afficique oportet aliquem bonis ac malis rebus discernendis. At id ut possis, multa exercitatio, multusque labor, & disciplinarum studia requiruntur. Quid ergo speras? Maximam scilicet artem te paucis complecti posse? Enimvero primitiæ & tanquam summa capita rationum pauca traduntur à philosophis. Si cognoscere cupis, lege Zenonis scripta, & uidebis. Quam quæso remotum est illud à prolixitate uerborum, quod dicitur, finem esse hominis sequi deos? Item, substantiam boni esse, ita ut conuenit uti uisus? Iam dic quid sit Deus, quid percipiens uisa facultas, quid illa quæ sigillatim uisis suis se nobis repræsentat, quæ natura uniuersorum, id omne multas habet ambages, & explicatio ne multiplex est. Quum ergo Epicurus dixerit, quod respectu carnis describendum sit bonum, non paucis uerbis id explicari potest, nec disputando refelli. In primis audire necesse est, quid in nobis principatum habeat, quid deinde substantiam (qua maxime dicimur esse) constituat. Ac præterea sic argumentari, si consentaneum non sit studii bonum ipsius cõchæ adscribere, quum magis consentaneum istud erit in homine? Aliud quiddam habes Epicure, quod præstātius sit corpore? Quid quæso est in te quod consilium capit? quid illud quod cognoscit singula, atque adeo carnem quoque ipsam, quo perspicuum sit id ipsum etiam esse eminentius, eo quod iudicet. Quare lucubrationibus studiisque te maceras propter nos, ac tam multa conscribis uolumina? ut nimirum nos ne lateat

teatueritas. Sed qui sumus nos, aut quid ad te id quod sumus? Hoc sanè modo plixè contexunt disputationes.

Ad illos, qui cupidi sunt admirationis. Cap. XXII.

Quando quis ea constantia peditus est in uita, quae esse cōuenit, extra se is nō respicit, inhians alijs. Homo, quid uis ut tibi contingat? Ego quidem contentus eo sum, si possim omnia prosequi & uitare prout natura postulat. Itaq; quum apperendo & fugiendo, ut natura fert, consentaneè utar, item si applicatione, diligenti contemplatione, item cōnexione rationum talem me praeferre coner, qualem oportet, quid quaeso nostra causa deglutiens obeliscos obambulas? Istud facio iccirco, ut qui fiunt obuiā mihi, admirentur, ac sequentes acclament: O insignem philosophū. Quinam sunt illi, apud quos expetis esse in admiratione? nōne hi sunt, quos solè appellare insanos? ergo uis, ut te admirent insani?

De primis notitijs. Cap. XXIII.

Communes notitiae omnibus hominibus sunt insitae, quarum una alteri repugnare non solet. Quis enim nostrum nō sentit, bonum esse utile & desiderabile, ac omnibus studijs id procurandū atq; consecrādum esse? Quis nostrū animo nō sic est affectus, ut nō opinetur id quod iustum sit, id ipsum quoq; honestū & decorum esse? Vnde igitur contentiones existunt & pugnae? Ex applicatione nimirū primarū notitiarū, si adhibeantur rebus singulis: ut si unus dixerit, rectè fecit, uir fortis est: alter neget, & insipienter dicat faciū. Inde adeo dissidia hominum inter ipsos oboriuntur. Atq; haec est discordiae inter Iudaeos, Syros, Aegyptios, Romanos causa. Non enim in eo pugnat ac diuersum sentiunt, quod uidelicet sanctum omnibus sit rebus praepōnendum, & in uniuersis consecrādum: sed in eo, utrum suilla uesiciū sit, an uerò impium. Eandem reperietis fuisse causam litis eius quae fuit Agamemnoni cum Achille. Pro-

duc eos in medium. Quid uerò tu ô Agamemnon sentis? num quod rectum est & honestū, non oportet fieri? Equidē oportere censeo. Tu uerò Achilles quid dicis? an displicet fieri id quod honestū? Maximè uerò hæc mihi arrident, & his nihil melius arbitror. Accōmodate igitur rebus præsens notitias primas. Inde initium dissidiorum. Vnus sic disputat, non oportet me Chryseida patri reddere. Alter, oportere censet. Quo fit, ut alter rectè accōmodet suam sententiam ad id quod cōuenit fieri. Iterum opponit alter: Igitur si decet atq; oportet restituere Chryseida, de uestris manubijs ut accipiā aliquid oportebit. Num ergo meam (alter inquit) arripies amicam? Tuam uerò, inquit, ego accipiam. Num ego solus habeo? Num solus deinde ego nō habeam? Sic bellum incipit. Quid ergo est institui & erudiri? Discere naturales notitias accōmodare singularibus rebus conuenienter ipsi naturæ. Ac præterea discernere, quòd quædam sint in potestate nostra, nonnulla autē non in nobis esse posita. In nobis esse, deligendi potestatem, & omnia quæ ex arbitrio pendent uoluntatis opera. In potestate uerò nostra non esse corpus, partes corporis, possessiones, parentes, fratres, liberos, patriā, deniq; omnes quibus cum nos cōmunicamus. Vbi ergo collocabimus bonum? cui rei ipsum applicabimus? num ei quæ est in potestate nostra? Deinde pro bonis habenda nō sunt sanitas, integritas sensuum, uita? adeoq; nec liberi, nec parentes, nec patria? quis te ista differentem feret? Trāseramus id quod disputatur, ad cōditiones illas. Contingit ne eum cui nocetur, aut qui compos nō sit bonorū, beatum esse? Non contingit. Num sic affectus conuersari cum his ritè potest, quibus cum ei uiuendum est? sed quoniam istud modo possit? Ego quidem certè natus sum ad meum adipiscendum cōmodum. Enimuerò si prodest mihi habere agrum, proderit etiam habere uestem, quinetiā proderit sur-

rit surripere eam ac suffurari ex balneo: Inde existunt bella, contentiones, tyrannides, insidiæ. At ratione hac qui potero Deo cultum debitum præstare: Nam si damnis afficiare, ac rebus aduersis nullo uiuam successu, haud me curabit scilicet. Quid ergo mihi cum isto negotij esset, si iuuare non potest: aut iterum quid mihi cum illo, si me in his uult esse malis, in quibus sum: De cætero itaq; odio hunc prosequar. Quare templa construimus, quare erigimus simulacra: nonne cultus isti exhibetur ut ueio- uibus, ut febrî, sic Ioui sacra faciã: qui uerò deinceps appellatione habebit salutaris, aut pluuialis, aut fructuosus: Enimuerò si pro bonis ista habeantur, hæc omnia consequi necesse erit. Quid ergo faciemus: Inquisitio hæc est philosophantis reuera & parturientis. In præsentia enim non perspicio quid bonum ipsum sit, aut malum. Nonne pro insano habeor: certè quidem. At ubinã ponam bonum ipsum: In his actionibus quibus uoluntas præficitur. Sed omnes me irridebunt. Veniet canus senecio, in digitis annulos plures aureos habens, qui quatiens caput sic mecum loquetur: Audi me ô fili, philosophari quidem conuenit, at nihilominus, & cerebrum habere oportet. Stulta hæc sunt. A philosophis syllogismum discis, tibi uerò quid faciendum sit, melius nosti quàm philosophi. Quid igitur me reprehendis si noui: Huic itaque quid respondendum erit mancipio: Si taceam, rumpitur (præ arrogãtia). Quid igitur ei respondendum: Istud nimirum: ignosce mihi tanquã amatori, non sum in mea ipsius potestate, sed insano.

Ad Epicurum. Cap. XXIII.

EPicurus etiam intelligit, natura nos esse ad societatem uitæ propensos: sed semel in concha bonum ipsum collocans, aliud nihil potest præterea sentire ac loqui. Huic enim arctissimè est affixus, nec ab ea auulsum aliquem censet oportere uerum bonum uel admirari, uel

1 3 appro-

approbare: & certè id ipsum quod sentit, præclare tueretur. Quí ergo nos pro temerarijs habebimur, in quibus affectus erga liberos naturalis nullus est? Tu uerò Epicure, quamobrè dissuades sapienti, ne educet liberos? quid reformidas? Istud uidelicet, ne incidas in molestias quasdam. Etiam propter murem qui in penetralibus nutrit, molestia quispiam afficitur: quid ergo refert, si minutum musculum in conclauí silentem audiat? At nouit Epicurus, simul ut infans sit in lucem editus, in potestate amplius nostra non esse, ut amore erga ipsum aut sollicitudine non afficiamur. Ob eandem causam ne in republica quidem uersandum sapienti censet: nouit enim quid sustinendum publicis negotijs occupato. Quòd si perinde id comparatum sit, atq; si inter muscas uersaret quispiam, quid prohibet abstinere? Ignarus itaq; talium rerum, causam conatur dicere, propter quam liberos non suscipiamus. Sic enim disputat: propter affectum naturalem ouis quod ex se procreatum est non deserit, neque etiã lupus, num igitur homo deserere poterit? Quid uis, mi Epicure, num ita stupidos uis nos esse ut sunt oues, quandoquidem ex se nata non destituunt: num tam feroces quàm sunt lupi, qui & ipsi hac natura sunt, ut fecum suum non respuant? Age uerò (respondet Epicurus) quis parebit quæso suasioni tuæ, conspiciens filiolum suum concidentem in solum, & ciulantem? Arbitror profectò, si mater paterq; tuus diuinare potuissent re huiusmodi dicturum sententiã, nullam in te enutriendo suscepturos fuisse operam.

Quomodo decertandum contra res aduersas. Cap. XXIII.

ADuersæ res sunt, quibus declarantur uiri. De reliquo si adieris discrimen quoddam, cogita quòd Deus te tanq; aliptes, agresti cuidam et fero adolescenti obiecerit. Quare id fecerit, interrogas? Vt nimirum eadè in uictorem in Olympijs. Absq; sudore id non contingit,

Inter appetitum naturalem & rationale stolidus Epicurus non distinguit.

tingit. Mihi quidem uidetur aptiorem fortunam subijſe neminem, quàm tu subieris: ſiquidem uoles tanquam athletes, cum illo adolescente depugnare. Hanc ob cauſam nos etiam Romam ſpeculatore[m] mittimus. Ceterum timidum ſpeculatore[m] nemo mittit, qui ſonitum quendam duntaxat ſi audiat, uel umbram alicubi conſpictus ſit, mox tremebundus accurrat, hoſtesq[ue] iamiam ad eſſe nunciet. Haud longè tu ſecus feceris in præſentia, ſi ad nos profeſtus, denuncies, quæ Romæ fiant, eſſe plena terroris; ſentiasq[ue] miſerã eſſe mortem, calamitoſam fugam, grauem ignominiã, ærumnoſam paupertatem. Conſulite uobis fuga o uiri, adſunt hoſtes. Atqui dicemus tibi: Diſcede, tibiſi illa prædixeris. Noſtrū unum id peccatum eſt, quòd talem miſimus ſpeculatore[m]. Ante te ſpeculator Diogenes miſſus, alia nobis nunciauit: nempe mortem non eſſe in malis, turpe quiddam enim non eſſe. Aſſirmat etiam, cõtemptum eſſe ſonum furioſorum hominũ. Sed qualia ſunt quæ ſpeculator ille diſſeruit de labore, de uoluptate, de paupertate? Quin etiã exercitationem potiore[m] eſſe quauis prætexta, in ſolo ac pauimẽto nudo dormire delicatiſſimũ eſſe lectulum: quibus rebus ut fidem faciat, ſuam proponit fortitudinem, ſuam conſtantiam, & libertatem. Deinde corpus quoq[ue] ſqualidũ & penitus gracile. Nullus, inquit, in propinquo eſt hoſtis, omnia ſunt pacata. At quo pacto, o Diogenes? Ecce, inquit, conſidera nunquĩs telum in me coniecerit: uulnus inſiſſerit: nũ quem fugerim? Hic eſt, qualem eſſe oportet ſpeculatore[m]. Tu uerò nos accedens, alia ex alijs narras. Nonne remeabis & accuratius cognosces abſq[ue] omni formidine? Quid ergo agam? Quid ageres? Egrediens e nauĩ, num clauum tecum aufers, num remos? quid ergo accipis? Tua uidelicet: uaſculum uitreum, itemq[ue] peram. iam nunc uerò ſi memor ſis tuorum bonorum, alienorum nunquam eris ſtudioſus. Iu-
bet

bet quispiam præcipiens ut latum deponas clauum: ecce angustus clauus, etiã hunc depone: en uestis simplex, etiã uestem abijce: ecce tibi nudus sum. Adhuc me facis inuidiosum: accipe præterea totum corpus, num for midine aliqua corpus me terrebit, quod ipsum quoque abijcere possum: Proinde hæredem me non relinquet. Etiãne illud ad me: non oblitum censes, horum nihil fuisse meũ: Quo pacto igitur hæc nostra esse dicemus: Tanquam grabbatum in publico diuersorio. Quando enim hospes diuersorij obierit, tibi relinquit grabbatos: quod si aliq, is nimirum habebit, tu uerò alium tibi comparabis: quem si non inueneris, humi quiesces in utrãq; aurem, (ut dicitur) dormiens ac stertens: memor uidelicet tragœdias repræsentari de regibus, itemq; opulentis & tyrânis, locum uerò in Tragœdia pauperi nullũ esse, nisi adlit tanquã saltator. Reges quidem inchoant à bonis, Domos coronate, deinde circa tertiũ aut quartum actum uociferantur, ô Cithæron quare me suscepisti: Mancipium, ubi corollæ, ubi diadema est: nihilne tibi profunt stipatores: cùm ergo quem istorum accesseris, memento te ipsum autorem Tragœdiæ, non actore accedere: id est, ad ipsum Oedipoda. Atqui beatus hic uisetur, quoniam multis comitantibus incedit. Quid uetat quominus ego etiã me cum multis iungam, ac cum his stipatus ambulem: Id quod caput est considera, † ianuam scilicet esse patefactam. Ne esto pueris timidior. Sed ut pueri, si ipsis quod agitur displiceat, non amplius se collusuros inquirunt: sic tu, cùm res humanas sic comparatas perspexeris, abstine, ac lusum te aspernari dicito: aut si manes, ne lachrymeris.

Quæ ad eandem sententiam faciunt.

Cap. XXV.

SI uera hæc sunt, ac uercores esse, aut simulare saltem Snolimus, sed seriò opinemur bonũ hominis itemq; malum esse in uoluntate, ac præterea quæ sint nõ pertinere

*sophocl. in
tyrãno Oe-
dipo.*

*† Ianuã ap-
pellat exitũ
ẽ uita, quo
quis libera-
tur omnibus
in uita hac
cruminis.*

nere ad nos, quid tãdem erit quo perturbari nos conueniat: quid pertimescendũ nobis prætereat. In quibus tantum studiũ ponimus, horum nihil est quod in potestate sit cuiusq̃. Certẽ quæ in potestate sunt aliorum, ea curæ nobis esse nõ solent. Sed quid tandem est in quo deceat nos esse occupatos, istud ergo mihi præcipe. Quid tibi ego præcipiam: an Iupiter tibi præcepta non dedit: nõn ne largitus est tibi, quæ tua propriè sunt, quæ nec prohiberi, nec impediri possunt: quæ autem tua non sunt, ita instituit, ut & prohiberi & impediri possent. Quod igitur mandatum habens huc uenisti, inde profectus: quale præceptum? Nempe conatu omni adserua quæcunq̃ sunt tua, aliena uerò ne desideres. Tua est fides. Quis eripere tibi ista poterit: aut quinam alius prohibebit quominus utaris istis, siquidem tu tibiipsi non fueris impedimento: Sed quo pacto impedies ipse te? Quãdo ea quæ ad te pertinent, nullo proseguare studio, tum nimirum tua amisisse dicendus es. Huiusmodi quidẽ à Ioue mandata & præcepta habens, qualia ex me audire præterea postulas? Num ego melior sum illo? num fide dignior? num si ea custodieris, quibusdã præterea alijs tibi erit opus? At de his nihil ipse præcepit. Propone tu tibi primas notitias, affer in medium demonstrationes philosophorum, recita quæ sape audisti, cõmemora quæ tu ipse aliquando dixeris, repete quæ legeris, quæ excogitando meditatus es. Quamdiu custodire hæc semel approbata decebit, & scenæ ludicroq̃ inseruire contueniet. Usque dum extremus peragitur actus scilicet. Saturnaliũ diebus rex designatur quispiam: huiusmodi enim ludo his diebus quidam animi gratia utuntur. Sic Saturnalius ille rex præcipit suis: Tu bibe, tu pocula misce, tu expelle, tu discede, tu accede. Obedio, ne propter me ludiciũ illud dissoluatur. At tu suspicaris te in malis esse? non opinor: nam quis me istud opinari cogit? Convenit
m rursus

rursus inter nos, ludo representare ea quæ acciderunt Agamemnoni & Achilli. Qui personam gerit Agamemnonis, sic mandat mihi: Achillem accedito, & ab eo adduc mihi Briseida abreptam. Exequor mandatum, si dicit, Veni, uenio. Nam ut in hypotheticis rationibus nos gerimus disputando, sic uiuendo etiam oportet nos rationibus seruire. Sit nox. Esto. Quid igitur? num dies est? Non positum enim à me fuit, noctem esse. Esto te concedere mihi ac opinari noctem esse, ponatur. Quin etiam statues mihi noctem esse. Id non sequitur, gratia eius quod positum erat. Idem in uita & moribus quoque accidit. Esto, te esse calamitosum. Sit. Ergo infortunatus etiam es? Ita profectò. Igitur aduersa fortuna afflictaris, ergo in malis te esse constitues. Istud ad id quod ponitur, non sequitur, & est alius quidam qui me hoc dicere prohibeat. Sed quousque tandem his rationibus obtemperandum? quoad eas nimirum prodesse intelligis, quod ipsum aliud est nihil quam quoad decorum & consentaneum custodiero. Proinde sunt nonnulli morosi ac stomachosi, hi subinde dicunt: Non possum apud illum coenare, ut quotidie sustineam ipsum enarrantem quemadmodum in Mysia bellum gesserit: Exposui tibi frater ut in collem ascenderim, rursus deinde obsidere urbem coepi. Alius est porro qui dicat, se malle coenare cum ipso, ac non recusare quo minus quicquid uolet, effutientem audiat. Vtra te sententia magis delectet, tuipe considera. Id duntaxat caue, ne quid facias inuitus, ne coactus, neue existimes te in malis esse. Nam ut sic animo afficiar, nemo te cogit. Fumum aliquis excitauit in aedibus. si mediocrem, maneo: sin uero multum, egredior, istud meminisse & in potestate sua oportet habere, siquidem ianua aperta est. Ne habites Nicopoli, non habito. Sed ne Athenis quidem, non recuso. Nec Romæ, obtempero. Recipe te ad Gyaros. Faciam. At multus mihi uidetur esse

tur esse fumus, in Gyarís si habitem. Discedam ergo illuc, ubi me habitare nemo prohibebit. Cuique enim habitatio talis est patefacta, & postremum illud est amiculum, nempe corpusculum hoc, ultra quod non potest cuiquam in me potestatis esse quicquam. Quapropter recte Demetrius dixit Neroni: Mortem tu mihi minitaris, Natura tibi. Quum admiror corpusculum, ei ut me dedam tanquam mancipium oportebit: si possesiunculam, & ei deuinctus ero. Protinus enim ipse ego declaro me ipsum, cui rei me dem mancupio: tanquam serpens si contrahit caput, hortor ut illud feriat quispiam, quod nimirum custodit. Quamobrem & tu scito, omne quod asseruare uoles, id à domino (cui tu obedias) occupari. Hæc si memineris, quis quæso erit cui assentiêre? quem metuas? At illic sedere cupio, ubi sunt senatores. Tibi uerò quātam loci exhibeas angustiam, non uides? te ipsum coarctas? Nisi illic sedeam, commodè spectare non potero in amphitheatro. Ergo quo minus premare, non spectando consequeris: quid suscipis quæso negotij? uel parumper expecta, & finito spectaculo loca senatorum sedendo occupa, ac dignitate fungere senatoria. In uniuersum id memineris, quòd nimirum nosmetipsos premamus, & in angustias conijciamus. Id uerò est, opiniones nos premunt & arctant. Quid proinde est conuicijs incessere, ipsum per sese? Confer maledicta in lapidem, quid quæso efficies? Quòd si quis ista audiat tãquam lapidis, quid quæso proficiet conuiciator? At si imbecillitatem eius cui conuicia fiunt, tãquam suggestum quoddam nactus sit is qui maledicit, tum sanè multum proficit. Discerpe ipsum. Quid ipsum dicis? accipe uestem, & discerpe. Iniuria te affeci. Opto ergo ut tuæ res bene habeant. Ita se exercuit Socrates. Quapropter unū semper habens uultum obambulauit. Nos autem omnia potius cure nobis esse pa-

m 2 tūmur

*Demetrius
Neroni.*

Id fieri so-
let in suffu-
sionibus, ac
non in paucis.

timur, ac meditamur, quàm ut liberi simus, & re nulla impediamur. Paradoxa, inquires, loquuntur philosophi, Num in alijs artibus paradoxa nulla sunt? Quid præter opinionem omnium magis est, quàm pungere oculum ut recuperet aliquis uisum? Si quis ignaro medicinæ istud dicat, nonne irrideatur ab ipso? quid mirum igitur sit, si quæ in philosophia sunt uera, multa pro absurdis & paradoxis ab ignaris habeantur?

Quæ sit regula uitæ.

Cap. XXVI.

CVM de Hypotheticis legeret, Ethæc regula est, inquit, hypothetica, assentiri consecrarijs, consequentibus ad id quod positum fuerit. In primis autem regula hæc est degendæ uitæ, quæ consentanea sint naturæ agere. Etenim si uniuersis in rebus negotijs quæ oblati, id quod secundum naturam est custodire uelimus, haud obscurum est quin in omnibus etiam coniectura sit adhibenda, qua nec quid consecrarium sit nos fugiat, nec repugnans aliquid admittamus. Ac primum sanè in contemplatione rerum nos exercet philosophi facilioribus ad intelligendum, deinde ad difficiliora traducunt. Tametsi in his sit nihil quod in contrarium nos distrahat, quo minus peruenire ualeamus ad intelligentiâ eorum quæ addiscimus. At in uitæ regulis multa sunt quibus distrahimur. Quare ridiculus est, qui ab his primum se incipere uelle dicat. Facile enim non est à grauioribus inchoare, quo defendi etiam apud parètes discipulos conuenit, quibus interdum quod philosophiæ sint dediti, succensent parentes. Igitur pecco ô pater, & haud intelligo quid mihi sit utile, & quid me deceat. Itaque si nec disci nec doceri potest, quid mihi irasceris? sin doceri potest, doce, si tu id non potes, permitte ut discam à quopiam, qui se id scire profiteatur. Præterea quid uidetur? num uolentem censes implicari malis, & à bonis refugere? Nequaquam. Quæ ergo est causa, quod subinde pecco, ego?

ego? Ignorantia certè. Non uis igitur ut ignorantia deponam? Potèstne ira quenq; docere artem gubernatoriam, musicā? Ergo uiuendi artem abs te irato me posse discere existimas? Ita loqui duntaxat permissum est ei, qui tali studio se prorsus deuinxerit atque addixerit.

Quòd si quis hoc duntaxat est animo, ut ostentare in conuiuio uelit hypotheticos, accedensq; philosophos de his uerba facit, is ne aliud quiddam agit, quàm ut senator aliquis proximè absidens ipsum admiretur? Illic enim huiusmodi multa est & copiosa materia. Opes enim quæ isthic sunt, pro ludicris hinc habentur: quare isthic difficile est uisis esse superiorē, ubi pro magnis habeantur quæ ibidem sunt. Recordor quendam, qui cū se flens ad genua Epaphroditi abiecisset, de sua miseria questus est, quòd nimirum reliqui amplius haberet nihil, præter quā centum quinquaginta myriadas. Quid igitur Epaphroditus? num irrisit, quemadmodum uos soletis? Nequaquam. Sed admirans respondit: Infelix, quare tacuisti? qui potuisti tibi temperare? Quidam cū aduocasset lecturum Hypotheticos, ac qui iusserat, irrideret ipsius lectionem: Te ipsum, inquit, irrides, quoniam in alijs adolescentem rudimētis non exercuisti, nec nosti utrum his intelligēdis sufficiat, eoq; tanquā lectore uteris. Ergo laudī ducimus, si quis hac facultate est intelligentiæ, ut complexum hypotheticæ orationis possit dijudicare: irridendum uerò arbitramur iudicium eorum, quæ rectè aut secus fiunt. Si cui maledixeris, sollicitus is nimirum est, & iniquo fert animo: sin uerò laudaris quempiam, effert sese in tam minutis, consectoria non assequens rationum. Atque id quidem ipsum principium est philosophandi, animaduersionis nimirum suæ intelligentiæ, facultatisq; ratiocinantis, quemadmodum habeat. Nam si quis exploratum habeat quàm sit imbecillis, haud ea uolet uti, scilicet rebus magnis aggrediundis. Nunc qui

uix possunt præmansum deglutire, ingentia coementes uolumina, deuorare ipsa conantur. Quocirca uolunt & cruditates sentiunt, deinde incidunt in tormina, fluxus, & febres. Perpendere itaque diligenter debebant, num possint. At in studijs cognitionis, facile est confutare ignorantem: in actione autem uitæ, nec offert quispiam se reprehensioni: & si quis uituperet, odio ipsum persequimur. Cæterum Socrates dixit, se uitam talem non agere, in quam haberi inquisitionem nolit.

Quot modis uideatur nobis aliquid, & cuiusmodi expedita adminicula nobis sint præparanda.

Cap. XXVII.

Quadrifariam rerum uisa dicuntur à nobis percipi. Nam aut sunt quædam ita ut apparent esse: aut non sunt, ita nec uidentur: aut sunt quidem, sed non uidentur: aut non sunt, & uidentur tamen esse. De cætero autem recta in his uniuersis coniectura uti, eruditi est hominis. Si quid est quod nos premit, ei remedium adhibere conuenit. Si urgent nos tendiculis suis & argutijs Pyrrhonijs, itemq; Academici, occurrimus nimirum illis remedio quodam. Proinde si ueri similitudo in rebus gerendis facit negotium, qua non bona nobis uideantur esse bona, quin in his etiam remedium circumspicimus. Si aggrauat nos consuetudo, conandum si qua ratione hanc amoliri ualeamus. At quid est, quo inuento resistamus ei? Contraria consuetudo. Subinde uulgò querelas tales audis: Miser ille, quia periit, quia amisit patrē suum, aut matrem, radicatus periit, cum esset ætate adhuc integra, & peregrè agens. Audi contrarias rationes. Tibi ab huiusmodi uocibus tempera, oppone huic consuetudini contrariam, captiosis rationibus solidas, & in his ipsis usum, atque exercitationem tuam. Contra fucolas rerum persuasiones afferri

ferri debent prenotiones animi euidentes, quas & ratio ne perpolitās, & in promptu habere conueniat. Quando mors fuerit oblata, rectè feceris si istud in pròptu habeas, nempe declinare mala addeceat. Item, necessarium quiddam est mors. Quid igitur faciam? aut quò fugiens eam uitabo? Esto me esse Sarpedona Iouis filium, ut de me præclarè loquar: hinc ergo discedens, aut ipse res geram magnificas: aut si istud efficere ego nō potero, non inuidebo alijs occasionē ut eas peragat. Sini hæc sanè supra uires nostras, num illud in potestate nostra non est? Quò effugiam mortem, ostendite mihi regionē, ostendite homines ad quos me conferā, & in quos mors non cadit: ostendite incantationem, qua propulsari possit. Si uitare igitur non possum, quid me uultis facere, nō possum effugere mortē? Nempe pertimescēs eam, effugio isto mortis haud sum cariturus, & moriar lugens tremensq̃. Ita nimirum affectus huiusmodi oboritur, si cupias aliquid, quod fieri tamen non possit. Itaq; externa quæ sunt, si in potestate mea est ut mutare possim, pro meo arbitrio, mutabo sanè: sin minus, tum id quod impedit libertatē arbitrij mei, excæcare molior. Hac enim natura est homo, ut nō necesse sit quo patiatur se spoliari bono, ut patiatur se obnoxiiū uiuere malo. Ad extremum quando nec mutare negotia ualebo, nec impedimentum obijcienti eripere uisum, desideo nimirum & ingemisco, & quem possum accuso, Iouem simul cum reliquis superis. Etenim si me nō curant, quid mihi cum illis? Certè quidem: impius tamen hac ratione eris. Etiā si impius, nūquid mihi posset deterius euenire, quàm modo habeam? Cōplecti memoria potestis quid in uniuersum ille sentiat, Nempe si in eodem non sit pietas & perceptio emolumentorū, fieri non posse ut pietati uolupiam sit locus in quoquam. An huiusmodi opinionibus

Aut reb. impetare possumus, aut si res nō successerint, impedimētorum liberare nos potest

terimus, si ut ipse nobis resistit: ita nos resistamus nisi illud. n. est. ἀντὶ τοῦτο καὶ οὐκ ἐστιν ἡμῶν τὸ ἐκείνῳ ἀντιστῆναι.

bus non impellimur? Adueniat nobis & occurrat Pyrrhonius, uel Academicus quispiam. Quātum in me est in his studijs sedulò uersor, nec assentiri possum consuetudini. Et si qua controuersia est de agello, aliū caudicum scilicet, adhibeo, qui mecum causam tranfigat. Sed quid est quo contentum me ipso esse fatear? Eo scilicet, quod res postulat, locusq; & rectitudini consentaneum est. Quemadmodū excitetur sensus, rationē ne uniuersi corporis, an causa cuiusdā partis, fortasse haud possum disputando tueri: in utramq; enim partem argumentis moueor. At quòd ego ac tu non simus iidem, ualde accurate noui. Sed unde istud? Quia deglutire uolens qd, escam huc afferro, non autē illuc. Nec si accipere panem uelim, scopas arripio: sed panem semper accedo, ut intelligens facturū me aliquod operapreciū. Proinde uos ipsi qui sensus spoliatis notitia, num aliud quid facitis? Quis uestrū, dum balneū ingredi uult, in molendinū proficiscitur? Nōne oportet pro uiribus etiā his attendere, ut nimirum obseruetur consuetudo, & ut muniamus nos contra ipsam? Sed quis est qui contrā dicat aliquid? At curabit ista qui potest, & qui alijs non implicatur negotijs. Eum uerò qui tremit, & perturbatur, & interius corde suo rumpitur, alijs cuidam negotio pro occasione intentum esse oportet.

Quod stomachari aduersus homines non oporteat: praterca, quae magna uideantur, itemq; parua inter homines.

Cap. XXVIII.

Quid causae est quòd assentior alicui? Quia uidetur scilicet ipsum esse. Ei enim quod non esse uideatur, haud assentietur quispiā. Quare? Quoniam natura haec est intelligentiae, ut nimirum ueris annuat, falsa aut respuat, in dubijs assensum sustineat. Vnde potest id nobis persuaderi? Esto animo tuo affectus, si potes, ut nunc esse noctem existimes, Nō possum. Rursus, diem esse:

esse: respue animo tuo. Nec illud sanè possum. Stellas pares esse cogitans, assenti, uel dissenti. Sed nec illud possum. Ergo si quis astipulatur falsitati, pro certo habes eum non uoluisse falso assentiri. Omnis enim anima priuatur uero inuita, ut Plato inquit. At quod *In Pro'e* falsum est, id uisum alicui est uerum. Agè, num in *gora.* actionibus simile quiddam habemus, ac proportionè respondens, ut quod in præsentia appellatur uerum uel falsum, id in actionibus officiosum uel non officiosum nominetur, utile uel inutile, item quod mea intersit, uel non intersit, & quæ his sunt similia? Num fieri potest, ut opinetur quispiam sibi prodesse aliquid, ac id ipsum sibi non eligat? Non potest. At à muliere quo pacto istud pronuntiatur:

Intelligo quantum mali factura sim,

*Eurip. in
Medea.*

At ira uincit consilium mentis meæ. Num quia uidelicet indulgere irato animo, & pœnis afficere maritum conducibilius arbitrabatur, quàm conseruare liberos: Ita nimirum res habet. Atqui decipiebatur. Ostende ei euidenter ut intelligat errorem, & abstinebit se: quousq; autem non demonstraris, poteritne aliud quiddam sequi, quàm quod uisum ei fuerit? Nihil aliud. Quid ergo ei succenses, quòd misera sit hallucinata in rebus maximis, & dū esset homo gesserit se pro angue? Quin misericordia ipsam prosequeris potius: quèadmodum commiseremur cæcorum, item claudorum, ita illorum quoq; in quibus princeps facultas animæ priuata est uisu, & claudicat? Quisquis ergo in promptu istud uerè habuerit, rerum scilicet agendarum homini mensuram esse id quod ei uideatur: quod restat aut rectè se habere, aut perperam, ei uideatur necesse est. Si bene, culpa uacua erit. Sin perperam, ipse à seipso plectitur. Non enim alius esse potest qui errat, & alius qui mulcetur. Qui sic cogitat, nemini irascetur, nec molestus erit, nec

n conuicijs

conuicijs quæcquã incesset, nulli stomachabit, nec inui-
debit, nec irridebit. Magnifica itaq; huiusmodi & præ-
clara opera principit̃ illud obtinēt, ut uideat̃, esse quid-
piã, nec aliud est nullũ principit̃. *Ilías* porro aliud nihil
est, quàm phantasia, eiusq; usus. Visum *Alexandro* fuit,
ut à *Menelao* abduceret *Helenam*. Mulierculæ uisum,
sequi ipsum. Quod si *Menelao* uisum fuisset id æquo a-
nimo ferre, & pro lucro reputare eripi sibi huiusmodi
mulierem, quid quæso euenisset? Non modò *Ilías* per-
iisset, sed etiam *Odyssæa*. Ex tantulis ergo rebus, tanta
& tam grandia sunt nexa. Sed, inquires, quænam sunt
illa tam grandia? Bella, inquam, discerdia, & multorum
interitus mortalium, atq; urbium euerfiones. Quid in
his magni inesse censes? Nihil. Num magna res, multos
boues, multasq; ouiculas mori? Item nidos hirũdinum
complures aut ciconiarũ inflammari, atq; eueri? Nõ-
ne similia hæc sunt illis? perquàm similia. Cõtrucidata
sunt corpora non modò hominum, sed etiam bouum &
ouium. Conflagarunt ædiculæ hominum, etiam nidi
ciconiarum incendio perierunt. Nunquid magnum in
his, aut stupendum? Aut si uis ostende, quid inter do-
mum hominis & nidum ciconiæ intersit quoad in his
inhabitarur. Ergo homo similis est ciconiæ? Quid ais?
secundum corpus nihil discrepant. Illud interest, quod
ædiculæ extruuntur tignis ac tegulis lateribusq;, nidi
uero ex uirgultis & luto compinguntur. Ergo à ciconia
nihil discrepat homo? Nequaquam. Attamen his rebus
nihil differt. Quibus igitur discrepat? Quare, & inue-
nies alio quopiam ipsum discrepare. Considera an non
eò differt, quod potest animaduertere & obseruare quæ
facit, item communicatione, & promissorum fide nec
non pudore, præterea cautione periculi & prudentia?
Vbinam igitur in hominibus magnum illud malum, is
tem̃p bonum statuemus? Illic scilicet, ubi differētia est.
Quod

*Vulpes fo-
ueas habet:
& Dicite
mulpi illi,
&c.*

Quod saluum si maneat, & septum undiq; custodiatur, nec pudor, nec fides, nec prudentia ipsius sit corrupta, tum ipsum quoq; saluum integrumq; esse fatendum est. Sin uerò horum quid interierit, & tanquam obsidione quadam uitiorum expugnatus fuerit, haud dubie tum ipse etiam perisse dicendus erit. In hoc magna & præstantia hominum opera uersantur. Haud medio cre, inquit, peccatum est Alexandri, ad Troiā quando uenerunt Græci, eāque sunt depredati, necnon quando fratres ipsius interficiebantur: Non assentior. Alterius enim opere peccat & hallucinatur nemo. Quū ista fiebant, ciconiarum nidi deuastabantur. Tum peccabat, quando perderet pudicum, fidelem, hospitem & modestum animū. Quando peccabat Achilles: num quo tempore moriebatur Patroclus? Neutiquam. Sed tum, quando ira commouebatur, quando deplorabat puellam, quando obliuiscitur se adesse non propter acquirendam amicam, sed gerēdi belli gratia. Hæc sunt in quibus offendunt homines. Hæc est oppugnatio, hæc euersio hominum, quando nimirum rectæ opiniones pessundantur, atq; abolentur. Quum itaq; mulieres abducuntur, ac liberi in seruitutem rediguntur, parentes uerò iugulantur, num hæc pro malis habenda nō sunt? unde istud tibi dicere uenit in mētem, quin ut intelligā doceas? Non. Quin potius tu quòd mala non sint, rationem mihi proferas. Accedamus ad regulas. Adducito primas notitias. Quocirca mirari satis nequeo quod uulgo fieri consueuit. Quum pondera discernere uolumus, non temerè iudicamus: quum recta & curua, non casu quodam internoscimus. Ac quādo nostra interest simpliciter nosse quod in loco uerum est & consentaneum, id nemo nostrum, quicquid egerit, oscitāter obseruabit. Cæterum ubi primum & unum illud est quod nobis causa sit rectè agendi, aut non rectè, cum successu

Tragedia-
rum argu-
menta.

uel sine successu, miserè aub beatè uiuendi, in eo omnes inconsiderati & temerarij sumus. Nusquam apparet quod instar habeat libræ, nusquam quod regulam representet: sed simul ut uisum fuerit, ita ut uisum est facio. Num melior ego sum Achille, aut Agamemnone, ut illi quidem dum sequuntur uisa sua, pro ratione eorundem omnia & fecerint & perpessi fuerint; mihi uerò fatis non sit rem ita uideri? Obsecro, num quæ Tragedia argumentum habet aliud? Atreus Euripidis, quoddam est uisum, Oedipus Sophoclis, uisum est. Phœnissæ, uisum est, Hippolytus. An harum rerum cura nulla uos afficit? At cuius uidetur uobis cura habenda? Quinam dicuntur quibuslibet uisis affici? Infani. Nos igitur conemur aliud quiddam facere.

De Constantia.

CAP. XXIX.

Nā citatio
ad uolunta-
tē pertinet,
non autē ad
corpus ut
mine.

Essentia boni est, aliquo modo se habens uoluntas: Equinetiā mali, aliquo modo affecta uoluntas. Quid ergo sunt externa hæc? materia delectus uoluntarij, in qua uersans compos efficitur sui proprij boni aut mali. Sed quānam potestetur bono? Quum materias non fuerit admirata. Nam de materijs quæ habentur opinionēs, si sint consentaneæ, cōuenientem delectum in nobis excitant; prauæ autem & peruersæ, uitiosum & malum. Legem hanc Deus posuit præcipiens, Siquid boni habere uis, à teipso accipe. Tu respondes: Nō accipiam, sed ab alio quopiam, Nequaquam, sed à teipso. De cætero quando minatus tibi fuerit tyrannus, nec citatus tamen sis, dicāne cui minas intentarint? Quum dixerit, Conijciam te in uincula: manibus, inquam, & pedibus, non mihi minabitur. si dixerit, Plectam te capite: ceruicī, nō mihi proferet minas: quādo custodię aut carceri se mancipaturum minatus fuerit, minæ ad uniuersam carnem pertinebunt: sin exilium, idem usu ueniet. Tibi itaq; minatus est nihil; Siquidem ita sim animo affectus, ut ista ad me

ad me non pertinere putem, nihil: sin uerò metuā quid
 istorum, mihi utiq; minatur. Quem ergo posthac time-
 bo, aut quēnam existimabo dominum esse earum res-
 rum quæ mea sunt in potestate? Vtiq; nullus est. Num
 eum qui dominatur his quæ in potestate mea non sunt?
 At cur mihi curæ essent istæ? Ergo uos philosophi doce-
 tis contemnere reges? Nequaquam. Etenim quis no-
 strum docet, pro his consequendis aduersus illos moliri
 aliquid, quæ non in nostra, sed in illorum sint potesta-
 te? Anipe corpusculum, fortunas, famam, amicos, si cui
 illorum suauis fuit ut contrā aliquid molirentur, non re-
 cuso obnoxius esse. Esto. Sed uolo superior etiam esse
 opinionibus tuis. At potestatem hanc quis tibi dedit,
 qua possis nimirum uincere alienam opinionem? Ad-
 mouens, inquit, terrorem uincam, An nescis ipsum à
 seipso uinci animum, nec expugnari ipsum alterius uio-
 lentia? Voluntatem enim & arbitriū nihil est quod uin-
 cere possit, nisi ipsum à seipso superetur. Quocirca lex
 Dei efficacissima & iustissima, qua deterius uinci à me. *Lex Dei.*
 liore constitutum est. Robustiores sunt decem quàm u-
 nus. Ad quid? Ad uinciendum, ad occidendum, ad ab-
 ducendum quocūq; uisum fuerit, ad eripiendas fortu-
 nas. Vnum ergo uincunt decem, eo nimirum quo sunt
 ualidiores. Verū quonam infirmiores uno illo sunt
 existimandi? Quoad scilicet rectis sententiis hic est im-
 butus: qui uis uerò ex his, uitiolis & prauis. Ecquidnam
 igitur est in quo uincere, aut ualidiores illo esse possint?
 Sed quid istud sit? An impositis in lancem ponderibus, si
 librentur, parum consentaneum uidetur præponderare
 id quod grauius est? Itaq; præponderauit Socrates, ut
 sic mulcetur ab Atheniensibus malè? Stulte, quid So-
 cratem dicis? pro eo ut res ipsa est comparata, loquitur.
 Nempe ut recula Socratis auferretur, atq; à ualidiori-
 bus in carcerem abduceretur, deinde cicutam ut porri-
 geret

Socratis apophthegma.

geret quispiam corpusculo Socratis, ex quo mox ipse effugeret. Digna admiratione censes hæc: num iniusta uidentur, ob hæc accusas Deum? Loco illorum nihilne habuit Socrates? Vbinam solum & summum bonum collocauerat: in cuius iudicio tibi ne, an illi, præbendas censes aures? At quid ipse dicit? Anytus & Melitus occidere me quidem possunt, nocere autem non possunt. Iterum: Quod si Deo uisum ita sit, fiat sanè. Tu porro ostende mihi, improbius imbutum opinionibus, superiorem eo esse qui rectè sentiat de rebus, ac opinetur. Nullo argumēto id poteris, ne uerissimi quidem: propterea quod lex hæc sit naturæ & Dei, qua sancitur, ut deterius uincatur à meliore semper. Sed in quor? Eo uidelicet, in quo præstat & ualentius est. Corpus alio quodam robustius est corpore, & plures uno sunt ualidiores, fur uincit non furem. Et hac de causa perdidit ego lychnum, quando abstinentia somni ac uigilantia melior me esset fur. At pro lychno surrepto, furto se obstrinxit: eum ut acquireret, fidem fregit: pro lychno hominem deposuit, & ferus est factus. Istud nimirum eò fecit, quia prodesse id sibi arbitratus est. Esto. Apprehendit me ueste quispiam, uel pertrahens in forum, inclamant alij, Quid tibi philosophe profunt decreta tua? ecce in uincula abduceris; an futurum est ut capitis supplicio afficiare, Sed rogo, quānam institutione erudire me poterunt, ut quando fortior me ueste apprehenderit, non trahat: aut si me decem uim inferentes in carcerem coniecerint, in ipsum non conijciar? Aliud ergo didici nihil: nimirum didici, ut omne id quod conspexero non esse subiectum arbitrio meo, ad me nihil putem pertinere. At ex illo utilitatem capis nullam? quid ergo est quod alijs in rebus potius quæ tibi profunt, quàm ijs quas didicisti, quæris? De cætero igitur in carcere sedens, sic cogito: Qui magnis clamoribus hæc disputat, nec quid oratione

ratione hac significetur percipit, nec intelligendo asse-
 qui potest, nec philosophi quid dicerent aut facerent co-
 gnoscere cure ipsi fuit unquam. Quare mitte ipsum. At
 e custodia rursus egredere. Siquidem usus mei in carce-
 re nullus esse uideatur uobis, rursus discedam: si usus re-
 petet, ingrediar denuò. Sed quousq; tandem? Donec ra-
 tione præstabilius uideatur in corpore esse, quòd si ra-
 tio censuerit aliter (corpuscule nimirum debilitato) su-
 mite ipsum, & medicinam adhibete, modò ne id absq;
 ratione, ne effœminatè, aut ne temerè oblata quadam
 causa & pro quauis re nata fiat: secus enim fieri Deus
 ista non uult. Huiusmodi enim ornatu Deo est opus
 in his gubernandis, qui hoc pacto in terris uersantur.
 Quòd si dederit signum receptui (quemadmodum da-
 tum est Socrati) obedire oportet signum proponenti,
 tanquam imperatori. Num ista efferre in uulgus con-
 uenit? Ad quid conducet? Quia satis non est, te solum
 esse obtemperantem. Cum plausu pueri quando alios
 accesserint pueros, dicentes, Fausta hodie sunt Satur- *Fausta ho-*
 nalia, num reclamamus, & prospera esse negamus? Ne- *die sunt Sa-*
 quaquam: quin potius ipsi etiam applodimus. Qua- *turalia.*
 propter tu quoq; si persuadere, & de prauitate abdu-
 cere aliquem non potes, puerum ipsum esse scito, ipsiq;
 adplaudito: aut si id nolis, de reliquo taceas. Horum
 memorè esse decet: & in discrimen huiusmodi si quan-
 do fuerit adductus, cogitare secum, aduenisse tempus
 opportunum, quo declaret suam in uirtute institutio-
 nem. A schola qui hanc in arenam descendit, similis est
 adolescenti sese in syllogismorum resolutione exercens:
 cui si quis proponat argumentum bene consenta-
 neum, ei non acquiescens, petat specie quadam syllo-
 gismi contextum sibi proponi, quo exerceatur. Proin-
 de gracilibus athletæ non delectantur adolescentibus.
 Non ferre me potest, inquit, Num iuuenis hic bona
 est indo-

est indolens? Non, Quia postulante occasione, lachrymare eum oportet, ac dicere, Cupio præterea aliquid addiscere. Quæ sunt illa? siquid hæc non didicisti ut opere aliquando declarares, quæ causa fuit ut addisceres? Opinor ego aliquem hoc loco confidentem, cogitatione istud intra se parturire & dicere: Perquàm ego in tale discrimen uenire, quo ille est cōflictatus, uelim, ut mihi tempus terere in angulo sedenti necesse nō esset, quum possim in Olympijs decertans corollam cōsequi. Quis porrò mihi procurat huiusmodi certamen? Ita animo affici omnes conueniebat uos. Proinde in Cæsaris gladiatoribus egrè ferunt quidam se cum nullo committi, quod tamen summopere uotis expetant, ac precibus etiam à præfectis contendant, ut permittatur ipsis congregi singulari certamine. Ex uobis talem se nemo præstabit? Libens ad huiusmodi certamen uel nauigando traicerem maria, cognoscendi gratia quid meus facturus esset Athletes, & quid tali in argumento atq; proposito medicaretur. Nolo, inquit, tale mihi argumentum proponi. At in te est situm, quod uelis argumentum accipere. Tale tibi datum est corpus, tales parentes, huiusmodi fratres, sic patria tua comparata est, is locus tibi in ea est, ac ordine illo censeris. Quid à me postulas, ut aliud tibi proponam argumentum? Nullasne habes opportunitates, ut oblato ritè utaris? Tuum est ut mihi proponas, meum uerò ut conuenienter in eo me exerceam? Non. Administrationem talium rerum mihi ne committas, sed talium: nec subiectione hac me deprefferis, sed alia quadam. Forsan tempus erit quoddam, quo actores Tragoediarum putabunt semetipsos aliud nihil esse quàm personas, quàm cothurnos, quàm syrmata? Agè homo, materia hæc sunt & argumentum. Loquere quidpiam, ut intelligamus utrum Tragicus sis, an ioculator mimus. nam in reli-

quis

quis communicant ambo. Quocirca si detraxerit quispiam ei cothurnos, personam, adeoque sua propria specie representatum adduxerit, censes periisse Tragicum, an superesse adhuc? Equidem si talem efferat uocem, manet adhuc. Hac in scena imperium accipe. Accipio, & ipsum capiens declaro, quemadmodum homo uirtute imbutus in eo administrando uersetur. Deponelatum clauum; & laceras induens uestes, inspiciendum te exhibe. Quid ergo? Non tributum est mihi proferre in medium honestam uocem? Quo igitur pacto nunc ascendis? Tanquam testis scilicet à Deo citatus. Veni ergo, & testificare mihi. Dignus enim es qui producaris à me ad dicendum testimonium. Num si quid in potestate non est arbitrij & delectus uoluntarij, in bonis est aut malis numerandum? Num alicui noceo? Num emolumenta cuiusquam alio bono, quam quod à semetipso unusquisque possidet, deficiunt? Deo autem quale dicis testimonium? In aduersis sum, Domine, ac premor miseria: nemo me curat, nemo largitur mihi quicquam, omnes irrident, ac male de me loquuntur. Pro testimonio hæc abs te dicuntur, & ignominia afficis uocationem tuam qua es citatus? *In tentationibus Deo non obmurandū,* nec non qua dignum te censuit isto honore, idoneumque arbitratus est qui de re tanta testimonium diceres. Proinde penes quem est imperium, sic pronunciat: Sacrilegum & impium te iudico esse. Quid ergo tibi accidit? Iudicatus sum pro impio & sacrorum uiolatore. Num quid aliud? Nihil. Quod si de connexo quopiam iudicasset, ipsumque falsum pronunciet esse, ut uerbi gratia, hoc, Si dies est, lux est: nunquid propterea connexo accidit? Quis quæso iudicat, & quis damnatur: connexumne, an ipsius iudicium qui est deceptus? Is ergo penes quem est potestas pronunciare iudicium de te, intelligime quid sit pium uel impium esse?

esse: Num in eo se exercuit, aut ubinam didicit, uel apud quem? Ergo musicus non curabit eum, qui netem pronunciat hypaten esse: nec Geometra, quando quis iudicarit lineas à centro ad circumferentiam productas non esse æquales: homo autem eruditus in præceptis uiuendi, hunc curabit qui ignarus iudicat de sacro & profano, de iusto & iniusto? O quantam bene institutorum atque eruditorum accidit esse iniquitatem. Isthic ergo te didicisse hæc fateris? Quin disputatunculas alijs quibusdam minus strenuis homunculis ac in angulis confidentibus relinquis, quibus nimirum docendo stipendia mereri possint, quicquid si eis persoluatur nihil, etulant: tu uero ad eundis periculis præcepta hæc exerce, quæ addidicisti. Nam quæ restant deinceps, disputationes non sunt. At Stoicorum libri referti sunt disputationibus: quid igitur præter eas desideratur adhuc? Vsum scilicet adhibiturus, opere testimonium ferat oportet ueritati rationum. Hanc mihi indue personam, ut non semper obsoletis necesse sit nobis uti exemplis in schola. Ista contemplari cuius interest? Eius qui negocijs non occupatur. Homo enim animal est contemplationis ueri appetens. Turpe uero est hæc sic cognoscere ut solent fugitiui: quin sine omni distractione assidere & attentum esse Tragico oportet, non ut illi faciunt. Simul enim ut astitit ac laudauit Tragicum, protinus etiam fugam circumspicit. Deinde dominum si quis nominet, subito expauescit & perturbatur. Turpe est, si quis isto modo naturæ opera contempletur philosophus. In his quidnam est dominus? Homo quidem certè homini non dominatur, sed mors & uita, uoluptas item & dolor. Etenim si hæc non sint, uel ipsum Cæsarem adducito, & experire quàm constans sim. Qui secum ista si afferat intonans ac fulminans, ego autem perhorrescam, quid aliud euenisse

*Finis nō est
in disputan-
do, sed in a-
gendo.*

*Dominus ap-
pellatio.*

euenisse dicendum, quàm à me dominum agnitum, quemadmodum à fugitiuo? Quandiu uerò ab his interpellatus nō fuero, tanquam fugitiuus in theatro consistit: ita ego quoque lauro, bibo, cano, uniuersa faciens cum metu & miseria. Meipsum autem si uindicem ab his dominis, id est ab his propter quæ formidolosi sunt domini, nunquid negotij superest? aut quĩnam restabit dominus? Quid igitur? Enunciare ista omnibus conuenit? Non, sed conuersari cum uulgo hominum, ac dicere: Ille quod sibi arbitratur esse bonum, id mihi etiam suadet ut complectar, Ignosco ei. Quoniam Socrates etiam in carcere collachrymanti ignouit, quum cicutam bibiturus sic diceret, Quàm generose nos defleuit? Num ei sic locutus est? Ob hanc causam mulieres dimisimus. Hoc dicit ad familiares, ad eos qui audiendis his sufficiebant: huic uerò se accommodat, tanquam puero,

Plato in
Phædone,
et Critone.

Quid in promptu habere oporteat, quando periclitamur. CAP. XXX.

Quando fueris ingressus ad præstātem dignitate quemptam, memento alium quendam desuper inspicere ea quæ gerantur: quodq; huic placere magis oporteat, quàm illi. Ab illo sic interrogaris: Fugam, carcerem, uincula, mortem, infamiam quid esse in schola dixisti? Respondeo: In quibus nihil sit discriminis. Nunc porrò cuiusmodi hæc dicis esse: num aliter se ista nunc, quàm prius, habent? Non. An tu aliter es affectus quàm antea? Non. Dic quæ sint illa nihil habentia discriminis. Præterea explica etiam ex ordine ea quæ sub arbitrium nostrum non cadunt: Ea sunt quæ ad me nihil attinent. Dic quæ uobis uideantur esse bona? Delectus rerum qualem esse conuenit, ac legitimus usus uisorū. Qui porrò finis? ut te ista sequantur, & non contrā. Et eadem quæ antea etiam nūc

o 2

dicis?

dicis? Ita uerò sentio & dico. Discede, & quod reliquū est firmo sis & memori animo, ac considera quantum polleat adolescens exereitatus in his quæ nos meditari decet, inter homines in exercitatos. Ego equidem per deos, mihi sic adumbro, me istud persuasurum tibi. Ad quid tam magna tamq̃ multa molimur pro rebus nihili impetrandis? Istud nimirum erat potentia, istud uestibula, cubicularij, stipatores? horū gratias tantum studij disciplinīs impēdebam? At hæc nullius sunt momenti. Ego autem rebus præclaris & magnis aggrediendis meum addixeram studium.

T A B V L A C A P I T V M

Secundi libri.

- 1 Inter se non pugnare, confidere & cautum esse.
- 2 De tranquillitate.
- 3 Ad eos qui philosophis nonnullos commendant.
- 4 Ad quendam in adulterio deprehensum.
- 5 Quemadmodum simul esse possint magnitudo animi & diligentia.
- 6 Quid sit, nullo esse in discrimine res.
- 7 Quomodo uaticinandum.
- 8 Quæ substantia sit boni.
- 9 Quod non ualentes præstare id quod hominis est, philosophi personā interdum assumimus.
- 10 Quemadmodum ex uocabulis, officiorū ratio interdum possit inueniri.
- 11 Quod principium sit philosophiæ.
- 12 De differendo.
- 13 De anxietate.
- 14 Ad Nasonem.
- 15 Ad eos qui contumaciter in quibusdam quæ statuerunt perseuerant.
- 16 Quod non exerceamus nos, aut meditemur usum de bonis & malis rebus decretorum.
- 17 Ut sint primæ notitiæ accommodandæ rebus singularibus.
- 18 Quemadmodum sit pugnandum contra uisa.
- 19 Ad eos qui disputando duntaxat philosophi personam tuentur.
- 20 Ad Epicureos & Academicos.
- 21 De confessione.

De ami-

22 De amicitia.

23 De facultate differendi.

24 Ad quendam, quem ad audiendum se non admiserat.

25 Quomodo necessaria sint logica.

26 Quid proprium sit peccati.

Non pugnare inter se, animo considerare et cautum esse.

CAPVT I.



AVD consentaneum fortasse uidetur quibusdam, quod pro uerissimo habetur à philosophis. Proinde consideraremus pro facultate ingenij nostri, utrum uerum sit hoc: ac fieri possit, ut & cautè, & simul etià cōfidenter gerat ac faciat quispiā omnia. Etenim contrariè quodāmodo opponi uidentur cōfidenti cautus: contraria uerò simul in eodē esse nequaquā possunt. Cæterum q̄ plerisq; absurdū id uidē esse, huius causam inde petendā existimo. Enimvero si respectu eiusdē uelimus uti cautione & cōfidentia, meritò nos accusent, tanquā repugnantia inter se cōnectentes. Atqui si nō sic, quid quæso absurdi est, si hoc usurpetur à nobis dictū: Etenim si integra sunt quæ diximus sæpe, ac nō semel sunt demonstrata, quod nimirū essentia boni in usu uisori cōsistat, itēq; mali: & præterea, q̄ ea quæ sub delectū nostrum non cadunt, nec mali naturā, nec boni in se habeant: quid absurdi sentiūt philosophi, si dicunt, illic ubi nō arbitraria cōsistant, locum esse cōfidentiaē debere: arbitraria aut ubi sint, ibi adhibendā cautionē. Nam si peruersa uoluntate malū definitur, in his solis quid prohibet sollicitudinē cauēdi adhibere? Quod si p̄ arbitrio nostro administrari nequeūt, nec in potestate sunt nostra, ad nos uidelicet nihil pertinent: quare in his animi cōfidentia est utendū. Et hac quidē ratione simul & cauti erimus, & animis cōfidentes: & per Iouē, propter cautionē confidentes. Dum enim cauemus nobis ab his quæ sunt uerè mala, eueniet sanè,

niet sanè, ut cōfidentia utamur in his quæ in malis non habentur. De cætero aut nobis idē accidit, quod ceruīs solet, quæ dum exterritæ fugiunt uolucrū insectationē, aliquo se uertunt, & in loca quædā irretita laqueis tanquam periculo uacua cōcedunt: ac sic pereūt, dum præpostere permutant metuenda nō timendis. Ita & nos aliquando utimur metu in rebus nō arbitrarijs, ac in alijs nimis cōfisi animis sic nos gerimus tanquā si periculi nihil esset in uoluntarijs actionibus: quamobrem accidit ut decipiamur, labamur, turpe quid perpetremus, aut flagitiosa aliqua cupiditate exardescamus, ac nihil referre putemus, modò solertes simus in rebus consequendis quæ extra nos sunt. Vbicumq; uerò offert se nobis mors, exiliū, labor, ignominia, ibi de statione decedimus, illic est qd pauidos exagitet. Quocirca euenit nobis (ut par est, in rebus maximis hallucinantibus) ut naturalē cōfidentia efficiamus temeraria, uacordem, præfactam, impudentē: nec nō naturæ consentaneam cautionē ac uerecundia, abiectū quiddā efficiamus & humile, timoris & perturbationis plenū. Quādo autē qd huc trāsferat cautionē, ubi uolūtas est, & opera uolūtatis in diligendo: cōfestim simul ut uolet cauere, in potestate sua habebit etiā mortū istius declinationis. Sin uerò traducat ad ea quæ præstare nos nō possumus, & sub delectū nostrum nō cadunt, & declinare conetur quispiā cauēdo quæ sunt in potestate alterius, necesse est ut pertimescat, ut sit incōstans, ut perturbet. Mors quidē & afflictio timenda non sunt, sed timere mortē ac ærumnā est pertimescendū: ut nō immeritò celebret is qui dixit: Nō est malū mori, sed turpiter mori. Proinde sic affici nos cōuenit animis in morte & in fuga, nec nō opinionī eorūde opponere, & inflexibilē, & nō tergiuer santem aut restrictū, & in nullo discrimine ponentē ista animum. Hæc rectē, & secundū naturā se gerens So
crates,

crates, appellare solitus fuit laruas. Nam quæadmodum laruæ terrent pueros, magnumq; eis incutiescunt metum, ob imperitiâ: haud diuertum est quod nos etiam in uitâ gerendis rebus afficit. Istud nulla alia de causa nobis uisuenit, quàm ea quæ idipsum quoq; in pueris efficit. Quid quæso puer est? Ignorantia. Quid puer? Inscitia. Quod si ista, ut nos, animaduerneret puer, inferior hac in parte nobis non esset. Mors quid est? Larua. Consi-dera ergo eam auferens. Vide quàm nō mordeat. Corpusculum separari oportet ab animula. Vt antea fuit separatum, ita nunc etiam erit, aut non multo post. Quid igitur molestè fers, si nunc separatur? nam si nunc non, paulopost separabitur. Quamobrem? ut curriculum suum perficiat mundus, cui opus est non solum præsens, sed etiâ futuris rebus, ac præteritis. Dolor quid est? Larua. Aufer eam, & cognosce. Asperè mouetur caruncula, deinde rursus suauis sensu afficitur: id tibi si non profuerit, aperta ianua est. Si utile sit, ferto.

Ad omnia enim patefieri ianuam oportet, & molestia nobis exhibebitur nulla. Sed quinam decretorum talium est fructus? Is nimirum, quem par est haberi pro pulcherrimo, & qui maximè deceat eruditos: nempe tranquillitas, fortitudo, libertas. Non enim uulgo his de rebus habenda est fides, qui dicunt solos liberos institui liberaliter atque erudiri posse: sed potius credendum philosophis, qui solos eruditos statuunt esse liberos. At quo pacto istud? Num uerò aliud quiddam est libertas, quàm ita ut uelis potestatem habere uiuendi? Nihil aliud. At respondete mihi, o mortales: Vultisne uiuere peccatis obnoxij? Non volumus. Ergo nullus qui peccat, liber est. Animo ita estis affecti, ut libeat metu pauidis uitam agere, aut tristitia anxij, aut perturbatione inquietis? Nequaquam. Ergo nullus aut timidus, aut moerore affectus,

Socrates apud Platonem in Phædone terrores huiusmodi uerbum nominat, id est laruas.

Id est, ut metu mortis ne nos inuoluamus rebus extra nos positis, ac præcludamus nobis uiam libertatis.

Nota ut i definiunt libertatē, quæ metumur omnia rapinis & tyrannide.

aut

aut alio perturbatus modo, pro libero est habendus.

Qui ergo liberatus est inestitia, metu, perturbatio-
ne, eum eadem uia ex seruitute in libertatem uindica-
ri etiam certum est. Quo igitur pacto fidem uobis,
optimi legistatores, habebimus? Nullis nisi liberis per-
mitteremus erudiri? Philosophis sic uidetur, sic ipsi sta-
tuunt, non concedimus cuiquam libertatem nisi re-
cte institutis. Atque id est, quod Deus non permittit e-
tiam. Quando quis seruum suum apud prætorē uer-
terit, num ista uertigine nihil effecit? Enim uero fecit ali-
quid. Quid nam? Nempe seruum suū uertit apud præ-
torem. Numquid aliud? Nihil aliud, ac præterea etiam
uigesima ex peculio persoluenda erit. An eum qui su-
stinuit ista, in libertatē assertum non censes? Nihilo ma-
gis, quàm antea, nisi metu uacat. Proinde tu quoque qui
multos pascis, nullumne habes dominū? nō argentum,
non puellam, non pusionem, non tyrannū, aut amicum
quendam tyranni? Quid ergo perhorrescis, ad eundem
quoddā discrimen huiusmodi? Quocirca id uobis sem-
per inculco: Ista meditamini, & in promptu habetote
semper, ut intelligatis in quibus rebus cōfidendum ani-
mis, & item in quibus cautē agendum sit: nempe in re-
bus arbitrio nostro nō subiectis confidere, in arbitrijs
autem cauere. At, inquires, nō prælectore usus es me,
seu recitatore, nec nosti quid faciam. In quo elaboras?
In oratiunculis conficiendis. Quin potius ostende, ut
lis animo affectus appetendo, declinandoque. Frustra-
risne his quæ habere cupias, aut incidas in ea quæ nolis.
Proinde ambitus illos orationis scriptæ, si sapias, auferes,
hinc interline. Quid ergo? Socrates nihilne scripsit?
Et quisnam tot, & tam multa? Sed qui potuit? Quando
habere nō potuit semper qui sententias ipsius disputan-
do refelleret, aut quem ipse redargueret, tum ipse secum
disceptans, ipse sese refellere & à seipso sciscitari uerum
solitus

*Perfuit: Nō
una Quiri-
tem uertigo
facit.*

solitus erat. Semper unā animo impressam habebat notitiam illam, in qua se semper exercuit ad usum uitę gnauiter: hanc uerò de qua nimirū in pręsentia loquor, alijs remittebat, nempe stupidis, aut beatis illis, qui in quiete & tranquillitate uitę agunt, aut ijs qui nihil pensi habent propter stultitiam. Itaq; occasione oblata, huiusmodi scripta ostentabis adueniens, pręsentibusq; leges & uenditabis. Ne id facias mi homo, quin potius illa prę te feras: En quemadmodū appetendo uotis non frustrer, en ut declinando sim prudens & circūspectus. Propone mortem, & intelliges: dolores offer, carcerem, ignominiam, damnationem. in his est ostentatio eius, qui haud ita pridem ē schola discessit: quę pręterea sunt, alijs relinque. De his nemo ex te uocē ullam percipiat, nec laudari propter studia huiusmodi expetas: quin nullus in his esse uideri malis, ac scire nihil prę te ferens, unum id solū te scire, quemadmodū scilicet consequare, et quemadmodum cautus nō incidas in malum. Alijs curę sit, ut se dicendis causis exerceant, proponendis quęstionibus, colligēdis syllogismis: tu disce mori, uinciri, tormentis cruciari, in exiliū agi ac solum uertere. Hęc omnia sunt cōfidentis, atq; obediētis ei a quo es uocatus ad illa sustinēda, eiq; qui hoc loco te dignū iudicauit: in quo constitutus demonstrabis quid ualeat ratio, quid principatus in homine, si quasi in aciem educatur contra uoluntati non obnoxiam uiolentiam rerum. Atq; ita sanē paradoxum id, aut tale quod fieri nequeat, haudquaquā apparebit: cū uidelicet dicitur, simul cauendū & confidendum esse: in non uoluntarijs confidendū, in uoluntarijs autē in rebus cautionem adhibendam.

De tranquillitate.

Cap. II.

Considera in iudicium ueniens, quid custodire uelis & quonam peruenire. Etenim si constitutū tibi sit delectu rerum, qui secundum naturam sit, uti, omnia
p tibi

*In primo de
Repub. lib.
iurē iustum
Plato descri-
bit.*

tibi erunt tuta, omnia facilia, nihil negotij: si quidem uolles quæ tua sunt in potestate unius, & quibus natura libertas tua constat, non neglexeris. His contentus, quid aliarum rerum satagis: quarum quis rogo dominus, quis eas auferre potest? Quis prohibet te esse uerecundum, aut fidelem? Si uis non impediri, nec necessitate aliqua cogi, quoniamnam obsecro, uim tibi asferet, ut appetas ea quæ tu nolis, aut non uideantur appetenda, aut uitare quæ fugienda non uideantur? At uerò num quædam obijciat tibi, quibus exterreare & pertimescas? Sed his declinandis ut malè nihilominus habeas, qui poterit efficere? Itaque in tua potestate cum sit, prosequi appetendo, & fugiendo declinare, quid in alijs sollicitus es? Id pro exordio tibi sit, pro narratione, pro confirmatione, pro uictoria, pro epilogo, pro uoluntate constantissima ac rectissima. Quocirca Socrates ad eum, qui ut se ad dicendam causam pararet, hortabatur, sic dixit: Per omnem uitam non uideor tibi me preparasse ad hoc iudicium: Sed cuiusmodi fuit preparatio hæc? Custodiui id, inquit, quod in mea est potestate. At quo istud modo? Nullam rem iniustam nec priuatim nec publice unquam commisi. Tu proinde si uoles quæ sunt extra te obseruare, corpusculum scilicet, possessiunculam, gloriolam, iam inde denuncio tibi, ut instruas te omni apparatu quem consequi possis, ac de cætero cogites quæ natura sit iudicis, item aduersarij. Si ad genua procumbendum, supplex nimium ea attingas: si plorandum, plores. Quando enim subieceris quæ tua sunt, his quæ sunt extra te, in reliquis seruire ne recuses, ne sis contumax: ac non aliquando uelis, aliquando autem nolis seruire, sed omnino ac ex tota mente tua uel hæc, uel illa amplectere, aut liber esto aut seruus, aut eruditus aut rudis, aut generosus gallus, aut ignobilis & abiectus, aut ad necem patere te uerberibus accipi: aut cōfessum muta sententiam, ne accidat multis acceptis

acceptis uerberibus nihilominus postea mutare. Si turpia hæc sunt, euestigiò discernas ubi sit natura bonorum & malorum, illic esse & ueritatē: & ubi ueritas, illic quodque esse naturam: ibidemq; cautioni locum esse, ubi ueritas: illic confidentia, ubi sit natura. Deinde num censes Socratem fuisse obseruantē rerum externarū, quando ad eundo periculū capitis dicebat: Anytus & Melitus occidere quidē me possunt, nocere aut non possunt. Tā stupidus erat, ut nō uideret tali uia ad hanc metā nō posse perueniri, sed alia quadā. Aut quid causæ fuit, ut oratione nulla se defenderet, ac præterea irritaret etiam? Ita meus quoq; fecit Heraclitus cum agelli causam Rhodi ageret, ac ostendisset æquitatem quæ pro se faceret, iudicibus, in epilogo dixit: Nec rogabo uos, nec curo etiā qualem sententiam sitis laturi, cum uos scilicet iudicādo magis sitis obnoxij iudicio quā ego. quod cum dixisset, causam suam subuertit. Quæ Chria aut sententia debet esse proposita? Tātum ne roges, ac omitte dicere: Quippe ne peto id quidē à uobis. Nisi occasio commodum se obtulerit (ut Socrati) ad irritandos iudices. Tu uerò si talem epilogum paras, quid expectas, aut quid aut dire te oportet? Si cruci suffigi uis, expecta, & eueniet tibi. Sin disputationibus mauis præbere aures, oratio affertur ad persuadendū idonea, qua de rebus deinceps faciendis admoneatur, non uerò audiendis. At quoad se & sua quisq; obseruat, eatenus ridiculum est petere præscriptionem cuiusdā argumenti in quo elaboret. Quod autem tibi proponā? Effice quæso in me talem animū, ut quicquid euenierit in uita, rectē me & cōuenienter geram. Perinde istud equidem postulas, atq; si rudis literarum dicat: Doce quid scribendum mihi sit, si aliquod nomen proponatur. Quod si respōdeam, ut scribat Dion, ac deinde accedens idem ipse, scribere iubeam non Dionis, sed Theonis, quid quæso faciet? quid scribet? Quod

Christus in euangelio: Nemo, inquit, admotus aratro manu retrò respiciens, aptus est regno Dei. Et alibi: Nemo potest duobus dominis seruire.

Ridiculi enim sunt, qui uirtutē uerba putāt, ut lucū ligna, quæadmodū ait Horat.

Exercitatio
ne & laboribus
et prudentia
acquiri-
tur.

si te exercuisti scribēdo, idoneum nimirum te omnibus his scribendis exhibebis, quæcunq; proferentur: sin uerò non, quidnam tibi proponam scribendum? Quando igit aliud quid rerū status postulat, quid dicturus, quid faciurus es? Ergo memor esto eius quod latissimè patet, & quid faciendū sit monitione ac præcepto nunq; de situeris. Quòd si rebus externis inhias, necesse erit te susq; deq; pro arbitrio domini uololari. Quinā uerò dominus est: Is qui in potestate sua habet ea quæ tu aut expectanda aut fugienda censes.

Ad eos qui commendauerant nonnullos philosophis. Cap. III.

Scitè quidem Diogenes, cuidam petenti à se cōmendaticias literas, respōdit: Te hominē esse, simul ut inspexerit, cognoscet. Deinde, malus etiā an bonus sis, nō latebit ipsum, siquidem peritus sit internoscere bonos à malis: sin imperitus, nihil efficiā, etiā si millies ad eum scripsero. Perinde autē facis, ac si me roges ut nomisma alicui cōmendem. Si monetarius est, respondebo mone te, ut ipsa sese ei commendet. Quinetiam in uita hactale quoddā indicium, cuiusmodi cognoscendo argēto adhibetur, in promptu habere cōueniebat, quo fretus dicere possem, quemadmodū monetarius: Age, quā uoles asfer monetā, ut eam iudicē. At in syllogismo nos id ostentamus, & Age dicimus, syllogismū propone, qui utrū sit ritè cōpositus, planum faciā. Qui potes id? Quoniam analytica syllogismorū mihi sunt nota, & facultatē iudicādi habeo eā, quæ esse in eo debet q de ueritate syllogismorum pronūciat. At in actionibus uitæ quid facio, cū aliās bonum aliquid esse dico, aliās uerò malum? Quæ causa est? Contrarium. Sed contrarium illud in syllogismis appellatur incitā & imperitia.

Ad eum qui fuerat deprehensus in adulterio. Cap. IIII.

In syllogis.
est contrarium
et eius
contrarium
non est.

Cum quodā tempore dixisset Epictetus, hominem natū ad colendā fidem: quod qui refelleret, eundē proprium

proprium quoque hominis est mediò tollere: quidā (ut habebatur) in literis eruditus, accessit, quem cōstabat in ciuitate deprehensum pro adultero. At noster ille sic disputabat: Igitur neglecta fide, ad cuius cultum natura nos genuit, insidiabimur uxori nostri vicini? hoc conatu quid faciemus? Nunquid aliud, quàm perdere & perimere? Quem? Animum fidelem, castum & sanctum. Num sola hæc? Quin etiam uiciniam nōne amittimus, nōne amicitiam, nōne ciuitatem? Qua tandem sede nos collocabimus? Etenim qua conditione ego te utar, o homo? Num ut uicino, an ut amico? sed qualis? num ut ciue? quam tibi fidem habeam? Quod si uasculū tam sis inutile, ut in re nulla uti aliquis te possit, extra domum proijciare in fimetā, ac inde etiam nemo est qui tollere te cupiat. Siquidem autem homo sis, pro homine autem nullo loco te gerere possis, quid usus tui nobis erit? Sed esto ut amici locum habere nequeas, num serui potes? at quis tibi crederet? Nōne satius etiā tibi est, aliquò abijci in fimetū quoddam tanquā uas inutile, aut tanquam sterces quoddā? At dices, Nemō ne me respiciet ut hominem literatum? Quia malus es, & inutilis. Perinde autem facis, atque uermes se pro nihilo haberi si indignè ferrent, aut se ab omnibus fugiēdo uitari, seque feriri aliquando etiam, siquidem possit id facere qui ipsos proijcit. Attu aculeum habes talem, quo si percusseris aliquem, molestiam dolorēque excitabis. Quid ergo uis ut tecum agamus? aut assigna sedē, in qua collocere. Quid ais? fœminæ natura cōmunes non sunt? Imò uerò sunt. porro suilla quoque inuitatorum cōmunis est, sed in portiones distributa, si uisum ita sit, accedens, iuxta accumbentis partem tibi arripe clanculum, aut saltem (carne est manibus dimissa, & carnem si suffurari nequis) unge ac obline digitos, & circumlinge: præclarus scilicet compositor & conuiuia Socraticus. Age, commune nōne est

theatrum omnium ciuium: in quo si confederint, è loco, si libet, aliquem illorū eiecitō. Ita uidelicet fœminæ etiam natura sunt cōmunes. At legislator si eas tanquam hospes & modiperator distribuerit, quare nō tuam partem tibi accipis, sed potius alienam surripis, & liguris? At, inquires, literatus sum & doctus atq; Archedemum intelligo. Ergo Archedemū intelligens, itcirco uis esse mœchus & perfidus, aut pro homine lupus uel uulpes: quid enim interest?

Inter nobi-
les Stoicos
numeratur
Archele-
mus, ut au-
tor est Læ-
tius in Ze-
none.

Quo pacto magnitudo animi & diligentia simul esse possint. Cap. V.

IN materijs nullum est discriminē, sed usus earum differe-
runt. Quo igitur modo seruabit quispiam constantiā tranquillitatemq; simul etiam diligentia, & ut ne hallucinetur aut confundatur, prudentiam? Quando uidelicet imitatus fuerit eos qui talis ludunt. Etenim tali ac calculi nullo sunt discrimine, ut scire queam quemadmodum sint casuri. At eo quod cecidit, circumspicere & ingeniosè uti, id mei est muneris. Ita præcipuū illud in uita munus & officium est nostrum, Rerum discerne atq; internoſce discrimina, & dicito: Quæ extra me sunt, haud sunt mea in potestate, at delectus rerum mea in potestate est. Vbi quæram bonum, itemq; malum? Intrā, in his scilicet quæ mea sunt. In externis autem nolito uti uocabulis bonorum aut malorum, cōmodi aut detrimenti, aut illorum similibus quibusdam. Num igitur promiscuè his est utendum? Nequaquam, quoniam malum id est, respectu uoluntatis, in causaq; est ut contra naturam se habeat. Sed uti decet rebus circumspicere, quod usus scilicet non careat discrimine: simul etiam constanter & placidè, quia in materia nulla est discrepantia. Vbi aliquid mea interest, illic nec impedire me aliqis potest, nec cogere: in his uerò in quibus sum obnoxius utriusq; horum adeptio in potestate mea non est, nec bona etiā hæc sunt, aut mala. Usus enim bonū aut malum est, sed is mei est ar-

Terent. A-
delph. Ita
uita est ho-
minū, qua-
si cū ludas
tesseris: Si il-
lud quod est
maximè o-
pus, iactu
nō cedit, il-
lud quod ce-
cidit fortè,
id arte ut
corrigas.

est arbitrij. Difficile est miscere et in unum conferre ista, scilicet diligentiam eius qui materijs rerum agendarum afficitur, & constantiam eius qui se flecti non patitur. Attamen non est impossibile. quod si sit, felicem quoque esse erit impossibile. At in navigatione quid facimus? quantum habet momenti, si eligam gubernatorem, remiges, diem, occasionem? Deinde tempestas incidit, at istud quid ad me? his enim quae ad me pertinebant, sum functus: quod iam accedit, materia est alterius gubernatoris. Quin etiam nauis mergitur, quid ergo restat mihi agendum? Id quod possum, id uero unum est, ut intrepidè ac sine eiulatu suffocet aqua, nulla diuini numinis accusatione, intelligens omne id quod natum sit, rursus interire, ita uero meam institutam cogitationem: Non sum aeternus, sed homo, pars uniuersi, tanquam hora pars est diei, Praesto me adesse tanquam horam oportet, itemque transire ut horam: quid igitur interest, quemadmodum abeam? suffocatus ne, an sebricitans? Abire enim me aliquo istorum modorum oportet. Id ipsum deprehendes facere quoque eos, qui sphaera ludunt solenter. Horum nemini certamen est de pila, tanquam de malo aut bono quopiam: sed de mittenda ea, & excipienda. Nam in eo conspicitur concinnitas, in eo ars, celeritas, aequitas animi: ut nimirum ego, etiam si non proterendam sinu, possim arripere tamen: alter uero, si proiecero, accipere queat. At si cum turbatione & metu mittamus, excipiamusque, qualis quæso erit ludus? quomodo tuebitur aliquis constantiam, aut quo pacto ordinis habebit ratio: quum unus dixerit, Projice; deinde, Caue ne proieceris: alter autem, unam duntaxat proiectam fuisse contendat. Enim uero lis hæc quid est, non ludus. Quocirca ludere pila Socrates norat. At quomodo ludit in iudicio? Dic, inquit, Anyte, quam ob causam ais Deum me non arbitrari esse? Demones quinam tibi esse uidentur; nonne ex hominibus & dijs quidam mixti generis?

Annunte

Materia est non nauis, sed animi bene constituti, ac uirtute praediti, nullique fortune succumbentis.

In Phaedone.

De natura
demonū, ut
de Platonis
Epimenid.

Annunte illo: Quinam, inquit, hoc ingenio est, ut possit affirmare de mulis, alinos autem interim arbitrari non esse? Sic disputauit, tanquam pila ludens. Sed quæ nam illa erat in medio pila? Viuere scilicet, uinciri, relegari, bibere uenenū, diuelli ab uxore, relinquere liberos pupillos. In medio hæc fuerūt, quibus lusit; ac nihilominus lusit, pilaq; usus est perquam decēter. Haud longè secus nobis quoq; faciendum. Adhibenda cautio longè artificiosissima in huius ludo pilæ, deinde nulla exquilitio quod ad instrumentum pilæ attinet. Enimuerò industriam artificij atq; solertiā omnino decet adhibere alicui externæ materiæ, non quam ipsi eligamus, sed qualiscunq; se nobis obtulerit, in qua artis operam declarare ualeamus. Ita textor lanas non parat, sed quales acciperit, sic in his elaborat. Alius est qui tibi dat uictum & opes, quæ tamen ipsa tibi potest rursus eripere, & cum his corpus etiam. De reliquo materiam tu arripe, & intentus esto operi. Dein si discesseris nihil perpeffus, qui tibi obuiam occurrent, congratulabuntur, quod euaseris. Qui porrò intelligens aspexerit te, ac quod te gesseris honestè cognorit, laudibus te efferet, simulq; lætabitur. Quod si cum dedecore euasisse aliquem uideāt, contrā faciunt. Nam ubi gaudere cōsentaneum est, ibidem congratulatio quoq; locum habet. At in rebus externis quo pacto dicuntur nonnulla secundū naturam existentia, contra naturā nihilominus se habere tamen? Id perinde dicitur, atque si cæteris à rebus essemus soluti. Nam secundū naturā pedi accidit, ut sit purus: sed si ut pedem, ac non à corpore reliquo separatū quid consideres, decebit ipsum & lutū transire, & calcare spineta, & amputari etiam interdū pro conseruando reliquo corpore: quorū si particeps non sit, pro pede certè habendus non sit. Tale quiddā, operæ precij est, ut de nobis ipsis cogitemus, Tu quid es? Homo. Siquidē cōsideras ut solitariū & sepa-

Nihil est p-
pter se in na-
tura, sed p-
pter ordinē
uniuersi,
quo tanquā
sine singula-
rum rerū bo-
num descri-
bitur: Nam
ut ait Arist.
αὐτὰ τῶν πό-
ρων ἡ φύσις.

& separatum à reliquis, secundum naturam inerit producere uitam ad extremam usq; senectutem, abundare & copiosum esse, frui secunda ualitudine: Sin uerò cōtemplare ut hominem, & tanquam partem uniuersi, ad te pertinebunt nimirū ægrotare, modò nauigare & periclitari, modò indigere, interdum etiam ante tempus mori. Quare molestè ista fers? An nescis, hunc non esse pedem, si ita habeat, ut diximus: ita nec tu homo es, si ita sis affectus. Etenim quid est homo? Pars ciuitatis primæ, quæ est ex dijs scilicet hominibusq; constituta: deinde eius etiam quæ uulgo pro ciuitate habetur, quæ simulacrum uidelicet est minutū uniuersæ istius. Quocirca me iam nunc cōdemnari, nunc alium quempiam febre corripì, aliū nauigare, alium fato suo fungi, alium iudicio damnari oportebit. Fieri enim nequit, quin in huiusmodi corpore, in hac tam ampla regione, talibus conuictoribus, alia eueniant alijs. Tui ergo est muneris, accedentem loqui quæ te deceant, & pro rebus natis animo affici: pro tua nimirū parte quantum interest.

Deinde si quidā sic pronunciet, Damno te perpetrati facinoris, Dñ tibi meliora. Feci ego quod meum fuit: an tu feceris tuum, ipse uideris. Nam in eo etiam uertitur tuum periculum: id moneo ne ignores.

De indifferentia rerum. CAP. VI.

Connexum pronunciatum indifferens est: at iudicium eius non est indifferēs, sed uel scientia est, uel opinio, uel error. Ita sanè indifferens est ipsum uiuere, usus uerò differentia non caret. Nōne si quis ista quoque uacare differētia dixerit, negligentes uos faciet: aut si diligentiam & curam acuat, haudquaquā humiles eritis, & admiratione materialū stupidis? Præclarum sanè est suam nosse facultatem, & quibus agēdis rebus sis idoneus, ut nimirum abstineas ab his in quibus non es exercitatus, Ne feras indignè, si qui alij sint abundanti-

q resta-

res talibus in rebus; quandoquidem tu syllogismis conficiēdis solertia alios uincere ac plus habere te reputes, quod indignè si ferant isti, sic eos mitigabis: ut cogitent se ista non didicisse, quæ tu didiceris. Sic ubicunq; fuerit opus exercitatione quadam, ne quæras id emolumentum, quod ab usu eius percipitur: quin illud potius concede his quibus tanquam exercitatis res est commissa, tibi satis sit constanter agere. Abi, & saluta istum. Quomodo? non abiectione & humiliter. At fui non admissus: ingredi autem per ualuam non didici. Quando igitur fores clausas inuenero, aut discedere oportebit, aut per ualuam me inferre. At loquitor ei. Quid loquar? Non demisse. Non reperisti eum. Tuū id non erat, sed ipsius, sed quid ad te, quod est alterius? Cogita semper quid tuum sit, & quid alterius, sic nunquam perturbaberis.

Quamobrem scitè admodum Chrysippus sic loquitur: Quandiu quæ deinceps futura, mihi sunt ignota, in his magis naturæ congruentibus acquiescam, ut nimirum potiar ijs quæ magis secundum naturam dicuntur esse. Ita enim me condidit Deus, ut pro potioribus ista eligerem. Quòd si scirè fata morbum mihi offerre, libēs scilicet ad illum cōtenderem. Etenim pes etiam si compos esset intelligentiæ, sese incitaret ad inquinandum luto. Aristæ quam ob causam nascuntur? Nonne ut inarescant? Ideo autem arescunt, ut uidelicet demetantur nunquam? At dira imprecatio hæc est aristarum, ut demetantur nunquā. Sic statuendum in hominibus quoque detestationem esse, si quis optet non mori: quum simile id sit uoto, quo ut nō maturescāt segetes, nec ut demetantur, quispiam optet. Nos quidem iidem cū simus, & quos merēdo auferri necesse sit: ac simul etiam exploratum habeamus, intelligamusq; nos subinde demeti, quid est quod indignè ferimus? Profectò nec intelligimus qui simus: nec meditati atq; exercitati in rebus huius

bus humanis ita sumus, quemadmodum sunt equites in arte equestri. Proinde cum hostē ferire uellet Chry-
 fantas, quum receptui tuba canī audiret, sese continuit: *In Pedia Cyri apud Xenophōi.*
 ac malus operæ precium censuit mandato imperatoris obedire, quā quod sua intererat facere. At nostrū nullus uocanti aliquō necessitati uolens obtemperat, ac sponte obsequitur: sed lachrymātes eiulantesq; ferimus quæ ferenda sunt nobis, & circumuallari nos malis dicimus, adeoq; circumueniri. Sed quæ nam circumuentio hæc est, o homo? Siquidem circūuentiones appellas ea quibus undiq; appetimur, & quæ imminēt: omnia nimirum erunt *περιστεύεις* & circumuentio: sin uerō sic nominas quia sint absurda, quam quæso absurditatem habet, si quod nascitur, intereat etiam? Quod autem perimit, aut ensis est, aut rota, aut mare, aut tegula, aut tyrānus. Quid sollicitus es qua uia ad inferos descendas, cum æquales sint omnes uia: & uerum si audire uelis, pauciores ambages habet quā dimittit tyrannus. Nullus etenim unquam tyrannus sex mensibus aliquem ingulauit, febris autem toto interdum anno conficit aliquem. Strepitus sunt hæc & pompa inanum uerborū.

Propter Cæsarem in periculum capitis uocor: num ego qui habito Nicopoli, ubi tam crebri existunt terræ motus, de uita non periclitor? Tu ipse quando nauigas Adriam, quale periculum adeundum? Equidem non capite meo, sed opinione tua periclitabor. Quo modo? Quis te cogere poterit, ut opinere aliquid quod nō uelis tu, sed ex alterius pendeat iudicio? Aut quōdnam periculum tuum est, si alij quod falsum sit opinentur? At periculum mihi impendet, quod ē patria ejcior. Quid est relegari? Alibi esse. Romæ ne? Ita sanē. Quid si releger in Gyara? Si uidebitur, proficiscere: sin minus, habes nimirum quō te recipias loco Gyarōν, eoq; te sequetur qui relegauit in Gyara, siue uelit siue nolit. De

cætero quid ista aggredieris tanquam magna, cùm inferiora sint tanto apparatu, ut possit bonæ indolis adolescens dicere: Tanti hæc non erant, ut tanta audirentur, tantaq; scriberentur, tantoq; tempore assideretur senecioni huic non multi precij. Istius duntaxat diuisionis memor esto, qua ponitur discrimen inter tua & nō tua: ne contendas cum aliquo de rebus alienis. Tribunal & carcer, utrumq; locus est, ille quidem altus, hic uerò humilis. Animus æqualis (siquidem ex æquo accōmodes eum utriq;) cōseruari poterit: ac tum imitatores erimus Socratis, quando nimirū in carcere libuerit nobis pœnas conscribere. Pro eo autē ut nunc sumus affecti animis, considera an ualeamus æquo animo audire hortantem quempiam, & pœanas recitante ipso audiamus. Quin potius interrogantem utrum audire uelimus, sic excipere consueuimus: Quid negotij mihi facelsis? an nescis quibus affligar malis? Eo enim statu sunt res meæ, quo occumbere mihi necessum est, Quid dicis? immortales ne reliqui erunt homines?

Quomodo diuinationibus utendum.

CAP. VII.

INtempestiuis diuinationibus plerique multa negligimus officia. Etenim quid prospicere amplius potest futurorū coniector, quā mortem, aut periculum impendens, aut morbū, aut si quid istorum simile? Quādo autē pro amico adeundum discrimen, aut si pro ipso uitam impendere oportuerit, quæ nam se mihi offeret occasio diuinandi? An uatem intra me nō habeo, effertentem substantiā boni, itemq; mali, ac utriusq; etiam signa & notas declarantem? Quid igitur mihi opus est extis, aut auibus? Ergo cunctabor donec responderit mihi, in rem tuam est. Quidnam in rem meā est? Num quid bonum sit nouit? Si quemadmodum signa uiscerum quid portendant didicit, ita quoq; indicia bonorū & malorū explorata habeat, Quod si notas horum nouit, turpium quoq; &

quoq; & honestorum ignarus non erit, item iustorum & iniustorum. Agē ō homo, dic mihi quid significāt uita aut mors, paupertas uel diuitiæ: utrum conducunt ista, an obsunt? Ex te audire cupio, cur in grammatica arte id non indices: & possis tantum id in his rebus in quibus pleriq; omnes hallucinamur, atq; inter nos dimicamus? Quocirca præclare scēmina dixit, uolens Gratillæ relegatæ amplius quid mittere supra dimensum suum cōsuetū. Ei cum dixisset quidam, Hanc exuperantiam detrahet Domicianus: respondit, Malo ut ipse diminuat, quā ut ego non mittam. Quid ergo causæ est, quòd semper pendemus ex diuinationibus? Metus scilicet, & futurorum sollicita expectatio. Idcirco uatibus adulamur: Domine dic, utrum paternorum bonorum hereditas ad me sit peruentura. Videamus, extra inspiciamus. Ita uerò, Domine quid mihi destinat fortuna? Quum hæredem fore responderit, perinde atq; si ab aruspice acciperemus hæreditatem, gratias ei agimus. Atque hanc etiā ob causam isti illudunt nobis.

Quid ergo est, quod capessendum nobis absq; appetitu & declinatione, sit? Quemadmodum uiator ex obuiō sciscitatur quānam uia sibi sit incedendum, eam quæ ad dexteram est non magis appetens hac quā ad leuam dirigitur, utpote cum non uelit alterutra istarum ingredi, sed ea tantum qua possit peruenire ad destinatum locum: Ita sanē cōueniebat nos quoq; accedere ad Deū, ut solent facere uiatores, & eodem etiā modo quo uti solemus oculis, quos adhibemus non ut certius nobis demonstrent aliquid, sed ut ijs apprehendamus uisa & phantasias rerū nobis propositarū. At nunc tremebundi moramur auiculam, & Deum implorantes rogamus ipsum supplices: Miserere mei Domine, da ut possim euadere. Ignauissime homo, aliūdne expetis, quā id quod melius est, num aliud quidpiā melius, quā

*Huius scēmi
næ Plinius
in epistolis
2. episto. 11.
meminit.*

Ita nos do-
cet Christus
orare, ut
fiat uolun-
tas Dei.

quod uisum Deo fuerit: Quare quantum in te est, cor-
rumpis iudicem, seducis consiliarium.

Que substantia sit boni.

CAP. VIII.

DEus salutaris est, sed & bonū ipsum salutare. Con-
sentaneum itaq; ubi sit Deus, illic boni quoq; esse
substantiam. Sed quæ nam substantia est Dei: num ca-
ro: Nequaquā. An fundus, an fama & gloria: Nequa-
quam. At mens, scientia, recta ratio: quam obrem in his
etiam simpliciter inuestiga boni naturam, Hanc quæ-
risne in stirpibus: Non. In aliquōne rationis experte:
Non. Quærens itaq; eam in compote rationis, quid est
quod alibi inquirendam censes, quā in discrepantia
hac, qua differunt intelligentia à non intelligentibus:
Cæterum stirpes apparentium rerum uisis uti nequeūt:
quare bonum quod quærimus, in ipsis esse negas. Itaq;
bonum, requirit usum uisorum & παρασιώμ. Sed an
illum solum: Nam si unum & solum, cōfiteare necesse
est in reliquis quoq; animantibus bona inesse, itemq;
foelicitatem & miseriam. At istud negas: & quidem re-
cte. Nam ut maxime habeant usum uisorum, nihilomi-
nus eum ipsum non assequuntur quadam notitia, & id
quidem nō absurde fit, propterea quòd uisibus aliorum
ut subministrarent, & nō ut præessent atq; imperarent,
sunt nata. Num asinus ex his est, penes quæ solet esse
principatus: Non: sed quia tergo ipsius supportandis os-
neribus indigebamus, quinetiam incesu illius nobis
fuit opus. & hanc ob causam ut uisis uti possit adeptus
est, alioqui enim incedere non posset: si quæ præterea
sunt, ijs nimirum deficitur. Nam si datum quoq; ei esset
assequi usum uisorum, consentaneum non esset ipsum
nobis subijci, nec utendum nobis ita se exhibuisset, ue-
rū æqualis nobis ac similis potius fuisset. Ergo non
censet illic inquirendam boni substantiam, quo nō præ-
sente, haud ex istimes in cæteris appellatione boni uen-
dum: Et

dum: Et quamuis nō sint, nihilominus deorum tamen sunt opera: ueruntamen non principalia, nec particulae deorum. Tu uerō principale quiddam es, delibatum ex diuina natura, habes aliquam partem eius in teipso. Quare ignoras profapiam tuam: nescis unde ueneris: non meminisse uis, quando uesceris, qui existens uescaris, & quem nutrias: & in coetu uiuens, & cum alijs uersans, quando exerceris, quando disputas, an nescis te nutrire Deum, exercere Deum, circumferre Deum te ignoras o miser! Censes me loqui de aureo quodam aut argenteo, quem extrinsecus circumferas? In teipso, inquam, illum gestas, quem coinquinari abs te non sentis. Impuris enim cogitationibus, fordidisq; actionibus id facis. Quod si Dei effigies quædam adesset, non in animum induceres tale quid agere: Deo autem ipso præsentē in penetralibus, & inspiciente omnia, atq; audiente, non pudet te ista cogitare & facere, propriæ naturæ ignarum, & dignum cui Deus sit iratus? De reliquo quid est quod timemus, quando dimittimus adolescentem ē schola ad faciendum aliquid, ne secus quid faciat, ne secus comedat, ne secus gerat se in coetibus, ne abiectior appareat indutus laceris, ne nimis delicatis elegantibusq; uestiatur? An is nescit quo cum spectatore hinc discedat, & ferimus eum sic loqui nobiscum: Volebam ut mecum esses. Num isthic Deum non habes, & alium quæris præterea, cum hunc habeas? Num de alijs quibusdam rebus hic te monebit, quàm illa sint? Quod si Phidiæ esses effigies, Minerua scilicet aut Iupiter, meminisses utiq; & tui ipsius, atq; etiam sculptoris. Ac si quem haberes sensum, conareris nihil indignum facere tuo opifice, neq; etiam teipso, nec indecoro habitu te inspectorum oculis offerres. Iam nunc porro Iupiter cum te fecerit, qui sit ut curæ tibi esse non patiaris, qualem te ostendas; & hac in parte quantum interest

terest inter opifices, itemq; inter opera & effectus: Aut quòdnam est opificiū artificis, quod simul ut factum sit, suas habeat facultates in semetipso, quas præstare possit hac efformatione? Nónne lapis est, aut æs, aut aurum, aut ebur, adeoq; Minerua Phidiæ, porrecta manu semel consistens, ac uictoriam tenens, in perpetuum motu uacat? Sed opificia Dei mobilia sunt, & spirantia, uti uilis possunt, nec carent facultate æstimandi, Talis artificis cum sis opificiū, quare id ipsum dedecoras? Quid, quod non modò te condidit, sed etiam tibi soli credidit, & quid faceres in mandatis dedit? Nec illud meministi, quin etiam commissam tibi tutelam sic ignominia afficis. Quòd si pupillum tibi Deus commisisset, num illum negligeres? Te uerò cum tibi ipsi commendarit, ita inquit, Non habeo alium fideiorem, cui te committam, quàm te ipsum: hunc uolo ita mihi custodias, quemadmodum ipsius natura postulat, pudicum, fidelem, altum, infractum, affectibus uacuum, absque perturbatione: Ergo tuendum illum non suscipies? Quin potius dicent iam, Vnde nobis hic supercilium sustulit, aut tam grauem personam sustinet, quæ ipsum haud decere uideatur? Etenim his quæ didici, quibusq; assentior, nō magno opere confido, meam imbecillitatem perhorresco: sed sinite ac permittite mihi, ut constans & confidens esse possim: tum scilicet assumam uultum, habitumq; qualis me decet, tum uobis ostendam effigiem, quando nimirum absoluta fuerit, quando resplenduerit. At quid uos respicitis, num supercilij contractionem? An effigies Iouis in Olympiā aliquando contraxit supercilium? At eius sic est defixus uultus, qualem nimirum eius esse oportet qui dicit,

Uind. i.

Nec reuocanda, nec irrita, uanāue dico.

Talem uobis etiam me ostendam, uerecundum, generosum,

nerosum, absque perturbatione. Num etiam immortalē, non consenscentem, nullis obnoxium morbis? Non: sed morientem secundum legem diuinam, itemq; egrotantem. Hæc habeo, hæc præstare possum: alia uerò nec habeo, nec in potestate mea sunt. Ostendam uobis neruos philosophi: Quales dicis neruos? Appetitum qui non frustretur, & declinationem quæ non implicetur, conatum officiosum, propositū circumspectum, assensionem non lubricam. Hæc considerate.

*Quod nonnulli suscipiamus personam philosophi, cum interim
non prestemus quod hominis esse uideatur.*

CAPVT IX.

NON est facile istud etiam quod hominis natura postulat & facere et implere. Etenim quid est homo? Animal, inquit, ratione præditū ac mortale. Quum dicimus ipsum compotem rationis, à quibus eum separamus rebus: à feris bestiis scilicet. Num ab alijs quibusdam: ab ouibus quoque & similibus. Vide ergo ne quid tanquam bestia feceris: quod si facias, hominem perdidisti, non præstas id quod præstandum tibi erat. Quinetiam uide ne quid feceris tanquam ouis: si non caueris, hac quoq; ratione hominem perdideris. Quæ sunt igitur illa quæ facimus tanquam oues: quando nimirum uentris gratia aut penis, aut aliâs temere quid agimus, quando sordide, quando oscitanter. Quod degenerauimus: in naturam ouium. Quid amissimus: rationis usum. Quando crudeliter, perniciosè, incitate, uehementer, quam in naturam desciiuimus: Ferarum. De cætero itaque nonnulli ex nobis magnæ sunt bestiae, quidam uerò sumus parvæ bestiolar, & maleficæ, quas abominando & detestando dicere solemus. Deuoret me potius leo. His omnibus naturis id quod de se promittit homo, aboletur. At quando cōnexum
r habetur

habetur pro consentaneo? Quando nimirum quod eo promissum sit concludatur. Quamobrem perfectio est connexi ex ueris contexti. At quando disiunctum? Quando id præstiterit quod eius ratio postulat. quādo tibia, quando lyra est? quando equus, quando canis? Quid ergo mirū, si hominis eadem sit ratio, quoad esse & uiuere dicitur, item quoad nō esse & aboleri? Quāque rem augent atque conseruant consentanea opera: fabrum fabrilia, grammaticum grammatica. Quum assuefeceris barbarē ut scribat, artem corrumpi & aboleri oportebit. Sic uerecundum uerecundæ actiones conseruant, quæ tamen inuerecundum perimunt: fidelem, fidelia, repugnantia autem contrarium efficiunt, & uicissim contraria his contrariè affectos confirmant, augentq: ut impudicum, infidelem, maledicum maledicentia, iracundum ira, auarum exercet crebritas accipiendi dandiq: alternis. Quocirca admonent philosophi, ne simus duntaxat studio discendi occupati, sed etiā adiungamus meditationem, deinde exercitationem. Longo enim tempore contraria facere assuescimus, & opiniones repugnantes ueris ad actiones adhibemus. Quod si non etiā ueras opiniones rebus agendis applicemus, nihil aliud erimus quā decretorum alienorum interpretes. Quis modò ex nobis est, qui non possit solerter disputare de bonis & malis rebus? item quæcunque sint, aut esse bona aut mala, aut amborum in medio. Bona quidem esse uirtutem, & quæ ad uirtutem attineant: mala uerò, contraria: indifferentia porrò, opes, sanitatem, honorem. Interea temporis si differentibus nobis sonitus quidam maior exaudiatur, aut si quis præsentis nos irriserit, animis commouemur. Vbi sunt, philosophie, de quibus modò disseabas? unde ista proferens enunciabas? duntaxat à labijs pronunciabantur scilicet ista, quid aliena re-

media

media conspurcas? quid iacis aleam de rebus maximis?

Aliud est, tanquam in penum reponere uinum & panem, aliud comedere. Quod comestum est, concoquitur, digeritur in corpus, inde nervi, carnes, sanguis, ossa generantur, bonus color efflorescit, spiritus sustentatur. Si habeas seposita alimenta, uolesq; his de promptis ad ostentationem tantum uti, id quidem facere poteris, sed nullo tuo fructu: nec ex eo aliud quid obtinebis, quam ut uidearis habere. Nam quid hoc aliud est, quam interpretari id quod uisum sit alijs? Sedens interpretare nobis quid senserit Epicurus: & fieri potest ut argutius de his rebus disputes, q̃ ipse. Quid appellas te Stoicum? quare decipis & fallis tam multos? Quam ob causam uis haberi inter Græcos, cum sis Iudæus? An nescis, quam ob causam quisque habeatur pro Iudæo, pro Syro, pro Aegypto? At quando conspexerimus aliquem incertarum partium atque anticipi fide, dicere solemus: Iudæus non est, sed simulat. Quum autem affectum induit baptizati, & inter sectatores asciti, tum reuera & est & appellatur Iudæus. Ita nos quoque parabaptistæ sumus, & non legitimè tincti, ^{iuprie o-} dum quisque uerbo tenus duntaxat Iudæus, re autem ^{portet esse} uera aliud quid existit. Animis non afficimur ad rationes, dum uidelicet longè absumus ab opere & cona- ^{lézons in-} quit Aristo-
tu eorum quæ dicimus, nihilominus opinione scientes, & nō
tiæ cuiusdam inflati efferimur & superbimus. Ex quo ^{in ore na-} sci debent,
concludendum, nos personam philosophi nobis arri-
pere sic, ut nihilominus quæ persona hominis de se pro-
mittit, non præstemus. Præstare autem se philoso-
phum, quàm est graue? Perinde autem istud fit,
atq; si quis decem libris tollendis impar,
lapidem Asiæ portare in a-
nimum suum in-
ducat.

Home. l.
lii. H.

Officiorum ratio quemadmodum à uocantibus etiam sit petenda.

CAP. X.

Ciuis munus.

Filij officium.

Considera qui sis. Primum cogita te hominem esse; quod ipsum est, nihil habere in se principalius arbitrio; sed & cætera ei subdita esse, ipsum uerò nulli obnoxium & subiectum. Considera etiam, à quibus te separet intelligendi facultas. Nempe à bestiis dispas immanibus, quin etiam ab ouibus. Hanc ob causam ciuis is mundi, adeoque particula ipsius. Nec ex numero es inseruientium instrumentorum, sed ex principalibus: propterea quòd diuinam gubernationem assequi potes, ac unum ex aliis ratione colligis. Sed quòdnam est ciuis munus? Nihil habere priuatim duntaxat utile, de re nulla consilium capere tanquam ab aliorum consortio separatum: sed perinde ac si manus aut pes rationis esset compos, intelligeretque naturæ suæ usum & commoditatem, nunquam secus ad motum se uel incitarent, uel aliud appeterent, quam quod ad salutem spectaret totius. Quocirca consentaneum est quod dicunt philosophi, si bonus honestusque uir diuinare de futuris posset, suam operam nauaturum impigre perferendo & morbum, & mortem, & corporis mutilationem: siquidem dispensari ista ab ordine uniuersi exploratum haberet. Etenim totum principalius est parte, & ciuitas ciue. At præuidere ac prospicere futura cum non ualeamus, restat ut ijs nos accomodemus, quorum delectus est tanquam potiorum; quum hac lege & conditione etiam nati sumus. Postea in promptu habeatur, si filius quispiam sit, talis personæ hæc esse officia, ut omnia quæ habet patris esse ducat, in omnibus dictio esse audientem, apud neminem derisui habere, nihilque aduersus eum aut loqui aut machinari quo noceat: in omnibus, non contra nitri, sed concedere potius, adiuvando

vando pro parte uítili. Sed & fratrem te esse noscito: *Fratria.*
 eius personæ hæc sunt officia, cōcessio, facilitas, candor,
 non cōtentiose pugnare his quæ sub delectum nostrum
 non cadant, asserēdis, sed humaniter remittere, ut nimi-
 rum in his quæ tuæ sunt potestatis, tu uincas ac superior
 sis. Cogita quæso quantum sit, pro maza aut pro ca-
 thedræ prærogatiua possidere animi æquitatē: qua com-
 pensatione longè plura accipiunt, quàm dantur. Quòd
 si fueris senator ciuitatis, & senator iuuenis, cogita te
 iuuenem esse: si senex, senē: si pater, patrem te esse me-
 mineris. Quoduis enim uocabulum officij, si eius ratio-
 nem perspexeris, describit proprii operis functionem.
 Quòd si hinc discedens, fratrem contempseris tuum:
 oblitus inquam es qui sis, & quod nomen sit tuum. Pro-
 fectò si faber ærarius esses, ac secus malleo quàm ratio
 artis postulat, utereris: mihi crede, haberere pro eo qui
 artem esset oblitus. Tu uerò si te fratris ceperit obliuio,
 & pro fratre inimicum ei te exhibeas, putabimus scilli-
 cet, nulla facta permutatione, te alium quàm prius fue-
 ris esse factum: Si pro homine, qui est mansuetū & uti- *Homo.*
 litati multorum inferuiens animal, exhibueris te pesti-
 feram beluam, fraudulentam aut mordacem, nihil scilicet
 amisisti: Vtrum necesse est, si puniatur quispiam,
 eum tum demum puniri, si quid damnosum sit ratione
 lucri, num aliud nihil est cuius amissione mulctari malè
 possit homo? Si grāmaticam aut musicam oblitus ami-
 seris artem, damni te aliquid fecisse censes: quòd si pu-
 dorem, & moderationē animi, mansuetudinēq; abie-
 ceris, pro nihilo habes. tametsi illa propter externam a-
 liquam & uiolentam causam aboleri, hæc uerò à nobis
 ipsis perimi soleant: & illa nec habere nec amittere tur-
 pe sit, hæc uerò & non habere & perdere ignominio-
 sissimum pariter & miserrimū sit. Quid quæso amittit
 cinædus, dum patitur? Virum. Quid is qui ceuet? Præ-
 r 3 ter multa

*Nullus ma-
lus absque
pœna.*

ter multa alia, ipse etiam uirum perdit. Quid adulter perdit? Animum pudicum, temperantem, modestum, quinetiam ciuem, uicinum. Quid iratus perdit? aliud quiddam. Quid formidolosus? & ipse aliud quiddam: etenim nullus absque detrimento & pœna malus est. De cætero autem, si de damno, quod opponitur lucro, queris, omnes illi de quibus diximus, si detrimenti nihil patiantur (siquidẽ pro re nata ita contigerit ut ipsis pœnæ non irrogentur, pro non mulctatis scilicet habebuntur, præsertim cum interdum aliquid inde lucri referant atq; emolumenti, si quid tale perpetrarint. Considera porro (siquidem refers omnia ad Iucellum quoddam) hac ratione nimirum nec is qui nasum amiserit, damni aliquid fecisse dicendus. Certè, inquiet, pro mutilato est habendus, & hac ratione detrimentũ perpeßus. At si facultatem ipsam subodorandi amiserit, num damni eum nihil fecisse censendum? Ergo animæ facultas non est pro nihilo habenda, cuius qui sit compos, commo- dum inde percipiat: qui uerò ea priuẽ, ob id detrimento affectum dicamus. Quæ nam uerò hæc est facultas? Nullane est, qua pudici esse queamus? Insitam nobis habemus. Ergo qui hac fuerit orbatus, nihil accipit detrimenti: nulla re priuatur: nihil amittit eorum quæ ipsius erant, & ad se pertinebant? Nihil igitur à natura nobis est insitum? A natura nobis datum est, ut possimus esse fideles, amantes nostrorũ, opitulatores, & ut queamus patienter offensas mutuas tolerare. In talibus itaq; rebus detrimentis se affectum qui non sentit, aut negligit, num extra noxam erit, & mulctæ expers? Quid ergo faciam? fas non est ut uicissim noceã ei qui nocuit? Primum considera quid sit nocere, & repete memoria quæ aliquãdo ex philosophis audieris. Nam si bonum est in arbitrio & delectu uoluntario rerum, etiam malum illic erit pariter ut bonũ. Vide ne quid tale sit de quo dicis.

Num

Num quia ille sibi nocuit dum me afficit iniuria, ego mihi non caueam ne noceam mihi ipsi, uicissim iniuria afficiendo ipsum? Quare istud non reputamus nobiscū? ubicunque enim in his quæ ad corpus pertinent possessionibus aliquid damni acceperimus, illic iacturam nos fecisse arbitramur: sed in arbitrarijs delectibus, quæ detrimenta nobis eueniunt, nihilominus tamen damnum nos accepisse nullum censemus: quædoquidem qui decipitur aut decipit, ei propterea quod fallitur aut fallit, nec caput doleat, nec oculus, nec coxa, sed nec fundum amittit. Nos uerò aliud nihil uolumus quàm ista: inter nos uerò disceptatio nulla est, ne mediocris quidem, utrum satius sit uoluntatem habere pudicam & fidelem, an uerò impudicam & infidelem: nec in his uentilandis ultra disputatiunculas ociosas & scholasticas progredimur. Proficimus igitur duntaxat disputatiunculis, ac ne minimum quidem præter eas præstare possumus.

Satius est iniuriā pati quàm facere.

Quod principium sit philosophiæ.

CAPVT XI.

INitium philosophiæ apud eos, qui ut decet eam uel à primo limine salutarunt, est, conscientia suæ infirmitatis atque imbecillitatis, in rebus ad uitam necessarijs. Trianguli enim rectanguli, aut minimi interualli in semitonio (quod Græci uocant dielin) à natura nullam habentes notitiam, uenimus, cum horum quoduis addiscamus artificis traditione. Quo sanè accidit, ut qui ista ignorant, nequaquam opinentur se scire quod nesciunt. At boni & mali, honesti & turpis, decori & indecentis, felicitatis & miserie, item eius quod officij tui sit, & quod te facere oporteat, tuarumque sit partium, aut non sit, quis naturalem insitamque notitiam non secum affert? Quocirca uocabulis his utimur omnes, & applicare molimur tales prenotiones singulis rebus & factis, dum uidelicet ita loquimur, Rectè fecit, ut decebat, aut non ut

non ut decuit, incidit in miseriam, bene ei successit, iniustus est, iustus est. Quis ab his uocabulis sibi temperat, quis illorum usum differt usque dum instituat a preceptoribus ut fieri solet in literis aut sonis, quum nondum didiceris? Huius causa est, quod nimirum tanquam a natura docti quidam hunc in locum ueniunt: a quibus exordium facientes, nostram quoque adiungimus opinionem. Quare, inquit, nescirem ego quid honestum, quid turpe? Ego ista non intelligerem? Utique nouisti. Num rebus singulis non possum accommodare? Utique potes. An uero recte & conuenienter non possum? Certe in eo cardo quaestionis uertitur, ibi se insinuare incipit opinio. Dum enim incipiunt ab his quae omnium confessione sunt concessa, procedunt ad ea quae habent ancipitem controuersiam, propter non consentaneam rebus applicationem. Quod si simul hanc quoque notitiam obtinerent, quid impediret quo minus essent perfecti? Iam uero quum te existimes consentaneae praenotiones rebus singulis applicare, dic mihi unde istud colligis? Ex eo, quia uidetur mihi. Est aliquis cui non uideatur idem quod tibi, & is nihilominus sibi persuadet se conuenientia facere & consentanea, an uero censes hunc non ita opinari? Opinatur utique. Potestisne in hoc diuortio opinionum ambo consentanea rebus statuere? Non possumus. Num habes ut ostendas nobis, quadrare rationes tuas rebus agendis, eminentius quidam ac melius, quam istud ipsum, quo dicis ideo rectum esse, quod nimirum ita uidetur tibi? Num furiosus aliud facit, quam quod sibi uidetur bonum? an ei satis est ad se defendendum huiusmodi iudicium? Non satis uidetur esse. Ergo accede ad sublimius iudicium, quam id sit, quo tibi uideri aliquid dicis. Quodnam illud est? Principium scilicet philosophiae, quod ipsum est noticia discordiae qua inter se pugnare solent homines, & peruestigatio

Nam illud
est prudentiae,
in syllog. minor.

Philosophiae
principium.

stigatio unde dissensio & bella huiusmodi oboriantur: præterea reiectio & cautio eius quod obiter contemplantis ira uideri solet: nec nõ accurata inquisitio, num rectè aliquid uideat: quin etiã inuentio regulæ cuiusdam, quemadmodum pensitandis ponderibus statera est inuenta, & ut perpendiculum atque amulsis tortuosis & rectis internoscendis. Primordium ne illud est philosophiæ, Omnia recta esse pro eo ut cuique uisum fuerit: At qui fieri potest, ut pugnantia inter se sint recta? Ergo non omnia sunt recta, sed duntaxat illa quæ nobis uidentur. Quid ni recta sint etiam quæ uideantur Syris, quæ Aegyptiis, hac conditione non minus atque mihi, ac nõ magis mihi quàm cuius alijs: ergo quæ mihi uidentur, non magis recta erunt, quàm aliorum uisa. Itaq; ut aliquid rectè se habeat, satis nõ est id quod cuiq; uisum fuerit. Nam ne in ponderibus quidem librandis, uisum fuerit. Nam ne in ponderibus quidem librandis, mensurandisq; rebus, nudis uisus sumus contenti, sed in omnibus regulã quandam adhibemus. In his ergo (de quibus loquimur) regula & examen nullum erit eminentius, quàm uideri nobis aliquid: Sed qui fieri potest, ut certa indicia nulla sint, aut peruestigare ea non queamus, quibus in uita hominum nihil est magis necessarium? Quod si est aliquid, quare non quærimus: & inuento quare nõ absq; ulla transgressione utimur, ita ut ne digitum quidem absq; eo extendamus? Eo inuento, ut mea fert sententiã, liberari infania sua poterũt hi, qui una hac mensura abutuntur, qua nimirũ sibi uideri aliquid dicunt, & ideo quia uideatur censent rectum.

De reliquo ut res magis sit perspicua, à notis & illustribus exemplis initium faciamus, atque usum prænotionum adhibeamus minimè confusum in rebus singulis. Quid ei rei de qua quærimus, ac mēsuræ subiicitur? Voluptas. Ei adhibe regulam, impone in staterã. Nonne bonũ est appellandum, cui sit cōsidendum? Quidni?

s Num

Apud Platonem in Theæteto, Protagoræ sententiã, Homo omnium rerũ est mēsurã, ita ut uerũ sit id quod cuiq; uisum fuerit.

* Hæc pueri la pape 158 in uero de la pape 161, & similit. apud de pueri.

rite cupidum eorum quæ debeantur & data sibi nō sint
 & interim nolit, quæ necesse sit, habere tamen, cum ne-
 scius sit scilicet utroq; & eorum quæ sua sunt & eorum
 item quæ externa & aliena? Quod si de his exploratum
 haberet, nunquam scilicet impediretur, nunquā fuisset à
 quoquam prohibitus, non etiā fuisset aliqua in re an-
 xius. Quid nī? Num timore afficitur quispiam in re-
 bus non malis? Non. Num in malis, quæ ut utare pos-
 sit, in sua habet potestate? Nequaquam. Ita si quæ subie-
 cta non sunt arbitrio nostro, nec bona sunt nec mala, in
 potestate uerò nostra sint omnia quæ deligi uoluntate
 nostra possunt, hæc nimirum huiusmodi res erunt quas
 auferre à nobis nemo possit, nec recusantibus aut no-
 lentibus conferre: quæ cum ita sint comparata, qui lo-
 cus erit anxietati? At causa corpusculi & possessiūculæ
 solliciti sumus, item quid de nobis sit existimaturus Cæ-
 sar: de rebus internis nemo est sollicitus. Num curæ no-
 bis esse patimur, ne quod falsum est, opinemur? Non.
 Quoniam id in me est situm. Num, ut nequid contra
 naturam appetam? Nec id mihi curæ est. Quando i-
 gitur quempiam uideris expallescens (quemadmo-
 dum medicus à colore iudicat aliquem ex splene labora-
 re, aut alium quempiā ex iocinore) ita scilicet pronun-
 ciabis, Istius appetitio & declinatio laborant, non recta
 uia incedit, inflammatione afficitur. Nihil enim aliud
 est quod colorē unum mutat ex alio, nihil quod treme-
 bundos efficiat, nihil quod stridorem dentium, nihil
 quo alicuius Genua labent, timidusq; pedes procum-
 bat in ambos. Quocirca Zenon, quū Antigonū con-
 ueniret, nullis curis angebatur. Nā quæ mirabatur An-
 tigonus in Zenone, hoc ipse nihil in sua habebat pote-
 state: ea uerò quibus abundabat Antigonus, non ma-
 gnificiebat Zenon. At cōtrā Antigonus cum Zeno-
 ne congressurus, nō carebat anxietate, & haud iniuriat
 quippe

Vide Laër-
 tium in Ze-
 nonis uita.

quippe conabatur ei se commendare. Id uerò quo id
posset, extra ipsum aliquid erat. Zeno autem non id a-
gebat ut placeret Antigono: quum aliàs etiam artifex
nullus sit, qui rudi & inertì cuspìam placere studeat.
Ego placere tibi cupio. Quam ob causam? Quia men-
surā nosti, qua homo ab homine potest cognosci. Quin-
etiam exercitatus in eo es, ut possis scire qui probus sit,
itemq; improbus homo, & quemadmodum uterq; effi-
ciatur. Quì ergo sit, ut tu ipse non sis? Quid ais? ego ue-
rò non essem. Ideo non es, quia bonus nemo qui mœ-
stus sit, aut lamentetur, aut eiulet: nullus expallescit, aut *Hæc omnia*
contremiscit, nec in hæc sententiam loquitur, Quis me *sunt Stoici.*
suscipiet, quis audiet? Ignauissime homo, hæc faciet
prout ipsi fuerit uisum, quid tibi curæ sunt alienæ? Nunc
ipsum peccatum est, quòd ab eo perperam ac uitiose ista
excipiuntur. At quid prohibet quo minus istud acci-
dat? Num eiusdem peccatum nō est, cuius malum esse
reputatur? Est profectò. Sed curasne quæ extra te
sunt? Quid nī? Curæ enim mihi est, ut sim uerba factu-
rus præsentē ipso: quin etiam metuo, ne repellar. An
scripturus nomen Dionis, times ne quid te impediatur?
Nequaquam. Quæ causæ an non quia scribendo te
exercuisti? Quippe nī? Si legendum, nōne eodem af-
fectus es modò? Scilicet. Quid porrò causæ est? Quia
uidelicet ars omnis firmum quiddam & confidens est
in suis actionibus. Loqui nō didicisti? num aliud quid *utramq; or-*
meditatus es in scholis, quàm syllogismos & rationes *ta: uocant*
oppositum concludentes etus quod respondens consti- *tales syllo-*
tuerat: sed quare in his te exercuisti? nōne ut scienter *gismos*
posses differere? At quid est appositè disputare? nōne *Stoici.*
oportunè, tutò, intelligenter, & ut nusquam offendas,
ut à nullo impedire, & in uniuersis his summa fiducia
agas? Eques si ueneris in campum, num à pedite tibi
metuis, quando uidelicet tu exercitatus, is uerò rudis
fueris.

*« voir par la page 146 au verso de la page 139, 2.° feuille
après la première »*

5-2

sum, quo perspicietis, quas lites ipse composuerit. Nec immeritò apud poëtas maximæ laudis ducitur illud,

Hic citò certamen prudenti uoce diremit.

At disputare nonne periculosum quiddam est, & præsertim Romæ? Qui enim facere istud molitur, in angulo confidentem nequaquam facere oportebit, sed accedentem (si res ita tulerit) ad diuitem quendam consulem, ex ipso sciscitari: Potèsnè mihi dicere, cui equos tuos commiseris? Sanè quidem possum. Num cuius obuiò & imperito equestris artis? Nequaquam. Quid? num aurum argentumque & uestem? Ne ista quidem commendaui, nisi scienti. Corpus uerò tuum cuiusquam ne curationi ut committeres, tecum deliberasti? Quidni deliberarim? Perito uidelicet alicui Aliptæ, aut Medico? Ita uerò? An hæc præstantissima tibi uidentur, ac his non multo melius quid possidere te censes? Sed illud quidnam est? Istud nimirum, quòd uti his omnibus potest, & diiudicare, & còsiliu capere de singulis. Num animam dicis? Rectè accipis: etenim de hac loquor, qua possideri præstabilius etiam comparatione aliarum rerum nihil arbitrer. Itaque potèsnè dicere quo pacto animam tuam curaueris? Consentaneum non est, te, qui ita sapiens uideare, & in ciuitate emi-nens, temerè & pro re nata id quod optimu in te sit, & præstantissimum, negligere, ac de ipsius salute periclitari. Nequaquam, sed ipse me hac in parte non negligo. Id ut possis, utrum ab aliquo didicisti, an per te id còsecutus es? De reliquo oboritur periculum: Primum ne dicat, Quid ad te ô bone uir, quid tua interest? Quòd si facere negotium mihi perrexeris, pugnos senties.

Ita hodie quoque loquitur, qui uideri quã

esse maluit philosophi: Olim, inquit, cum ego incumberem philosophiæ, quam tamen eam ne per transennam quidem aspexerim.

Quondam talium studiorum ego quoq; sectator eram, antequã scilicet implicari huiusmodi rebus me còtigít. De an-

QUum anxium uideo hominem, Quid, inquam, hic sibi uult? siquidem non appeteret aliquid earum rerum quæ in potestate ipsius non sunt, utiq; sollicitus non esset. Quoniam citharædus si canit solus, nihil est quo angatur: sed ingressus theatrum, quantumuis sit uocalis, & bene callens artis suæ, sollicitus tamen est, propterea quod non solum bellè cupit canere, sed etiam commendari ab auditoribus. At id in potestate ipsius non est. De reliquo cuius rei scientia præditus quispiam est, ea certum est ipsum quoq; confidentem esse. Quem uoles adducito imperitum, non curabit. Quoad uerò non nouit, aut sese non exercuit, eatenus anxius esse consuevit. Quid illud est quod ignorat? Nescit quid sit populus, itemq; quid populi laudes. Pulsare autem didicit tantum neten & hypaten. At collaudatio à multis profecta quidnam sit, & quam uim in uita habeat, id nec didicit, nec in eo cognoscendo se exercuit. Quare necesse est ipsum tremere, & expallescere. Itaque sic perterritum quando conspexero aliquem, non quod non sit citharædus dicere possum: sed quod aliud sit, & hoc ipsum non unum quiddam, sed complura, pronunciare ualeo. Ac primum omnium hospitem eum uoco, sic inquam: Iste homo ubinam terrarum sit, nescit: tamq; diu his in locis commoratus, ignorat ciuitatis leges ac mores, quid item conducatur, & quid non. Nec uerò sibi adiunxit aliquem gnarum istarum legum, qui ei diceret atq; interpretaretur, quæ pro legitimis habeantur. Proinde testamentum non scribit, qui nescit ut sit scribendum, aut qui intelligentem non adhibeat, nec item sponsionis obsignat aut cautionis literas scribit. At appetitu absq; legitima ratione utitur, & declinatione ac prosecutione, item attentione & instituto uitæ. At qui sit, ut si ne præscripto iuris ac legum non norit se quispiam esse

Num stabile quiddam est uoluptas? Non. Tolle igitur, & reijce ex lance, atque ex numero honorum ac sede procul repelle. Quod si cæcutias, & quæ in te est stas-
 tera ad pensitandum non sufficit, adhibeto aliud quid-
 dam. In bonis gloriari ne licet? Vtique. Præsentibus uo-
 luptatibus est ne qui possit gloriari? Vide ne dixeris, cõ-
 uenire: quod si annuas, ne trutina quidem dignũ te ar-
 bitrabor. Siciudicantur res, & appenduntur constitutis
Philoso- *phũ agere.* regulis: atque id ipsum est philosophum agere, con-
 templari scilicet & confirmare regulas. Cæterum uti e-
 tiam his definitis, & agere quæ cognoris, id omnibus
 muneris perfecti est & absoluti hominis.

De differendo.

CAP. XII.

PRæcepta à nostris accuratè sunt tractata, quorum
 intelligentem esse oportet cum qui sermone cupias
 uti, atq; ratiocinatione. At ijs quemadmodum utamur
 rebus conuenienter, nulla prorsus exercitatione conse-
 quimur. Cuicumque ergo uoles nostrum, plebeium ali-
 quem adducito, quo cum disputet, haud reperiet quem-
 admodum eo ad disputandum utatur: sed pauculis com-
 mouens ipsum, quando secundum crux nõ occurrerit,
 nihilq; sit amplius quo cum subigat disputando, aut in
 conuicia prorumpit, aut irridet, inquires, Rudis est, &
 inhabilis quo cum disputet aliquis. Cæterum dux iti-
 neris, si quẽ errare depræhendat, reducit in uiam, quam
 oportet: nec relinquit ipsum, maledictis incessens, aut
 irridens. Quocirca & tu uerum ei indices, & senties i-
 psum subsecuturum. Quoad uerò nõ demonstraris, ea-
 tenus ne irriseris: sed potius tuã ipsius animaduerte im-
 becillitatem. Sed ut se gessit in cõgressibus Socrates?
Socrates *qualis fue-* *rit in con-* *gressibus.* Eum quo cum differebat, coge-
 bat argumentis, ut de ue-
 ritate testimoniũ ei diceret, nec alterius testimonio in-
 digebat: quam ob causã licebat quoq; ei dicere: Quo-
 uis alios ualere iubeo, semper solo eo contentus sum qui
 contra

contrā disputat, tanquā teste, nec alios ad suffragandum
aduoco, sed duntaxat eum quo cum disputatio suscipiū.
Tam euidentibus enim argumētis utebatur primarum
notitiarū, ut quiuis, simul ut deprehēdisset eum his pu-
gnantia, pro nō cōsentaneis ea relinqueret, et abiiceret.
Qui inuidet, num gaudere etiā potest? Nequaquā, sed *In Philobon*
potius tristitia ac mœrore afficiū. A' contrario mouebat
eum, qui disputando congregiebat. An cēses inuidiam
esse, quā tristitē quispiam alienis in malis? Aut quā nam
in malis potest esse inuidia? Consecutus ad extremū est,
ut statueret, hanc locū habere in bonis alienis. Quine-
tiam quā causā esset inuidēdi in his, quā ad se nihil per-
tinent? Nulla. Sic absolvens notionē, ac singulis parti-
culis colligēs discessit, nō præcipiens alicui ut inuidiam
definiret: deinde si definiisset, reprehendens quod malē
finiisset. Non enim ē regione uocabula artis consequū *ut sunt uo-*
tur ad definitionē hanc, quā ex singulis quæ sitis postea *cabula secū-*
summatim colligitur: quā uocabula ut plebeijs sunt au- *deri, ut uo-*
ditu molesta, ita ad intelligendum difficilia, à quibus ta- *cant, inten-*
men temperare nobis haud possumus. At ea ex quibus *tionum: ut*
plebeius quispiā (his quæ sibi uideantur perspicuis an- *generis, dif-*
imum adhibens) uel astipulari, uel negare potest aliquid *ferentia, et*
eorū quæ prius constituerit, in disputando nō produci- *reliquorū.*
mus, quibus nimirū queamus mouere ipsum. Quocir-
ca nos nostrā animaduertentes imbecillitatē, nō imme-
ritō ab huiusmodi cōgressibus abstinemus: quicūq; sci-
licet temerarij nō uideri uolumus. Pleriq; autē & incauti
dum se dant disputationibus, cōfundunt & cōfundunt,
& ad extremū cōuicijs & proscindentes & proscissi di-
scedunt. Primū illud & maximē propriū fuit So- *Socratis in*
cratis, ut disputando non excandesceret, nec malignum *disputando*
aliquid aut iniuriū proferret: sed potius conuiciatores *mos.*
sustinebat, & dirimere pugnas solebat. Si libet cogno-
scere, quantus in eo fuerit, legite Xenophontis Sympo-
sium, x

x. Cuius priora la page 140 au verso de la page 143. & finit
avant la page 144.

5.4

Laertius in
Diogene.

fuerit? Certè, quum potestatem habeat me occidendì. Ergo infelix loquitur quod consentaneum, & non ambitiose simules, aut te philosophum esse: quin etiã agnosce dominos tuos, & quoad habueris ansam quam arripuisti in corpore, sequere omne id quod ipso est ualentius. Equidẽ in his se exercuit Socrates, quibus ad tyrannos uteretur sermonibus, & quibus ad iudices, & quibus etiã dum carcere detineretur. Quin tales sermones meditatus quoq; est Diogenes, quum his usus sit ad Alexandrum, & ad Philippum etiã, præterea ad piratas, & eum cui uendebatur. His inquam permittite ista, quum exercitati ijs, omni fiducia uti ualeant. Tu ad tuas accedito artes, & ab his nunquam discesseris. In angulum aliquem te confer, & illic cõtexe syllogismos, & cuipiam disputando te opponas, quoniam

Dux ciuitatis magnus in te nullus est,

Ad Nasonem.

C A P. XIII.

QUODAM illustri Romano unã cum filio suo ingressõ, quum unam prælectionem audisset, Nostra hæc, inquit, forma est doctrinæ: quo dicto, filiu.

Rogante porro eo qui aderat, ut pergeret differendo: Molestiã, ait, exhibet omnis ars, quando imperito alicui & rudi proponitur. At eaque per artẽ efficiuntur, & isti effectus quibus artes utilitatẽ cui destinant statim conspicuã exhibent, & pleraq; etiã præter usum uoluptate quadã & iucunditate etiã afficiunt. Enimvero indecorum est, quẽadmodum futor discat artem suam, exquirendo occupatũ adesse, & animum attendere; quum tamen usu suo calcens sit utilis, & alioquin ingrata species insipientibus. Ita fabri quoq; disciplina iniucunda, præsertim rudĩ, & qui eam assequi non ualeat, nihilominus tamen opus conspicuam utilitatem artis declarat. Idipsum multo magis euenire in musica intelligis.

telligis. Quando enim affueris discipulo eius artis omnium ingratissima hæc uidebitur esse: quum tamen opera ipsa demulceant suauitate & gratia imperitorum quoque aures. Quare in præsentia quoque philosophantis opus tale quiddam esse cogitemus, ut nimirum illud sit, quo accommodet quispiam suam uoluntatem rebus occurrentibus, sic, ut inuitis nobis nihil accadat, in his quæ nobis eueniunt: in his uerò quæ non eueniunt, non recusantibus tamen nobis non eueniant. Qua facultate (qui eam sibi acquisierunt) id consequuntur, ut nec appetant quod non adipiscantur, nec declinent quod non fugiant & euadant: adeoque sine mœrore, sine metu, sine perturbatione & secum & cum alijs uitam transigant, obseruando decorum, & id quod natura à nobis exigit, & quod temporis locique gratia personam deceat cuiusque. Vt (uerbi gratia) si filius sit, si pater, frater, ciuis, uir, foemina, uicinus, si congregiatur cum alijs, si imperet, si obediat. In huiusmodi officijs uersari philosophantem, nemo non sibi persuasum habet. Deinceps, quomodo his præstandis se gerat, querimus. Proinde obscurum nemini est, quin faber addiscens fabrilis, gnarus artificij: & gubernator, discendis quibusdam, talis efficiatur. Quidni etiam hoc loco satis non sit, uelle bonum sapientemque effici, quin potius discenda quædam erunt: Inquiramus ergo cuiusmodi hæc sint, quæ nobis philosophi proponunt. Horum præcepto primum constat id discendum, quod nimirum Deus sit prouidens omnia, & quem latere non possis, non modò si facias aliquid, sed etiam si cogites, aut in animum inducas. Deinde quales sint dii considerandum. Nam si quales sint repertum fuerit eum qui placere his studeat, & obedire, pro uiribus necesse est ut sese his simile exhibeat. Quod si Deus fidelis est, & eum qui placere uelit Deo fidelem esse oportebit: si liberalis,

Philosophantis opus cuiusmodi.

t

liberalem:

liberalem: si beneficus, beneficum: si magnanimus, & ipsum te magno animo esse oportebit: & in omnibus reliquis tanquam Dei imitorem, omnia & facere & loqui conueniet. Sed unde initium est faciendum?

Si acquiescas, dicam tibi. Primum, oportebit te uim uocabulorum obseruare. Quasi uerò non intelligam ego uocabula rerum? Non animaduertis. Qui istud, cum ijs subinde utar? Ita scilicet uteris, tanquam artis grammaticæ ignari uocibus grammaticis, tanquam pecora utuntur uis. Aliud enim est usus, aliud animaduertere usum. Quod si te ista non ignorare reris, propone quodcumque uoles seu bonæ seu malæ rei uocabulum: & tales experiemur, utrum intelligant res significatas. At inhumanum est, senem, & fortasse etiam qui ter stipendia meruerit, coargui. Non equidem nescio, etenim ad me sic uenisti, tanquam tibi si nihil desit. Sed ne coniectura quidem fingere tibi licet, tibi deesse quidpiam. Sunt etenim tibi liberi, habes uxorem, & familiam multam, notus es Romæ Cæsari, multi tibi sunt amici, omnia abs te præstantur officia, nosti ut res munerandus sit is qui de te bene sit meritus, & ut multandus malo uicissim is à quo iniuria tibi sit facta: denique quid tibi quæso desit? Quando igitur planum fecero, tibi deesse maxime necessaria, & præcipua quæ sunt ad consequendam felicitatem, & quod ad id usque temporis quiduis potius egeris quam ut tibi curæ essent quæ ad te maxime pertinent: & ut Colophona (quod dici solet) tandem imponam, si ostendero te nec quid Deus sit, nec quid homo sit, nec uerò quid bonum, intelligere: quod fortasse te admoneri utcunque feras, qui uerò istud æquis accipies auribus, quum quod ne te ipsum quidem noris dixero, num reprehensionem sustinere, aut ei saltem aures præbere tuas poteris? Nequaquam, sed protinus inde digressus magnam capies molestiam,

molestiam. Ego uerò num quā iniuria te affeci? Nisi fortasse idem facit speculum, quando deformi suam qualis sit representat speciem. nili medicus ægroto nocet, aut iniuriam facit, quum sic dixerit: Agè, nihil eorum quæ putas habes, sed febris te uexat, abstine à cibis, hodie aquam bibas. Et his nemo iniquus acclamat, O insignē iniuriam, At si alicui dixeris, Inflammatae sunt tuæ libidines, cautiones sunt humiles & abiectæ, studia disparia & non consentientia, appetitus naturæ non congruentes, opiniones temerariæ & falsæ: egressus confestim dicit, Iniuria me affecit. Proinde res in communi uita sic est comparata, atque in celebri conuentu mercatus & nundinarum, ad quas aguntur pecora multa & boues. Complures etiam homines conueniunt partim empturi, partim uendituri: pauci uerò cōtemplatum duntaxat ueniunt celebritatem illam. sed quomodo istud & quare fit? Et quīnam conuentus tales agunt, & qua de causa? Ita fieri consuevit in conuentu uitæ communis. Quidam enim instar pecorum, præterquam pabulum nihil aliud curant. Quibus enim curæ sunt fortunæ, agri, familiæ, imperia: hi dere alia nulla sunt solliciti, quàm de pabulo. Pauci sunt in isto cœtu cognitionis & intelligentiæ cupidi, ut sciant quid mundus sit, quis ipsum gubernet. At dicēs, Nemo est. Quī poterit hoc esse uerum? Ciuitas aut domus ne momento quidem aut puncto temporis consistere sine procuratore & gubernatore potest: & hictanta amplitudine & magnitudine præditus mundus, temere ac fortuito, nulloq; ordine administrari poterit? Ergo est aliquis ipsius gubernator. Sed qualis ille, & quemadmodum administrat? Nos uerò qua lege ab eo sumus conditi, & cui operi destinati? Num cognatio quædam & uinculum quoddam nobis cum illo est, an nihil consociatum & coniunctum? Sic afficiunt.

*Vita homi-
num ad pa-
negyrim col-
latio.*

*Cicero in
prefatione
lib. 5. Tusc.
question.*

*Mundum
providem-
tiaregi.*

afficiuntur animo pauci, ac de reliquo soli Deo sunt ad dicti dum hoc agūt, ut contēplantes conuentum illū discedant. Ridentur uerò à plerisque, quandoquidem & in ludis panegyricis spectatores à mercatorib; irridentur. Quòd si in pecoribus conscientia inesset, riderēt utiq; eos, qui aliud quid quàm pabulum admirarentur.

Ad eos qui contumaciter in eo quod semel statuerunt, perseuerant. CAP. XV.

Nonnulli quum disputationes tales audierint, quibus nimirum iubeantur esse constantes: & præterea quòd arbitrium natura sit liberum, & tale quod cogi non possit, cætera uerò uniuersa impedimentis necessitati ac uiolentiæ, obnoxia serua, & ad nos nihil pertinentia, opinantur se debere in omnibus quæ semel decreuerint, absque cessione ulla permanere. At in primis sanum esse oportet quod statuitur. Censeo enim robur ac neruos debere esse in corpore, sed ut in sano, & ut in atletico. Quòd si mihi furiosi uires ostentaris, & uana gloriatione superbias, suadebo sanè, ô homo, tibi ut medicum quæras, robur etenim illud non est, sed quodammodo uirium imbecillitas. Huiusmodi affectio animos quoque illorum occupat, à quibus disputatio hæc (de constantia) non rectè percipitur. Quod ipsum amico etiam cuidam meo accidit, qui nullam ob causam inedia mori decreuerat, qui cum iam tertium diem abstinuisset cibo, & ego ipsum accedens quærerem, quidnam euenisset, respondit, se inediam decreuisse. At ego: Quid, inquam, hoc

Tale quiddam propter obstina-

ut faceres tibi persuasit? Nam si rectè statuisti, agere assentiemur tibi, & iuuabimus etiam ut hinc discendas: *fin*

tionem animi fecisse Corellium quoque, scribit Plinius in Epistolis. Sic Plinius: Dixerat senè medico admoventi cibum, *ut in 120.* Idem scribit de Silio Italico, lib. 3. Epistol.

das : sin peruerse decreuisti, muta sententiam. Sed manendum in his constanter, quæ semel statueris. Quid agis, bone uir? non persistendum in omnibus, sed his duntaxat quæ conuenienter sunt constituta. Si ita animo nunc affectus pronuncies, noctem esse, tibi- que ita diceres uideri, mutares scilicet nunquam sententiam tuam, sed in ea persisteres hanc ob causam, quòd mutandum non uideatur, si quid semel sit constitutum. Quid agis, bone uir? nonne omnibus tanquam principium & fundamentum prælocandum, consideratio uidelicet decreti, utrum rectè an secus habeat: quo posito, cætera deinde superstruere, robur uidelicet animi, & confidentiam in suscipiendo censes? Quòd si putridum illud sit aut ruinosum, ab ædificatione abstinendum. Nam quo plura & ponderosiora imposueris, tanto ocyus subuertetur edificiũ. Causa tibi nulla est propter quam abducas nobis è uita amicum & familiarem, eiusdem ciuitatis incolam & magnæ istius, & paruæ. Deinde perpetrans homicidium, & perimēs hominem minime iniustum, nihilominus persistendum in eo quod semel decreueris, censes? Si uenisset tibi in mentem aliquando, ut me contrucidares, num in eo quod decreuisses erat persistendum? Tandem uix persuasus, sententia sua destitit. Nonnullis porro qui hodie sunt, ut aliter quàm induxissent in animum sentirent, persuadere nō potui: quare uideor mihi id quod prius ignorabā intelligere iam, quid nimirum sit quod uulgò dici solet, Stultum nec persuadendo nec tundendo mutari posse. Dñj prohibeant ut amicum habeam stultum, pertinacē. Nihil efficis. Sic constitui. Et mente incitati constituti aliquid habent: & quo firmius aliquid decreuerint, eo opus est ipsis maiore copia hellebori. Num recusas portione laborantis & malè habentis hominis urī? Nō uis medicum accersiri, Infirmus sum domine, opē fer mihi.

Considera quid me facere oporteat: meum enim est ut tibi obediam. Enimvero quid faciendum mihi sit hoc loco, nescio; ueni ut discerem. Istud non faciam, ita enim decreui, sed de alijs mihi rebus cōsule. De quibus rebus alijs? Nam quid maius est aut potioris momenti, quam suaderi alicui satis non esse decreuisse aliquid: & quod decreueris, non mutare. Hæ sunt furiosorum uires, non sanorum. Emori uolo, si me coegeris ut istud faciam. Quam ob causam, ô bone uir: quidnam quæso accidit? Quia sic constitui. Præclare cecidit profectio quod non decreueris me trucidare. Pecuniam non accipio. Quare? quia sic constitui. Cogita porro eadem pertinacia stulta & improuida te aliquando posse uti ad accipiendum, qua nunc tibi indulges ad non accipiendum, & in contrarium adhibere illud tuum, SIC DECREVI. Nam ut in corpore infirmo, & fluxibus obnoxio, modò in has, modò in illas partes repunt humores: sic animus imbecillis quò inclinet certum non prospicit. quò si pertinacia fuerit adiuncta huic procliuuitati atque incitationi, malum omnino fit immedicabile: & tale, cui opitulari deinde nemo possit.

Non meditata nobis esse illa quibus uti conueniat rebus bonis malisque, discernendis.

CAP. XVI.

VBinam bonum: in arbitrio, Vbi malum: in arbitrio. Vbi neutrum: in rebus uoluntati nostræ non subiectis. Quisquam ne ultra disputationes tales profert memoriam ac intentionem animi sui? Num rebus ipsis obeundis meditati aliquid affert quispiam, ut ipse met sibi ita respōdeat, quemadmodum alijs in quæstionibus solet? Nonne dies est? ita sanè. Num esse noctem censes? Non. Par est ne numerus stellarum: non possum respōdere, Quando argentum refulserit, num me
ditati

dicati quid habes ut respondere possis decenter, ipsum bonum non esse, exercuisti te talibus responsis? an uerò ad sophismata duntaxat calles respondere? Quid ergo miraris, si eo in genere quo te exercuisti teipsum industria uincas, ac plurimum tibi ipsi confidas: quo autem es inexercitatus, in eo teipso sis inferior, & magis sollicitus de euentu. Proinde quæ causa est quòd rhetor se quamuis bene scripsisse intelligat, & quæ scripserit, rite commendasse memoriæ, necnon suauiter pronunciasse, nihilominus est anxius? Propterea id accidit, quòd contentus nō est eo in quo sese exercuit. Ecquidnam præterea uult? Laudari uidelicet à præsentibus. Quamobrem? Vt oratoria possit præstare officia, sese quidem exercuit: sed rudis est & tyro, si laudari ipsum quis aut uituperari. Num aliquando, quid esset uituperatio, ex quoquam audiuit, quæ utriusque natura? quæ laudes persequendæ aut quæ uituperia fugienda? Quādo harum rerum studio se exercuit unquam rationibus his consentaneo? Quid igitur miraris, si in his quæ didicit præstantior alijs uideatur? in his uerò quibus se nō exercuit, à multis nihil differat? Sic citharædus canere cithara potest quæ didicit non inscieniter, qui nihilominus in theatrum ingressus, tremat. Suam etenim artem nouit: sed turba & concio quid sit, non intelligit, nec promiscuæ multitudinis clamores quo loco habendi, nec derisio quanti facienda: imò uerò nec quid sit anxium esse, intelligit, utrum uidelicet in nostra sit potestate, an in aliena, & ipsum utrū remouere an uerò non, ualeamus. Quocirca si laudetur, inflatus discedit: quando autē derisus fuerit, bulla arrogantia huiusmodi punctione subsidens, euanescet. Haud longè secus animis nos quoque afficimur. Est aliquis quem admiramur propter externa, & protinus dubitamus quid fiat quòd metuamus aut simus anxij. Num obsecro fieri potest, ut, si quæ sese

quæ sese nobis offerunt, ea pro malis numeremus, non possimus non timere: non possimus non perhorrescere: Quare sic loquimur, Domine Deus quomodo non essem anxius? Deses igitur roga Deum ne mucus effluat è naribus. Quin potius munge nares, & abstine querelis. Quid ergo, num ut id possis nihil dedit tibi? Nonne largitus est tolerantiam, & magnitudinem animi, necnon fortitudinem. Huiusmodi manus habens, alium adhuc requiris qui te emungat. Sed hæc meditata nobis non sunt, nec curæ nobis esse patimur. Quin ostendite mihi aliquem unum qui sedulo cogitet quo pacto sibi faciendum sit aliquid, qui de eo sit sollicitus non ut consequatur quidpiam, sed potius ut suas obseruet actiones. Quis deliberat quæso de consilio suo, & non potius ut adipiscatur id de quo capit consilium? Id si fuerit adeptus, extollitur & effert sese, inquit: Quam bellum cepimus consilium, nonne dixeram tibi frater quod incumbentibus nobis in hanc curam non potuerit res aliter euenire. Quod si non successerit, humilis est & demittit animum, nec suppetit aliquid misero quo gloriari possit de præteritis? Quis nostrum ut recte agat augurem consulit? quis non in utramque aurem dormit, ut dicitur, quando quemadmodum agendum sit aliquid deliberatur? Quis ille est? Vnum mihi proponite, ut uideam illum: quem iam diu multumque quaero: generosum scilicet aliquem & bona indole præditum ad cognoscendam amplexandamque ueritatem, nec retulerit siue adolescentem siue senem dederitis. Et quousque tandem miramur (quum tales simus) si uersantes & occupati in materijs rerum, in actionibus sumus abiecti, deformes, nullius precij, timidi, molles ac effœminati, ac toti nihil aliud quam mera infelicitas? Nihil enim curauimus, olim nihil meditamur in præsentia. Si non mortem, neque fugam, sed utrinque timorem timeamus.

remus, utiq; dedissemus operā, ne incideremus in hæc quæ nos tanquam mala auersamur. In ocio sumus iacta bundi, & lingua ualemus ad obtrechandū alijs: & quæstiuncula, si quæ inciderit, de quapiam re, non deest nobis facultas differendi. Ad opus si p̄traxeris, reperiēs tanquam miseros naufragio periclitātes. Incidat aliquid curius uisum perturbet mentem, tum intelliges quid simus meditati, & ut nos exercuerimus. Proinde ignauitiæ nostræ semper accumulamus alia quædam, & affingimus grauiora quàm sunt præsentia. Ego simul ut nauigo, inq; profundū ac immensum pelagus intendo oculos, quando terra ē conspectu aufertur, totus perhorresco, & fingo si naufragium faciam, totum mare mihi esse ebibendum: nec uenit in mentem, satis superq; mihi fore, si tres sextarios exhausero. Quid ergo est qd̄ me angit? num pelagus? Non, sed opinio mea. Ita quoq; si terra quatit, opinione mihi fingo casuram super me uniuersam molem ciuitatis. Nōne ut elidatur cerebrum coniectu paruulapilli potest effici? Quænam igitur nos prægrauāt, & nos extra nos ponūt, num aliud quid quàm opiniones? Si quis discedit, atq; auersatur amicos & socios, nec loco & cōuersatione cōmunicat, ei ut istud faciat, quid aliud in causa esse putabimus quàm opiniones? Quamobrem ut paruī pueri, si ab uberibus & lacte remoti plorant, placentula data, mamillarū obliuiscuntur: uis tum porro ut quemadmodū his existas similis, declaremus? Non per louem, non enim sic placentulis ego affici te uolo, ut sis quietus, sed opinionibus rectis. At quænam sunt illæ? Hæ nimirum, quas oporteat hominē toto die meditantem nullis affici alienis rebus, nec socio affixū alicui, nec loco, nec studijs quibusdam, sed ne corpori quidem suo proprio: uerū semper recordari legis, atq; eam ob oculos ponere. Sed quænam est lex illa diuinæ propria conseruare, de alienis & externis non esse sollicitum: sed his

u datis

Plato defini-
nit iustitiā
nīa uia pōiē.

datis & concessis uti, negata uerò non requirere ac desiderare, & si quis ista tibi eripiat, reddere tanquā non tua non grauare: gratias agentem quòd uti te his aliquanto tempore permiserit, hæc facienda tibi sunt, si nolis instar puerorum māmās atq; titthas implorare. Etenim quid interest quare sis inferior, & ex quibus depēdeas? Num meliorem censes te illo esse, qui ob puellam aut palæstrā amissā flet, aut quòd porticulis & adolefcētulis quibus assuetus es, carendum sit? Est qui plorat quòd amplius bibere Dīrces aquam non possit: quasi uerò Marcia aqua deterior sit Dīrces. At hæc mihi fuit cōsuetā. Et illa utiq; si usus fueris consuetudine, suauis erit: qua delinitus potestea, hinc auelli si contingat, rursus plora, & uersiculum similem Euripideo compone,

Thermas Neronias & undam Marciam,

Relinquo. Cōsidera quæso, quo pacto Tragœdia nascatur, quando in homines stultos rerum fortunæ & negotia inciderint. Athenas iterum & arcem quādo uidebo? Inepte, tibi satis nō sunt quæ quotidie inspicis: præstantius aut maius quiddā uidere potes Sole aut Luna, stellisq; reliquis, tota terra, & uniuerso mari: Quòd si intelligentia apprehendere potes etiā harum rerum gubernatorem, eum non alibi quæras, quum circumferas eum tecum. Adhuc expetis conspectum lapillorum, & saxa affabre concinnata? Quid facies, si solis aspectus itemq; lunæ eripietur, plorabis desidiosus tanquam pueri? Quid olim in schola agebas? quid audieras? quid didiceras? quid te pro philosopho ostentabas? cum potuisses alio quodam elogio te uēditare, ac multo ueriores quā illud sit. Nempe peritiā quadam cōficiendī Isagogas, & intelligendī Chrysippea, philosophiā autem ne ianuā quīdem constat te prætergressum. Quādo enim aut ubi eas res suscipis quas gessit Socrates, sic moriens, sic etiā uitam trāsicens, & cuiusmodi res Diogeni quoq; curæ fuerunt.

runt. Num istorum quempiam legis plorasse, aut indignè tulisse quæcunq; euenissent? item quod illum uel istam amplius uisurus nō esset, aut Athenis uel Corinthi, sed aut in Susis aut Ecbatanis uitam trāfacturus? Enim uerò cui permissum est, ut quando libuerit è conuiuio discedere possit, ac ludum relinquere, is uerò nihilominus permanens molestia afficiat, nec tantisper maneat, dum ludicris illis delectatur, fortasse si dijs placet, talem hunc esse putabimus, qui perpetuū sibi irrogari exilium, aut mortis supplicium non iniquo laturus sit animo? Ablactari tanquam infans iam nō uis, nec degustare solidiorem cibum, neq; uerò desinis implorare mammas & titthas, anicularū imitans eiulatus. At ijs si abstineam, mea causa affligentur nutriculæ. Tu ne eas afflixeris? Nequaquam, sed idem cruciabit nutriculas quod te, nempe opinio. Quid ergo tuum est ut facias? tolle opinionem hanc, quod si suum ille munus rectè obierint, et quod se decuerit, fecerint, & ipsæ animis opinionem eximent: sin minus, sui luctus ipsæ erunt causa. Age uerò secundum ea quæ disputamus, animum refer ad tranquillitatem, ad libertatem, ad magnitudinē: erige tandē caput, & ex hac seruitute te asserito. Sursum respiciens aude sic alloqui Deum: De reliquo utere me quacunq; in re uoles, non dissentiam à te, & ex æquo paratus sum, nihil recuso eorum quæcunq; uisa tibi fuerint, quod uoles ducito, qua libuerit ueste me induito, siue gubernare me uoles, siue priuatam uitam agere, manere, exulare, pauperem esse, abundare: ego super his omnibus apud homines tuam causam tueri uolo, planumq; faciam qualis cuiusq; rei sit natura. Tu uerò istud non facies, sed in uentre bouis sedens tuam māmam excipe, donec satur fias. Hercules si domi desedisset, quinā esset? Eurystheus scilicet, & non Hercules. Is undiq; peragrans terram quā multos habuit familiares & amicos, sed amicius ei nihil fuit quā

Deus, & hanc ob causam creditus est filius esse Dei, & utiq; erat. Huic igitur ausculta, & obambulans iniustitiã & iniquitatem repurga. At non es Hercules, nec potes liberare alios miserijs: nec Theseus, ut Atticam scilicet à facinorosis repurges. Tua igitur ipsius mala repurgato, & tanquam Procasten aut Scirona ex animo tuo eijce tristitiã, metum, cupiditatẽ, inuidiã, malevolentia, avaritiã, mollitiẽ, intemperantiã: hæc omnia alia ratione profligare potest nemo, nisi unũ ac solũ Deum respexerit, nisi huic soli se addixerit, scq; eius præceptis & mandatis consecrarit. Si aliò tuam deflexeris uoluntatem, plorans atq; eiulans robustiorem sequeris, extra te semper quærens tranquillitatẽ, qua tamen potiri nunquam possis. Illic enim quæris ubi nulla est. desiste igit, & quare illic ubi eam inuenias.

Quomodo applicande sint notitiæ communes singularibus rebus.

Cap. XVII.

QUod nam præcipuum est opus philosophantis? abijcere opinione. Fieri enim nequit, ut quæ scire se opinatur quispiam, hæc discere incipiat. De faciendis enim & omittendis, de bonis itemq; malis, honestis et inhonestis omnes cum suisq; deq; garriant, accedimus ad philosophos de his audituri. His ergo freti laudamus, uituperamus, accusamus, reprehendimus, de institutis studijsq; utrũ honesta sint an turpia cognoscimus ac discernimus. At quã ob causam philosophos accedimus? Ob ea quæ nos nescire arbitramur. Quæ nã sunt illar Theoremata De quibus enim loquuntur rebus philosophi, discere cupimus tanquam elegantia & acuta: philosophi autem propterea ut ijs lucrẽtur aliquid, docent. Ridiculum uerò est opinari esse nimirum quempiã qui discere uelit alia: de alijs uerò quàm uelit doceat, aut de reliquo etiam quòd proficere possit aliquis in his quæ nõ discit.

Plerosq;

Plerosq; autē quod decipit illud est, quod & Theopompo rhetori imposuit calumnianti Platonem præcipientem omnium cognoscendas definitiones. Sed is quid dicit? Ante te (si dis placet) nemo nostrū usurpauit uocabula iusti & boni, aut fortasse nemo intelligebat quid horum esset unūquodq;, ac nulla significatione inaniterq; pronuntiabamus uoculas illas. Quis unquā hoc tibi dixit Theopompe, notitias nobis harum rerum nullas infinitas à natura, & quasi anticipatas mentibus nostris? At tamen non possumus applicare cōmunes illas notitias congruenter rebus ipsis non accuratē ijs perceptis & cognitis, quum scilicet exploratum satis non habeamus cuiusmodi res & negotium, cuique notitiæ sit subijciendum. Quod si uoles, idē exprobra quoq; medicis. Quis enim nostrū nō dixit salubre esse aliquid aut morbosum, priusquā Hippocrates nasceretur? Num uerò inaniter tales uoces personamus? Habemus etenim quandam sani prænotionem, eam tamen accommodare rebus nō possumus. Quo sit ut quidam putet differendū, alius uerò præbendum cibum opinetur. Vnus mittendū sanguinem, alter cōtrā existimet utendū cucurbitulis. Eius quē nā alia est causa q̃ quod prænotionē sanitatis nō ritē potest aliquis applicare rebus singularibus? Haud longē secus res quoq; cōparata est in his quæ in uita nobis offeruntur. De bonis em̃ malisq; rebus, utilibus itē & nocentibus quis nostrū nō loquit, quis nostrū huiusmodi prænotionum est expertus? Num propterea nōscunt etiam perfecti & exquisiti? Id uerò ostendas mihi uolo. Quomodo ostendam? Accommoda eam legitimē rebus et negotiis singulis. Definitiones enim Plato subijcit prænotionibus utilitatem quandam afferentibus: tu uerò eas subijcis utilitatem nullā habentibus rebus. Num fieri potest, ut uos ambo quod consentaneum sit consequamini? At quæso qui istud fieret? Diuitijs hīc quidem applicat prænotio-

*Illud, inquit
Aristot. tan-
tū est, quan-
tum est esse
medicū, aut
in quaq; re
artificem.*

nem boni, ille uerò nō, nōne id ipsum usu quoq; in uoluptatibus uenit, in sanitate, denique in omnibus nemo non eloquitur huiusmodi uocabula? Quod si non inaniter ista effutimus, sed cognoscimus horū singula, nec aliqua nobis est adhibenda industria in explicandis his prænotationibus, quæ causa est quod sic dissidemus, pugnamus, sic uicissim irridemus? quid etiā opus esset contentionem ac discordiam inter uos hoc loco commemorare, & præteritā memoria repetere? Tu uerò ipse si recte applicas prænotationes, quæ fit ut ex animi sententia tibi minus omnia succedant, quare tantopere impediris? Agē, omittamus secundum locum qui uersatur circa studia & appetitus, eorūdemq; moderationem, dum adhibentur exequendis officijs: quin etiam tertium prætermittamus,

*Que appli-
cantur, &
usu condu-
cunt noti-
tie, sūt, que
aut applicā-
tur tāquam
principia
in demon-
strationib.
aut in actio-
nibus rebus
singularib.
aut in di-
scernēdis re-
bus singula-
rib. in quib.
ratio sapē,
quo minus
hallucine-
tur sensus,
succurrit.*

in quo de assensionibus disputatur. tua enim causa uolo ista urgere, permaneamus in primo capite, quo prope modum sensu ipso euidentis est rebus non rite accommodari anticipatas animis nostris notitias. Itā ne uerò placeant tibi illa quæ fieri possunt, & præstare quæ tu ualeas? Quid est igitur quod te impediat: quidnā successus tuos moratur? Non potes effugere quæ uim afferunt, quam obrem casus præcipitem fert, quare fortuna te malè mulctat, quæ accidit ut uolente te aliquid non fiat, & non uolente, fiat? Certissima ratio hæc est, te miserum & infelicem esse. Volo quidpiā, & id non fit: ecquid me est miserius? Id ipsum cum patienter nō ferret Medea quoq; eadem liberorum aggressa est suorum, Et quod ad id attinet, non parū strenuè se gessit. Nō enim ei aliud q̃ quod alijs solet, uidebatur, nempe si quod uelint non ex animi sententia succedere existimāt. Deinde, sic ulciscar, inquit, eum qui me iniuria affecit, & iniquus erga me extitit. Et, quinam usus eius qui tam malè erga me sit affectus? At istud quo pacto consequar? Interficiam liberos. Verum ex eo ipsa quoque malè mulctabor, Istud attamen quid

quid ad me? Hæc est hallucinatio animæ magnos habentis nervos. Enimvero nō intelligebat in quo situm esset illud quod dicit facere pro arbitrio nostro nos quæ uolumus: nec animaduvertebat id de rebus externis non intelligendum, quoad nimirum res & negotia permutari, ac secus quàm habeant, administrari possunt. Ne uelis (ô Medea) illum uirum esse tuum, & nihil non quod uoles cōsequere. Nolis ipsum penitus tibi cohabitare. Nolis in Corintho subsistere, & simpliciter aliud nihil uelis, quàm Deus uult: quis quæso ita affectū prohibebit, quis coget? Non profectò magis quàm ipsum Iouem. Quando igitur talem habueris ducem, ac tuam uoluntatem appetitumq; ei cōformaris, quid metuis ne frustreris? Mancipato porro tuam appetitionē & fugam paupertati & diuitijs, tum frustrationi qua expectatio tua falli potest, deditum te exhibe: casibus quoq; quibus potes implicari sis obnoxius: profectò periclitaberis his omnibus, ualitudine, potestate, honoribus, patria, amicis, liberis, denique omnibus his quæ in potestate arbitrij nostri nō sunt. Proinde permittite ista Ioui ac reliquis dijs, his commenda res tuas, istis te gubernandū præbe, cum illis te iungito: quòd si facias, ubi quæso minus secundis rebus uteris? Sin uerò ô miser inuides, misereris, æmularis, contemiscis, & nullum intermittis diem quo non deplores tuas querarisp; de dijs, quid est quòd nihilominus dicis te liberaliter eruditum esse? Sed quænam hæc est institutio? Quia uidelicet syllogismis te exercueris, in contrarium rem propositam deducentibus. Vtrum tandem dediscere illa nō uis omnia, si fieri potest, et à capite arcessere studium tuū, perspicuè sentiens te hæctenus ne primis quidem digitis res illas attigisse? Ac inde inittū faciens, quæ deinceps sequuntur exadificato. Vtique eueniet nihil horum, siquidē uoluntate tua nihil admiseris istorum. Iuuenem unum quendam mihi date hoc proposito uenientem

*Si nihil uoles carere
rū quæ sunt
extra te, omnia habebis quæ uoles.*

nientem in scholam, ut uelit esse horum studiorū athleta, atq; ita dicat: Valeant omnia, quod ad me attinet, & p nihilo mihi sint. Satis mihi est, si licebit aliquādo absq; impedimento, sine mœrore, uitam traducere, & porrigere ceruicem ad obeunda ac sustinenda negotia tanquam liberum, atq; in cœlum suspicere tanquā amicum Dei, nihil metuentem eorum quæ à fortuna possunt accidere.

Primum est, ut rationibus recte utamur, cognoscendis rebus: Secundum, ut agendis nos exerceamus: Tertium, ut nunquam et nusquam in his ambob. halucinemur, sed omnino simus aduersarij.

Fortasse is est ille quo Chrysippus utebatur syllogismis, sibi ipsi mentiens: Si te mœturi dicis, idq; uerum mentiris, uerū dicis.

Aliquis uestrūm se talem esse mihi declaret, ut dicam: Adolescens ad tua ueni, tibi enim est datum ut philosophiam ornes, tuæ sunt possessiones illæ, tui sunt libri, tuæ disputationes illæ. Deinde quando laborē hunc exantlarit, ac loco illo lucatus strenuē fuerit, iterum ueniens, me sic alloquatur: Cupio ego carere affectibus, & uacare perturbatione: nec minus desidero ut pius & philosophus, uirtutisq; studiosus, scire quemadmodum me erga deos gerere debeam, quæ officia sint erga parentes, aduersus fratres, patriam, hospites. Accede igitur, nec secundo loco excluderis: nam & is tuus est. Proinde iam & huius loci exercitia satis sum meditatus. Sine periculo uolo uiuere, si cibus non præbeatur, & non solum uigilans, sed etiam dormiens: ebrius etiam si sim, aut furore si mentem incitari contingat. Quid quæris? Deus es ô homo, magnos habes animi impetus. Alius, Nolo hæc, inquit, quin potius scire cupio, quid Chrysippus dicat de syllogismo mentiente. Quin suspēdis te cum hac inductione animi tui, ô miser. Quam inde utilitatē consequere? Anxius & tremebundus cum ipse leges, tum alijs explicabis, adhortans ut ipsi quoque idem faciant. Vis legam tibi aliquid frater, tuq; uicissim mihi: Præclare scribis amice. Et tu magnifice imitaris Xenophontis orationem: tu filium orationis Platonice, tu Antisthenem exprimis. Deinde somnia sibi mutuò narrant: iterum uerò reditis ad eadem, concupiscitis eadem, ad uitandum eodem modo estis propensi, eisdem ardetis studijs,

dijs, eisdem rebus estis intenti, eadem approbatis, eadem optatis, in eisdem elaboratis. Deinde non queritis monitorem aliquem: sed cum aspernamini potius, si audiat. ac proinde dicitis: Quam durus senex, discedente me, non excussit lachrymas, nec dixit in qualem arumnam discessu ipsius incidi. Fili, si incolumem te recepero, accendam cereos. Hæc ne sunt quæ facit indulgens pater? Magno potiere bono, si reuersus fueris saluus, quod dignum etiam sit gratia cuius lachrymas accendas. Ergo ut hoc honore sis dignus, immortalẽ te esse oportebit, & morbis non obnoxium. Atque id est quod dico, in primis opinionem, qua uidetur sibi aliquis cognoscere res utiles sibi, abijcere oportet, ac deinde ueris rationibus imbui: quemadmodum facimus etiam institutione in Geometricis & Musicis. Quod si omittamus istud facere, minimum proficiemus, etiam si omnes synagogas & commentaria Chrysippi, unã cum Antipatri & Archedemi euoluerimus.

Ut sit certandum contra phantasias.

Cap. XVIII.

OMnis habitus & facultas assidujs actionibus conseruatur & crescit: ut ambulandi ex ambulatione, currendi cursitando. Si uoles lector esse eruditus, crebro lege: si scriptor, scribe. Si triginta continuos dies lectioni superfederis, ac aliud quid egeris, intelliges quid factum sit. Ita si casu aliquo debilitatus, post decem dies surgens, iterum coneris longius iter perficere, experieris crura tua ut sint dissoluta. In uniuersum si quid agere conaris, ut eius rei habitum efficias, aut assuesce aliud quiddam (si in contrariũ ferare) loco eius moliri. Haud longẽ secus res comparata in his etiam quæ ad animam pertinent actionibus. Quando enim ira permotus fueris, pro certo habeas, non modò præsentẽ te malo hoc la-
x borare,

borare, sed etiam quòd eius affectus habitum in futurum auxeris, & quasi in ignem sarmenta conieczeris. Item quando in cōgressu inferiorem te aliquo exhibueris, cogita non tantum semel te uisum, sed quòd præterea etiam intemperantiam tuam foueris, auxeris. Fieri enim non potest, quin à frequentatis actionibus et crebris & habitus acquirantur, & facultates intendantur magis, ac confirmatiores reddant. Isto sanè modo morbos oboriri in corpore sensim philosophi censent. Etenim si semel argentum concupiscas, & ratio adhibita ad sensum illum cupiditatis, prauitatem eius respuat, restincta quidem sit cupiditatis flamma, ratio autem uitæ & actionum nostrarum gubernatrix suipsius sit uindex, nec abripietur ex eo loco quo principatum ipsa habere dicitur. Sin uerò adhibeas nihil quo medearis, nequaquam ad se reuertetur animus & ratio: sed iterum atque iterum lacessita frequētibus obiectis uilis, haud paulo ocysus quàm antea inflammabitur ad cupiditatem. Quod facere si perseveret, tandem obcalebit, & morbo confirmato avarus efficietur. Laborans febri, post eius remissionem, eodem statu non erit ualitudinis quo fuerat ante accessiōem: siquidem prorsus nihil adhibeat medicamenti. Idem usuuenit in animæ affectibus, uestigia quædā uibices relinquunt in ea, quas emendare si quis neglexerit, iterum secundū illas si flagello cæsus uulneretur, iam non uibices accipiet, sed uulnera. Ita que si iracundus esse nolis, habitum illum ne foueris, nihil ei adijce quo succrescat, initio conquiesce, & in numero habes dies illos quibus iratus non fueris. Olim quotidie commouebam ira, postea altero duntaxat die, deinde tertio quoque die, quòd si nunc intra dies triginta iratum te non senseris, Deo sacra facito. Habitus enim à primis diebus languescit: posterius uerò omnis dissoluitur, & cyanescit. Nec hodie, nec heri passus sum
me

me aliquo mœrore affici, nec postea per tres aut quatuor menses. Sed animum aduerte, si uisa oblata tibi fuerint (quibus prouocari possis) utrum decenter te geras. Hodie formosum uel puellum uel puellam conspexisti, his uotis apud me nihil fuit loci. O utinam, Quis est qui cum ea dormit noctu? Felicem maritum ipsius. Is etiam est qui dicat: O felicem ipsius adulterum, nec que deinceps sequuntur, uerbis depingam, nempe præsentem ipsam ut cupiat inspicere, & nudam, & iuxta accubantem. Proinde demulcens uerticem capitis mei, Bene, inquam, facis Epictete, scitum sophisma soluisti, & multo scitius quam sit illud quo maxime faciât sese scholæ. At si uolente etiam & annuente muliercula, ac internuncios mittente, quin etiam attrectante, & proximè se admovente, sustineam & uincam, quid ni tale sophisma sit eminentius pseudomeno, itemq; Soritis. In his sese ostentare atq; efferre quispiam debet, non eo quòd præsentis disputationi celebri solerter interrogarit. Sed quoniam istud consequi poteris? Velis ipse tibi placere, uelis bonus & honestus esse coram Deo, desidera purus esse mundusq; & tecum habitans, & cum Deo. Deinde si quod uisum tale oblatum tibi fuerit, Platonis consilium est, ut suscipias quandam expiationem, & pro liberatione tui dijs auerruncatoribus sacra deprecâdo facias. Ad illud quoq; conduxerit, si ad præstantium uirtute eximia uirorum consuetudinem deflexeris, & te ad illorū exempla conformaris, siue superstitum adhuc, siue olim uitæ functorum quempiam habueris. Accede Socratem, & considera ipsum iuxta Alcibiadem recubantem, quem admodum formæ ipsius illuserit ac pulchritudini. Cogita qualem uictoriam agnouerit is, dum semetipsum uinceret, quæ Olympia, quotus ab Hercule extiterit, ut uerè aliquis, per deos, sic alloqui ipsum, eiq; gratulari potuerit: Salue admiranda uirtute prædite. Qua salutatio-

*De his Cic.
uide in 4.
Academic.
quest.*

ne digni non sunt putidi ludiones, & pancratiastæ, nec
 similes adeò his qui singulari certamine depugnant.
 Hæc igitur proposita tibi habeas. Vinctes phantasia,
 nec ab ea in transversum abripiere. Initio ne rapiare ue-
 hementi eius motu incitatus, sed dic, Præstolare parum-
 per ò phantasia, sine perspiciam quæ sis, & quibus de re-
 bus, sine ut te excutiam: ac de cætero ne permittas ei, ut
 longius te producat depingendo ac adumbrando quæ
 deinceps ordine sequantur. Quod si non facias, in peri-
 culum utique præceps fertur, te simul abreptum præci-
 pitatura. Quin potius aliam quâpiam honestam & lau-
 dabilem phantasia opponis, hancq; præsentem sordis-
 dam repudias. Itaque si te exercendo sic assuefeceris,
 fraud dubiè cognosces quales humeros effeceris, quales
 nervos, itemq; quales lacertos sis nactus. Nunc præter
 disputatiunculas nihil habemus. Is est reuera studiosus,
 qui sese cōtra tales phantasias exercet. Cōsiste miser, nē
 auferat te phantasia. magnum certamen est, diuini ope-
 ris functio, de regno certatur, de libertate, de rebus or-
 minibus secundis, & tranquillitate. memineris Dei, illu-
 lum inuoca auxiliatorem, & tanquam præsidium. ut for-
 lent hauta, quum in tempestatibus inuocant Castorem
 & Pollucem. Nam quæ periculosior potest existere tem-
 pestas, quàm quæ existit è uehementer impellentibus
 nos uis, ac sanam rationem profligantibus. Ipsa enim
 tempestas quid aliud est quàm phantasia? Aufer me-
 tum mortis, & quotquot uoles tonitrua & fulgura obij-
 cē, intelliges quanta tranquillitas ac serenitas nihilomi-
 nus in principatu rationis insit. Sin autē semel succum-
 bens dixeris, Posthac superior ero: deinde rursus ean-
 dem usurpes orationem, scito tam fore imbecillum te &
 languidum, ut deinceps ne animaduertere quidem pos-
 sis te peccare. Imò uerò subinde incipies patrocinari his
 quæ facis: ac tum quod apud Hesionum est, uerum esse
 exemplo

exemplo tuo cōfirmabis, nempe quod, Damnīs cuncta
tor iactetur qui sua differt.

*Ad eos qui philosophiam sectantur, duntaxat
propter disputationes. Caput*

X I X.

Disputatio quæ magni momenti apud omnes habetur, in iis talibus quibusdam uidetur interrogari & colligi. Nam tria pronuntiata hæc inter se in uniuersum quum dissident, quoad uarijs permutantur modis, non uidentur posse sustineri a respondente. Quorum prima cōprehensio hæc est: Quod præterit, omne esse uerum ex necessitate. Et ad impossibile non sequi, id est, quod nō possit fieri. Postremo, quod non possit fieri, id nec esse uerum, nec fore. Contentio nem igitur illam considerans Diodorus (quæ ex huiusmodi pronuntiatis oboritur, quum disputatur de fato) priorum duorū probabilitate pronūciatorū usus est ad comprobationem istius propositi, quo enunciatur, nihil dicendum possibile quod neque sit, neque futurum existimetur. Alius proinde quidam hæc duo propugnat pronuntiata, Quod nimirum quiddam sit possibile, quod tamen nec sit, neque etiam euenturum sit. Item ad possibile non sequi impossibile. Denique non omne præteritum ex necessitate uerum, ut illi qui Cleanthem sequuntur, sentiūt. quibus accedit Antipater etiam. Sunt qui duobus his pronuntiatis sententiā suā concludant, Esse nimirum possibile quod neque sit uerum, nec futurum sit: & quod præterierit, omne uerum ex necessitate esse. Et ad possibile sequi etiam impossibile. Tria hæc diuortia opinionum conciliari, aut ab uno defendi quī possunt, quum sint dissidentia decreta, & per omnia discrepantia. Si quis ergo me roget, quid ego statuas respondebo nimirum me ignorare, ac me id accepisse

Ad hæc intelligenda faciunt, quæ Cicero scribit in libello de Fato.

X 3

cepisse

cepisse à præceptoribus tanquam historiam quandam, quòd uidelicet Diodorus aliter senserit, & alia opinione fuerint Panthoedes & Cleanthes, & alia Chryslippus. Tu uerò quid censes? Nunquam adhibui disputationes illas ad examen meorum uisorum, ac rationibus pensitandis quibus uti consueui, dum meum quoddam dogma loco & rei gerendæ accommodatum constituo. Quamobrè quod attinet ad has disputationes, à Grammatico nihil differo, & perinde sum affectus ac si quis roget: Quis fuit pater Hectoris? Priamus. qui fratres? Alexander & Deiphobus. mater quæ fuit? Hecuba. Didici historiam hanc, à quo? ab Homero. De eisdem credo rebus scribit quoque Hellanicus, aut si quis præterea etiam alius. Ecquidnam aliud loqui possum de decretis his præcipuis philosophorum? At quando inanis fuero & uacuis his curis, præsertim in conuiuio, admiratione suspensos habeo conuiuas præsentis, dum enuero scriptores. De his rebus mira scripsit in primo *de diuina* Chryslippus. Et Cleanthes separatim de his librum edidit, necnon Archedemus, quin etiam Antipater nò solum in libris *de diuina*, sed peculiariter quoque in libris *de leuissimis*. Commentarium non legisti? non legi. Lege igitur. Et quid utilitatis inde capiet? nugacior ac ineptior erit quàm antea fuerit, cum tu q legisti, nulla re alia magis profeceris. Quid enim inde habes, quo rebus præsentibus rectius adhibeas iudiciu? Ergo nobis nihil narras aliud quàm Helenam, & Priamum, & Calypsum insulam, quæ nec fuit unquam, neque erit. Quanquam in his mirum non est sola historia esse contentum, ac horum nihil pro animi sui sententia atque arbitrio statuere. At multo id magis facimus in disputationibus Ethicis. Dissere mihi de bonis & malis rebus. Ausculta: Ad Ciconas uento Troiæ pellebar ab oris. Ea quæ sunt, partim sunt bona, partim mala, partim

tim neutra. Bona sunt, uirtutes, & in quibus illæ insunt. Mala uerò, uitia, & quicquid his est præditum. Neutra, quæ in medio horum sunt: diuitiæ, ualētudo, uita, mors, uoluptas, dolor. Vnde ista scis? Hellenicus autor est in Aegyptiacis. Sed quid aliud est id, quàm si dicas: Diogenes in morali philosophia, aut Chrysippus, uel Cleanthes. Num experiundo quid istorum didicisti, ac ex alie no tuum proprium effecisti decretū? Ostende qualem te in naui præstare soleas. Meministi ne istius diuisionis, quando insonuerit fragoribus uelum nauis? & tibi clā morem tollenti præstò aliquis osor scholę sic exprobrēt: Age per deos, dic idem quod nuper solebas: num naufragium facere malū est? an uerò particeps malī? Nōne attollens clauā uerberibus eum malē mulctabis? Quid rei mihi tecum est? an non uides nos perire, ac nihilominus ultrò iocaris? Quando autem Cæsar te accersierit, ut ad se delatū, & reū, meministi ne diuisionis huius? Quo circa ingressō tibi pallescenti atq; etiam trementi, si quis accedēs dixerit: Quid exhorruisti, de qua re sollicitus ingrederis? Num qui in palatio est, Cæsar, uirtutem & uitia ingredientibus largitur? Quid mihi illudis, inquires, ac meam accumulas miseriam? Sed nihilominus philosophē, dic quare contremiscis? Nōne de quo periclitaris, mors est, aut carcer, aut dolor corporis, aut fuga, aut infamia, aut nunquid aliud? num uitium hæc sunt, aut uitiosa? Tu ergo cuiusmodi illa esse aliquando dixisti? Quid mihi tecum rei est? Abundē satis meorum habeo malorum. Et rectē quidem loqueris. Tua enim abundē satis habēs mala quæ sunt, nempe humilitas, pusillus animus, arrogantia, qua te extulisti sedens in schola. Quamobrem alienis ornamentis fucum facis, quid gloriaris te esse Stoicū? Obseruate uosmet ipsos quidnam agatis, & cognoscetis cuius sectæ sitis. Plerosque enim uestrū reperietis esse Epicureos, paucos nōnullos Peripatē-

ripateticos, & hos ipsos languidos & enerues. Etenim quānā in re uirtute uos defungimini, uel æquali uel maiore quā cæteri mortales? Stoicum mihi ostendite, si quem habetis, ubi aut quomodo affectus sit? Sexcentos cōmemorabitis, qui præter disputatiūculas Stoicas præstare nihil possint: Epicureas enim illas non proferunt, Peripateticas nō eadem, quæ illi, subtilitate tractare possunt. Quis ergo hoc modo est Stoicus, quo dicimus statuatam esse Phidīacam? quia uidelicet sit expressa effigies, & exculpta artificio Phidīæ. Ita uerò ad cōsimilem modum ostendite mihi aliquem qui dogmata quæ loquitur, si mulacro suæ uitæ exprimat? Ostendite agrotum aliquem, qui nihilominus beatus sit, morientē & felicem, periclitantem, & tamen non miserum: exulantem & bonis tamen abundantem omnibus, contemptum & ignominia notatū, cui tamen nihil desit? Ostēdite mihi, inq̃, cupio per deos talē uidere Stoicū. Non habetis hac effigie expressum Stoicū aliquem: at artificē & sculptorem ostendite, in hoc opus incumbētē. Hoc beneficio, quæso uos, me afficite: tale spectaculū quale adhuc non uidi seni homini, ne, quo minus spectet, inuideatis. Nec perinde illum existimabitis mihi exhibendū ut Iouem aut Mineruā Phidīgex ebore uel auro expressā. Animā hominis, uestrū quispiam cōmonstret, uolentis cōsentire Deo, talemq̃ quā reprehendere nec Deus, nec homo aliquis possit, quæ fiat omnium compos, quæ nulla reperiditur: non irata sit, non inuideat, non æmulatione inflammetur. & quid tandem opus est circuitione uersorum ac ambagibus, quæ desiderat ex homine fieri Deus, ac in illo mortali corpusculo consilia capientem de contrahenda amicitia cum Ioue? Ostendite talem. At non habetis. Quid ergo alios luditis? & dum laruam alienam uobis imponitis, obambulat is tãquam fures & uestimentorum surreptores: horum nihil ad uos pertinentium

nentium titulorum, & earum quę uocabulis significan-
tur rerum. Et ego quidem uester sum præceptor, ac ue-
stra penes me est institutio. Proinde hanc suscepi ego
curam, ut uos efficiam tales quibus nihil sit impedin-
to, in quos nulla cadat necessitas, solutos, liberos, omni
succellu florentes, foelicitatis cōpotes, ad solum Deum
respicientes paruis simul magnisq; in rebus. Quare uos
ista percepturi adeste atque meditamini. Ob quam cau-
sam opus non perficitis? Num & uos cōsiliū cepistis
quod capī par fuit? Et ego ad illam industriam adiungo
molitionē qualem res postulat. Quid igitur restat? Quā-
do conspicio fabrum, quando materia proposita fuerit,
expecto opus. Et nunc faber quidem præstō adest, ma-
teria uerò nulla. quid nobis deest? Num res illa doceri
non potest? Potest utiq;. Num in potestate nostra non
est? Sola equidem præ reliquis rebus omnibus. Quo-
niam nec opes in nostra sunt potestate, nec ualetudo,
nec gloria, nec aliud quicquam quod simpliciter esse di-
citur, præterquàm illarum rerū (quoad uisus represen-
tantur) rectus usus. Id unum secundum naturam impe-
diri nequit, id solum liberum est. Quare in eo non elab-
oramus? Aut propter nos, aut propter rerum naturam
istud euenit. Res in medio est, & sola in potestate no-
stra: quod igitur restat, aut in me est, aut penes uos, aut
in utrisque est situm. Quid igitur uultis? Tandem inci-
piamus nostros conatus huc adhibere, Aggrediamur.
Tantum mihi credite, & uidebitis.

Ad Epicureos & Academicos.

C A P. XX.

QUæ integris sensibus euidenter percipiuntur, &
pro ueris habentur, ijs utuntur ex necessitate
quoque qui cōtra euidentiam disputant. At propemo-
dum certissima inde cōiectura capī potest, perspicuum
& euidens quiddam esse in rationibus, quo nimirum
y contra

Sic Aristoteles lib. 4. Metaphys. oppugnat illos, qui principijs tollēdis sciētiā rerum esse negāt.

contradicens necesse est ad confirmanda sua ūti. Vt uerbi gratia, si quis contra eum differat, qui affirmet aliquid in uniuersum esse uerum, nōne in primis necesse est ut pronunciati istius contrariam negationem constituat, nempe hanc, Nihil in uniuersum est uerum. Inertissime, quare etiā tuum illud (quod in uniuersum negas) uerum non erit. Nam quid aliud est illud quod dicis, quā hoc: Si quid in uniuersum enunciat, id omne falsum est. Rursus sit alius quispiam, qui ita dicat disputando nos aggrediens: Scito, quod sciri nihil possit, quod nihil certō percipi. Aut alium præstō esse finge qui dicat: Mihi crede, & fructū inde percipies. Nihil oportet homini credere. Aut occurrat qui aliter suadeat, & sic præcipiēs dicat: Ex me discito quod disci nihil possit. Quod profero, id ipsum quoque si uoles rationibus uerum esse edocebo. A quōnam illorum quæso (cōtra quos se disputare dicunt tamē) discrepant? & quum ita differunt, quānam nihilominus uideri uolunt? Nōne sunt illi ipsi qui se Academicos uolunt dici? O mortales, assensum uestrum præbete mihi. Quum tamen nullus Academicus ulli assentiatur rei interim. Credite nobis. At nullam fidem quisquam uestrū cuiquam habet. Idem facit etiā Epicurus, quando conatur refellere naturalem cōmunicationem hominum & societatem inter ipsos, eo ipso nihilominus quod confutat ad refellendum utitur. Vt loquitur: Ne erretis, ne quis uos decipiat, o mortales, aut circunducat. Non est naturalis societas in ratione præditis inter ipsos, credite mihi. Qui secus loquuntur, decipiunt uos, ac falsis rationibus circumueniunt. At quid tu ista curas? quā finis nos decipi, ne deterior sit existimatio tua discedentis quā aduenientis: siquidē persuasum id nobis omnibus fuerit, naturalem nobis inter nos esse societatem atque consensionem, & quod eam retinere ac conseruare omni studio

studio debeamus. Et quæ contra ipsum fortius ac neruosiùs dici possunt, sunt illa: Quid sollicitus es de nobis bone uir: quare noctes ducis insomnes? quid lucubratione opus est? quamobrem euigilas & tot libros conscribis? Nempe ut ne quis nostrum deripiatur opinione qua existimet Deos curare humana. Vel, ut ne quis aliam suspicetur boni esse substantiã & naturam, quàm uoluptatem. Quæ si ita habeant, dormi potius, & ea facito quæ uermes solent, quibus tute ipse dignum te iudicasti. Ede, bibe, indulge ueneri, caca, sterte: ne cures quid alij his de rebus statuunt, rectè id ne faciant, an seculus: quid enim negotij nobis tecum est? Oues tu potius curas, quod nimirum præbeant nobis tonsæ lanam, & dum mulgentur lac, & occisæ etiam sint utiles. Nõne optandum erat, si qua ratione fieri poterat, ut homines demulsi & quasi incantamentis consopiti à Stoicis, à te excitati, torporem excuterent, seque tibi tuique similibus exhiberent & tondendos & mulgendos? Cum reliquis Epicuri sectatoribus te ista conferre oportuit, nõ autem apud hos arcana tua enunciare: quin potius contrà suadere illi debeant ante omnia, ut intelligeres naturali quadam societate nos esse deuinctos, bonam esse temperantiam, ut nimirum nulla in re hallucinans tecum ipse dissentires. Aut responde cum quibus nobis sit communicandum, aut quorum amicitia sit respuenda. An censes ullorum societatem colendam, quàm eorū qui idem uicissim ac mutuò certent benefaciendo: an illorum etiam expetenda erit, qui fines societatis humanæ transliunt? Sed obsecro quinam magis transgrediuntur quàm uosmetipsi qui ista disputatis? Quid ergo fuit quo excitaretur Epicurus à somno, quid impulit ut tot & tam multa scriberet? Censes ne fuisse aliud in causa quàm naturam ipsam, quæ est in omnibus efficacissima, dum ad sua decreta ipsum pertrahit, etiam nolentem & suspirā-

tem. Quòd igitur communicationi locus non sit in rebus humanis, scribe, & memoriæ posteritatis scriptū relinque. Et ut id possis, lucubrationibus te macerato, re tamen ipsa quod sentis refellito, aliudq; facias quàm decretis tuis faciendum statuitur. Ergo Orestem à furijs in-

*Cōscientia
mille testes.*

*Galli sacer
dotes Cy-*

beles, qui

incitati mē

te sibipps

amputarūt

uirilia. A-

pud Catul-

lum à som-

no exper-

gefactus A-

rys, suā do-

lentissimē

miseriā con-

queritur,

quòd ita ni-

mi-ū se mu-

tilauerit.

Istud per-

cōmole hoc

loco trans-

fert ad Epi-

curum, qui

uirū exuit

studio uo-

luptatum,

quibus con-

stat effemi-

nari homi-

nes.

citatum expergisci à somno dicemus, quidni illum molestiores furia ac poenæ diriores dormientem excitent & quiescere non sinant, atque his incitatus suas ipse miserias enūciare coactus fuit tanquam Galli uino aut insaniam perciti. Tam est res potens & insuperabilis natura humana. Enimuerò quā potest olea non moueri prout fert natura ipsius: aut uitis quòd nā aliud est opus quàm quale ei natura definiuit: neque enim uel olea uitis, uel uitis oleæ potest opus præstare, tantum enim abest ut id fieri possit, ut ne cōiectura quidem aliqua fingere istud liceat. Quocirca nec homo omnino affectionum humanarum expers esse poterit. Quinetiam quibus resecta sunt uirilia, hac libidine tamen, quæ est in uiris ad coeundum, non mutilantur. Idem accidit Epicuro. His enim omnibus est mutilatus quæ ad uirum pertinent, & quæ ad patrem familiās, & quæ ad ciuem, & quæ ad amicum, nihilominus desiderijs quæ ad hominem pertinent non est orbatus, neque enim priuari his potuit, nihilo magis atque uecordes illi Academici à se repudiare sensus, & sibimetipsis oculos eripere possunt, quantumuis id facere studeant. Quanta hæc miseria est, si quis accipiens à natura regulas & mensuram cognoscendæ ueritatis, ijs nō adhibet studium & solertiam applicandi & elaborandi in rebus præterea alijs, quarum gratia nimirum sunt nobis concessæ: sed omnino negligit, & in his instrumentis si quid sit quo cognosci possit ueritas, nihilominus eorundem facultatem conatur tollere, ac prorsus etiam perimere. Philosophæ quid dicis esse pietatem, quid sanctitatem, quid tibi de

tibi de his uidetur? Si uoles, probabo bona hæc esse. Certè, at id magis uideris ut ciues à nobis edocti ac instituti colant diuinum numen, & desinant esse tam negligentes rerum maximarum. Habes ne ea quibus id possis consequi? Habeo, & dis quidem sit gratia.

Quum tibi itaque ista non parum arrideant, arripe nimirum contraria, Deos scilicet non esse: & si sint, humana tamen non curare. Neque porro etiam commune nobis aliquid esse cum dijs, idque quod sanctum & pium in ore habeant homines, esse falsum & eumentitum quiddam, profectum ab arrogantibus & impostoribus, uel etiam à legumlatoribus, quo terrent & in officio continerent iniustos. Præclare uerò ô philosophe, profuisti certè multum nostris ciuibus, adolescentes quoque nostros ad contemptum diuinorum bene erudisti. Quid igitur, num displicet tibi ista? Agè nunc responde, quam obrem iustitia nihil est, quo pacto pudor fatuitas est? ut pater, ut filius nihil sunt? Agè philosophe, presta sis: persuadee adolescentibus ut plures habeamus similiter tibi affectos, & loquentes eadem quæ tu sentis & loqueris. Talibus ex disputationibus effloruerunt atque aucti sunt optimè institutæ res publicæ. Sparta rationibus his imbuta fuit. Lycurgus legibus suis & institutis ut ita sentirent curauit scilicet: ostenditque seruitutem seruire nihilo magis turpe esse atque honestum sit: neque liberos esse, magis honestum esse quam scædum. His decretis freti qui in Thermophylis pugnarunt, sese morti obtulerunt. Athenienses uerò suam urbem ultro talibus rationibus persuasi reliquerunt. Et qui hæc disputant, ducunt uxores, & liberis dant operam, & administrant rem publicam, sacerdotesque & uates constituunt. sed quorum? Eorum scilicet quæ non sunt. Quinetiam Pythiam interrogant, ut nimirum audiant mendacia: & alijs porro etiam interpretantur oracula. O impudentiam singularem & imposturam.

Id consilij
dederat A-
themensibus
Themisto-
cles, ut est
apud Pla-
tarchum.

stutam, Bone uir quid agis? Quotidie uis te ipsum con-
 futare, ac non tandem missa facis frigida hæc & ieiuna
 Epicheremata. Quando uesceris quoniam admoues ma-
 num? ad os scilicet, & non ad oculum. Lauans quò de-
 scendis? Ollam quando unquam appellasti craticu-
 la m? aut tudiculam, ueru? Quòd si horu alicuius essent
 feruus, etiam si me quotidie uerberibus excoriaret, ni-
 hilominus hoc tormēto ipsum ex cruciarem. Agè puer
 oleum affer in balneum, ego uerò garum apponerem.
 Veni, infunde capiti. Quid hoc? Ah quàm similimum
 istud fuit oleo, nec internosci species potuit, ita te dii ser-
 uent. Porrige huc ptisanam. Afferrem paropsida ple-
 nam oxygaro. Nonne petij ut dares ptisanam? Ita do-
 mine. Est ne illud ptisana, & non potius oxygarum?
 Quid illud esset aliud quàm ptisana? cape, subodorare,
 accipe & degusta. Vnde discrimen mi here nosti, si qui-
 dem sensus nostri falluntur? Tres aut quatuor si habe-
 rem consentientes famulos, citius effecero ut ipse se sus-
 penderet aut rumperetur præ molestia, quàm senten-
 tiam hanc relinqueret, aut mutaret. Nunc uerò per libe-
 dinem nobis illudunt, omnibus à natura concessis re-
 bus utentes, uerbis tamē & oratione pro nullis habent.
 Grati scilicet homines & uerecundi, qui cum quotidie
 pane uescantur, audent negare se scire utrum sit Ceres,
 aut Proserpina, aut Dis, ut ne dicam, dum fruuntur no-
 ctis dieiq; uicibus alternis, & tempestatibus anni, præ-
 terea astris, mari & terra, hominumq; opera, ab horum
 nullo afficiuntur tamen ne minimum quidem, sed dun-
 taxat occasiones ad euomendam quæstiunculam suam
 captant, & stomacho suo satisfacere, dum ad balnea se
 conferunt, student. Quid porro sint dicturi, aut de qui-
 bus, aut apud quos, & quem finem respiciant in suis di-
 sputationibus, nequaquam curant, multo minus ne quis
 adolescens ista audiens, bona indole præditus, animo
 commo-

*Academici
 spoliati iu-
 dicio ueri
 sensus.*

commoueat: uel his imbutus si sit, ne prorsus in eo omnis uirtutis indoles opprimatur. Nec curæ nobis esse patimur, ne adultero anam præbeamus, ut flagitiorum ipsum non pudeat: aut peculatori, ne ad defendendum se argumenta subministrantur ex huiusmodi disputatione, aut ne quis neglector suorum parentum audacia & temeritate confirmator fiat, his fretus rationibus. Quid ergo te autore bonum est, uel malum, uel honestum? Hæc, an illa? Ex uobis autem quis est qui contra alium dicat, aut qui dare uel accipere rationem possit, aut qui persuadere quidpiam conetur ut priorem mutet sententiam? Multo mehercle citius aliquis persuaserit cinædis, ut suam mutent sententiam, quàm illis ita surdis & cæcis ut à suis desistant malis ac iugis.

De confessione.

CAP. XXI.

QUædam promptè fatentur homines, in nonnullis difficile est confessionem extorquere. Nullus enim fatebitur insipientem se esse aut stultum. Sed contra potius ab omnibus audies huiusmodi uotum, Vtinam ingenio meo fortuna respondeat. Proinde ultrò etiam timidos se confitentur & dicunt: Timidior sum, fateor equidem, alioqui stultum me esse non comperies. Sed nec intemperantem se esse quispiam ultrò fateatur, iniqui nemo non prorsus refugit appellationem: sed tam odiosum & probri causa admodum respuendum inuidi aut curiosi nomen quidam non censent, misericordes plerique etiam uideri uolunt. Quæ causa est? Principalis hæc est, discrepantia & perturbatio iudiciorum uidelicet in bonis mali: quæ rebus, cuius dissensionis aliæ offeruntur alijs causæ. Et propemodum quæcunque tanquam turpia adumbrant cogitatione, eadem planè fateri nolunt. At timidum esse, placidi moris signum censent, itemque esse misericordem: sed stultum esse, prorsus seruile arbitrantur. Præterea quæ committuntur contra rempublicam

blicam haud fatentur, plerisque uerò in peccatis in hunc quasi portum confugiunt, ut confiteantur quidem illa: sed prætexit tamen quodam, quo uideantur fecisse inuiti: ut in timido itemque misericorde perspicuum est, itemque quando intemperanter fit quidpiam. Nonne si quis interroget, fatetur: attamen adiungit ignoscendum sibi, ut qui non sponte fecerit: facti uerò iniustitiam non animaduertunt. In obrectatore quoque aliquid inesse inuoluntarium putant: sed id quoniam modo potest inuito inesse: quare etiam in hoc uitio perperam usurpata confessio consueuit. Itaque inter tales uersamur homines tam perturbatos, tam nihil intelligentes, ut nec quod dicant, nec quod habeant uel non habeant malum, nec quam obrem habeant, nec quo pacto ipsi uitij possint liberari, animaduertant. At me ipsum quoque opinor debere euigilare (ne ipse quoque in illorum sum numero) quis mihi ipsi uidear, quomodo me ipso utar, num ut prudente, num ut temperante, num & ego aliquando me sic alloqui possim. In proximum annum hanc natus sum eruditionem, hanc quæ mihi sit utilis adeptus sum conscientiam, nempe me qui nihil sciam, nihil scilicet scire. Accedo præceptorem, tamquam oraculum, ad obediendum ei me offerens. Num uerò in scholam me conferam plenis mucro naribus, duntaxat historiam & libros interpretari ut possim quos antea non intelligebam, & ita res si postulet, alios ut docere possim? Bone uir cum seruitulo domi luctatus es, domum uexasti, uicinos turbasti, & uenis ad nos abstrusa quædam commemorans tanquam sapiens: ac dum assides, iudicium tibi usurpas orationis, qua interpretando aliquid ego sum usus, quemadmodum effutuerim ea quæ in mentem uenerunt mihi, inuidus uenisti, & humilis etiã hac de causa, quod ex ædibus affertur tibi nihil. Ac interea sedes, dum explicantur disputationes, cogitasque aliud nihil quam

quàm ut pater curet ea quæ ad te pertinent, itemq; frater. De me sic loquuntur qui illic sunt homines et me ad uirtutem proficere arbitrantur, dicuntq; me uenturum aliquando omnium intelligentem rerum. Utinam perdiscens uniuersa, aliquando possem reuerti: sed longo mihi opus est tempore, nec quisquam mihi mittit quicquam. Quin etiam in Nicopoli putidè nos lauamur in balneis, & domi quoq; agimus malè, & isihic etiam malè. Deinde ex schola dicunt nullam percipi utilitatem. Quis ingreditur scholam ut medicinæ qua conuale-scat compos efficiatur? Quis exhibet se ut opinionibus quibus est infectus, liberetur? Quis ut interiore quodam sensu exploret quibus indigeat? Quid miramini si quæ affertis in scholam, eadem quoque effertis rursus? acceditis tanquam deposituri, aut tanquam emendaturi, aut alia pro alijs accepturi. Vnde autem sint accipienda, minimum intelligitis. Id potius considerate, utrum id consequamini gratia cuius aduenistis. Nempe disserèdi estis cupidi de Theorematibus. Quid igitur? Nónne futiliores eritis? Nónne materiam quandam ista uobis præbent ad demonstranda Theoremata? Syllogismos reducite atq; euoluite in contrariū cadētes. Nónne sic uiam munitis ad præmissas pseudomeni, & ad hypotheticos? Quid ergo indignè fertis, si quorum gratia adestis illa accipitis? Certè ita est. At si moriatur filiulus aut frater meus, aut me mori necesse fuerit, aut torqueri, quid postea mihi proderunt? Num ideo uenisti ut ista prodesse? Nō. Num ideo mihi assedisti? Nequaquam propterea uenisti, nec eius rei gratia lucubrasti, aut noctem insomnem duxisti, aut in Peripatū descendisti, ut proponeres loco syllogismi, tibi ipsi quod uideretur, ut id cuiusmodi esset in communi quærendo uentilaretur, quid esse, quod a nihilo meliores fiant, quia scilicet uniuersalia rebus & actionibus singularibus non applicent: illud enim est uirtutis & prudentiæ.

tilaretur, & cum hoc non faciatis inutilia Theoremata hæc appellatis. Sed quibus sunt inutilia & his scilicet qui ijs non utuntur ut par est. Etenim collyria his inutilia non sunt qui ijs quando & ut oportet inungunt oculos: nec malagmata usum nullum habent, nec inutiles sunt halteres. Sed quibus sunt utiles, & rursus quibus nullo sunt usus? Si ex me quaesieris utrum nunc utiles tibi sint syllogismi, respondebo, utile esse: & si uoles, ostendā quomodo sint, At mihi quid conducunt? Bone uir non istud rogaras an tibi prodesse, sed duntaxat in genere utrum prodesse. Proinde hoc ipso modo sciscitetur de uniuerso genere dysentericus etiam, num utile sit acetum: dicā prodesse. Ergo mihi quoque est utile? respondebo, Non. Prius ut constringatur fluxus operam dabis, ut sanentur intestinorum huiusculi. Ergo uos etiam uiri uulnera prius curate uestra, & fluxiones compescite, cogitationibus conquiescite, afferte eas non uariè distractas in scholam, & intelligetis quātam uim habeat ratio.

Propter acetum enim oxymel, ut ait Hippoc. in lib. de Vi et in morbis acutis ubi inuicem sunt uariè, quod praefertur aduersatur dysenteriae.

De amicitia.

CAP. XXII.

Quibus rebus studium suum impendit quispiam, non mirum si illas quoque deamet. Num uerò rerum malarum studio occupantur homines? Nequaquam. Num ijs quæ ad ipsos nihil pertinent? Neque his etiam. Restat, ut studeant duntaxat rebus bonis: & non studiose tantum persequantur, sed etiam ament, Ergo qui bonorum est intelligens, idem quoque ut amare debeat, non ignorabit. Qui uerò discernere bona à malis nequit, & neutra ab utrisque, qui poterit amare? Quapropter solius prudentis est amare. Sed quo pacto, inquit? Ego insipiens quamuis sim, nihilominus meum amo filiolum. Miror hercle primum qui factum sit ut te ipsum nominares insipientem, Etenim quid tibi quominus

Verā amicitiam duntaxat inter bonos esse ostendit Aristot. in Ethicis.

minus sis sapiens deest? Nōne uti potes sensibus, uis
 fa obiecta discernere, alimenta convenientia exhibere
 corpori, tegumenta, domicilium, num igitur est quod
 te insipientem fateare? Eō nimirum istud (ut arbitror)
 accidit, quod sæpenumero impellentibus uisis com-
 pos non es animi tui, uincuntq; te uerisimilitudines
 uisorum: quibus adductus, aliās censes quādam esse
 bona, aliās uerò mala, postea neutra. Totus uerò mœ-
 rore, timore, inuidia turbaris & mutaris. Ob hanc ui-
 delicet causam te insipientem appellas? At in amore
 mutabilis non es? Sed diuitias quidem & uoluptatem,
 & ut in pauca conferam, rerum omnium apparatus,
 aliquando pro bonis, interdum pro malis numeras: at
 homines credo eosdem non censes aliās esse bonos, a-
 liās uerò malos: & interdum familiarem te his exhibes,
 aliquando autem odiosum & infestum: interdum lau-
 das, interdum uerò uituperas? Profecto sic affici soleo.
 Quid ergo, potestne quis amicus esse ei à quo sit qui-
 spiam in aliqua re circumuentus? Nequaquam. Aut
 si deprehendat inconstanter quempiam sibi esse bene-
 uolum? Nec ille potest. Aut qui modò conuicijs pro-
 scindat, postea in cœlum usque laudibus efferat? Ne-
 mo pro amico habeat. Quid igitur? Catellos uidisti-
 ne aliquando sibi mutuò caudis adblandientes atque
 colludentes? eo spectaculo nihil amicius aut consen-
 tiens magis uidetur. Sed ut cognoscas quid sit amici-
 tia, in medium proijce carnem, & intelliges. Inter te &
 filiolum interpone agellum, & intelliges quā cito te
 sepeliri cupiat filiulus, & tu ipsum mori. Deinde, ut ho-
 nestè educatus es olim fili, inquit. In medium propo-
 ne puellam uenustam, & senex pater & adolescens ille
 amare eam incipient: similiter si gloriolam proposue-
 ris. Quod si periclitari oportebit, efferes uoces scilicet *In Alceſtida*
 Admeti patris: Aspiceret lumē expetis, eodem gaudere *Euripiāis,*
 patrem

patrem non existimas? Vis intueri lucem, patrem non cupere eandem censes? Proinde non arbitraris filium suum, quum adhuc esset paruus, non dilexisset: & si quando febricitaret, non fuisse anxium, ac non dixisse sapius, Vtinam febris, ipsum deserens me corripere-
ret? Deinde presentibus his difficultatibus & appropinquantibus, uide quales efferant uoces? Eteocles & Poly-
nices nonne eadem matre & eodem patre erant pro-
gnati? nonne simul educati, simul uixerunt, ac simul
etiam luserunt, eodem lecto saepe quieuerunt, sese mu-
tuo deosculati sunt: ut si quis eos conspexisset, haud du-
bii philosophos, qui de amicitia abhorrentia à uulgi
sensu scribunt, irrisisset. At cum in medium incidisset
tanquam caro, regnum atque tyrannis, considera qua-

*In Phœni-
ssis Euripi-
dis.*

lia dicant: Vbi uidelicet ante turres stabis? Quid ro-
gas? hic me opponam tibi, ut te interficiam. Et huius
rei cupido me quoque tenet. Talibus illi detestationi-
bus se mutuo deuouent. In uniuersum (nolite decipi)
sic conciliatum sibi naturali instinctu est animal, ut nul-
li rei magis quam suae propriae utilitati sit deuinctum.
Quicquid ergo impedimenti uisum fuerit usquam ob-
ijci, siue frater is fuerit, siue pater, siue filius, siue ame-
tur, siue amet, eos omnes odit, abijcit, imprecando di-
ris deuouet. Nihil enim æquè diligunt omnes atque suum
commodum, id ipsum est pater, frater, propinquus, pa-
tria, dii. Quod si dii quoque nobis istud impedire uidean-
tur, conuicia in illos quoque dicimus, statuasque eorum sub-
uertimus, & templa incendimus, quemadmodum fecit
Alexander cum iuberet incendi fanum Asclepsæ, quum
diem suum obisset quidam ei percharus. In eodem igitur
capite collocabuntur, utile, sanctum, honestum, pa-
tria, parentes, amici, simulque salua retinebuntur, quod si
alibi fuerit utilitas posita, & alibi parētes, patria, ipsumque
adeo

*Virg. in 1.
Georg. ele-
gāter descri-
bit hanc uitæ*

peruersitatem: Gaudent perfusi sanguine fratrum, Exilioque domos mutant, &c.

adeo iustum, peribunt nimirum hæc omnia depressa
 pondere proprii commodi. Nam ubicunq; est EGO &
 MEVM, illuc necesse est inclinare animal. Si in carne,
 isthic quoq; summum erit bonum. Si in voluntate, etiam
 ibi erit præcipuum bonum: si in bonis externis, non du-
 bium quin principatus in his sit futurus. Quod si EGO
 sum illic ubi arbitrium meum est, duntaxat hac ratione
 & amicus ero qualẽ esse oportet, & filius, & pater. Nam
 istud tum meum erit COMMODYM, ut custodiam & con-
 seruem meipsum fidelem, uerendum, tolerantem, ab-
 stinentem, adiuuantem alios, circumstantias obseruan-
 tem in rebus gerendis. At si alibi meipsum collocaro, &
 alijs in rebus honestum & pulchrum, disputatio Epicu-
 ri magnam uim habebit affirmantis, aut nihil reuera esse
 honestum: aut si sit, metiendum id esse opinionibus ho-
 minum. Ob hæc insecitiam Athenienses & Lacedæmo-
 nij inter se dissenserunt. Thebani uerò cum utrisque ar-
 mis cõtenderunt. Magnus uerò rex bellum intulit Græ-
 ciæ, & cum utrisq; conflixerunt Macedones. Nunc ue-
 rò cum Getis itidem Romani dimicant armis, & ante
 hæc tempora bellum Troianum eandem ob causam exar-
 sit. Alexander hospitio receptus erat à Menelao, si quis
 eos conspexisset summa humanitate atq; hilaritate con-
 uersantes, haud opinor credidisset affirmanti amicos i-
 psos non esse. At portiuncula in medio proiecta, nem-
 pe formosa muliercula, istud declarauit, itemq; susceptum
 & gestum pro hac bellum. Haud longè secus si nunc quo-
 que uideas amicos, fratres, & qui consentire inter se ui-
 deantur, non inde satis argumenti habebis ut pro certo
 affirmare possis amicos esse, ac ne iuratis quidem illis
 credendum, & quantumuis cõtenderint uerbis non pos-
 se fieri ut amicitia ipsorum dissoluatur, ac se mutuo dese-
 rant. Enim uerò quo ad agendum impellitur prauus ho-
 mo, fidele non est, inconstans est ac indefinitum, alijs

Plato ME-
 VM &
 TVVM
 hoc nomen
 censet pro-
 stigandum e-
 rebus publi-
 cis. is uolui-
 tis causam
 scriptam re-
 peries.

Illorum cer-
 taminum bel-
 lorumq; hi-
 storia sunt
 apud Thu-
 cydidem, et
 Xenopho-
 tem in Hel-
 lenicis.

semper atque alijs uisis succumbit & uincitur. Verum considera hanc rem non quemadmodum alij, quum has necessitudinis afferunt causas, quod scilicet ex eisdem nati sint parentibus, & simul educati, subq; eodem uixerunt præceptore. Ad id tantum respice tu, ubinam posuerint quod ipsis utile est, utrum in externis rebus an uero in arbitrio uoluntatis. Si in externis, noli eos appellare amicos, nihilomagus quam fideles, quam constantes, quam fortes, quam liberos; & si cordatus es atq; intelligens, ne homines quidem censebis. Etenim decretum illud humanum non est, quo se uicissim mordent, ac conuicijs incessunt, aut quo in solitudines se conferunt, aut in fora tanquam in montes, ut sint tuti, confugiunt, aut qui tanquam latrones in iudicijs iugulant homines. Nec uero illud propositum humanum est quo intemperantes sunt, & adulteri, & corruptores, & quæcunque tandem sunt alia in quibus peccant homines, se mutuis afflicientes iniurijs, hæc nimirum fiunt omnia propter unum & solum hoc decretum quo statuunt rebus arbitrio nostro non subiectis, sese, & quæ ad se pertineant commoda omnia mancipanda esse. Quod si aliquando audieris quosdam homines reuera illic statuere bonum, ubi sit libertas arbitrij, ubi sit conueniens usus uisorum, ne sis curiosus de reliquis, utrum scilicet pater sit an filius, an uero fratres. Num ad præceptorem uentitarint eundem, ac socij fuerint. Si quod dixi, exploratum habeas, sine omni dubitatione pronuncia ipsum uerum esse amicum. Nam ut sunt fideles & iusti, ita quoq; amici dicendi sunt homines. Ubinam quæso est amicitia, quam illic ubi est fides, pudor, ubi exhibitio honesti, ac nullius rei alterius? At inquires, Tanto tempore me obseruauit, & non amaretur? Inapte qui scis an sic te coluerit quemadmodum solet calceos suos dum spongia detergit, aut ut pecus quoddam? Qui scis autem utrum si tui nullus usus tanquam

tanquam instrumenti amplius fuerit, ipse tanquam fractam tabellam te sit abiecturus. At uxor mea est, & tot annis conuiximus. Quot annis cum Amphiarao uixit Eriphyle, & filios ex ea suscipiens & quidē multos? Sed monile in medium obrepsit. Quid est monile? Opinio nimirum concepta de talibus rebus. Hæc fuit illa feritas atq; immanitas quæ diuturnam hanc amicitiam rupit, quæ nuptam abstraxit, nec matrem, matrem esse passa est. Quocirca quiuis uestrum, qui aut amicus esse alij, aut sibi amicum aliquem habere studeat, huiusmodi opinioniones amputet, easq; omni odio persequatur, & ex animo suo profligās eiiciat. Tum enim sic affectus erit, ut nec ipse sibi quicquam exprobet, nec à seipso dissentiāt, nec facti alicuius poeniteat, nec se ex cruciet aut torqueatur. Et quæ sibi est, eadē sit omnia simpliciter huic qui ei est similis. Erga dissimiles autē patiens erit, mansuetus, lenis & ad ignoscendum tanquam ignoranti ueritatem, & hallucinando offendenti in rebus maximi momenti, facilis, denique nemini iratus, dum quod est apud Platonem accuratē cognoscit, nempe quod omnis anima priuetur inuita, ac nolens ueritate. Sin uerò abhorret animus à tali studio, cætera quidem omnia facietis qualia solent amici facere, simul bibetis, simul habitabitis, nauigabitis, eisdem nascemini parentibus. Proinde quoadusq; imbuti eritis feris illis opinionibus & detestandis, nihilo meliores eritis serpentibus. In his amicitia nulla, quare nec in uobis.

De Facultate differendi.

CAP. XXIII.

Cuius & iucundior & facilius lectu est liber expressis ac significantibus literis conscriptus. Quamobrem quiuis etiam audire magis cupiat orationes concinnis & elegantibus uocabulis prolatas. Non ergo dicendum, nullam esse facultatem quæ istud promittere possit, quoniam id hominis est impij iuxta ac formidolosi.

Impij

Athenæus
libr. 6. Di-
nos, sic
scribit, & is
quædā epus
dyschonte ri-
etiam est &
ad hoc aliam
etiam quædam
nona pie la-
uerit

*Disputatio
apud Ari-
stotelē est,
uirū extrā
mittēdo, an
intrō acci-
piēdo ener-
gia uisus
excitetur.*

*Vt commu-
nis sensus est
sensus sensio-
nis, ut Aristo-
teles inquit,
ita intelli-
gētia penes
se habet iudi-
ciū om-
niū sensuū.*

Impij quidem, propterea quòd à Deo exhibita gratuita dona contemnit, perinde faciens, ac si bonum usum facultatis uidendi uel audiendi, uel etiam loquendi è medio tolleret. Num temere largitus tibi oculos est Deus? num immiscuit spiritum illum tam efficacē & artificiosum inconsultò ac fortuito qui se porrigens atque pro- tendens longo interuallo figuras rerum aspectabilium imprimi sibi pateretur? Quis est nuncius tam uelox, & qui mandata tam citò exequatur? Num casu talis etiam factus est aer intermedius tam habilis, ac sine omni ob- sensione transmittens spiritum illum, quo per obuium quemq; penetrare uisio solet. An sine causa lumen con- didit: quo absente, nulli usui reliqua nimirum essent? O' homo ne sis ingratus nec immemor rerum potiorū, sed pro cōcesso sensu uidendi, audiendi, pro uita, proq; omnibus his quibus cōseruatur uita, pro frumentis, pro uino, oleoq; Deo age gratias. Attamē memento quòd his omnibus prāstātius quiddam tibi impertierit, nem- pe id quod his omnibus uti, quod iudicare, quod cuius- que precium & dignitatem raciocinando penitare po- test. Quid est illud quòd statuit & decernit de qualibet illarum facultatum, quanti quæq; earum fieri debeat? Num semetipsam quælibet considerare poterit, audisti ne aliquando oculum de seipso differentem, aut sensum aurium, aut de frumēto, aut ordeo, item equo uel canē? At sunt tanquam administri, & quasi seruæ famulantur subiectæ imperio eius, quæ uisus utitur, facultatis. Quā- do rogas quanti res quæq; sit facienda, quem nam sci- scitaris, aut quis respondet? Quē ergo poterit alia facul- tas esse prāstantior hac? & hæc nimirum reliquis utitur ut ministris, penitatq; ipsa singula, & postea decernit. Quæ nam aliarū cultatū ipsa sese cognoscit, & quanti sit precij, quæ nam intelligit quādo usus se adhibere, aut ab usu quando abstinere homo debeat? Quæ nam est quæ

quæ aperit & claudit oculos, & ab ijs quæ inspicî nō debent auertit, & his quæ aspiciēda aduertit? Num uisus? Non, sed arbitrium uoluntatis. Quæ facultas occludit aures, aut quæ nam patulas præbet? Certe hæc propter quam curiosi in audiendo, aut rursus inflexibiles uel flexibiles audiendis rationibus dicimur. Profectò non alia hæc est quàm libera in delectu rerum uoluntas. Atque hæc etiam (per intelligentiā) perspicit, quòd res omnes sint in cæcis omnibus & surdis illis sensuū facultatibus, quibus apprehendi possit nihil, exceptis his operibus quibus à natura famulatu suo præficiūtur, & quibus solis defungi possunt, se uerò solam esse quæ acutissimè uideat & cognoscat etiam quantū momenti, quæq; earum perceptionū esse debeat. Quid ergo restat aliud, quàm ut ipsa seipsam pronunciet esse præstantissimam facultatem? Ecquidnam aliud facit oculus apertus, quàm ut uideat? At uerò alterius aspicere uxorem, & quomodo oporteat, quis monet? uoluntas, & arbitriū. Item his quæ dicuntur fides habenda necne sit, item si quid audiat utrum fidem his habere, an uerò non debeat, quid nobis præcipit, nōne id penes quod est potestas & arbitrium deligēdi? Cæterum eloquendi & exornādi uerbis facultas (si quæ est singularis) quid facit aliud, quàm si de re aliqua disputatio inciderit, uerbis eam adornet & componat, ut solent māgones comam exornare? Sed utrum satius sit loqui an tacere, & utrum hoc an alio modo, & utrum deceat an uerò sit indecorum, usum præterea & occasionē cuiusq; rei, quæ nam alia nobis ostēdit quàm ea penes quam est delectus rerum? Vis ergo presenti ei abrogare imperium? Quòd si ita res sit comparata, quid ait? Num potest quod inseruit eo cui inseruit præstantius esse, equus equite? uenatore canis? instrumentum citharædo, aut seruus rege? Quid est quod utitur rebus? Arbitrium, Quid procuratiōē omnium rerum habet?

A arbitrium.

Nihil in natura liberū nisi uoluntas. Sed tamē propter seruitutem peccati, cui seipsā fecit obnoxiam, dominū amittit: et sic per accidēs est seruus, nō per se.

Ex mala uoluntate omne malum, adeoq; mortē coepisse, sacræ testantur literæ. Epistola est Epicuri ante obitū ipsius, quæ extat apud Laërtium.

arbitrium. quid totum hominem perimit, aliquando famē, interdum laqueo, sæpenuerò præcipitior: certē uoluntas & arbitrium. Quicquā ne efficacius est in hominē? At qui fieri potest ut quod nequit prohiberi, sit infirmius his quæ prohiberi possunt? Quid cernēdi sensum impedire potest? Nōne ipsum arbitrium, & uniuersa hæc quæ cadunt sub arbitrium, similiter audiendi, & item eloquendi. At uerò ipsum arbitrium, quoniam potest impediri? Non equidem eo quod sub ipsius potestate statem non cadat, aut ipsum non attingat dum nō uult, sed ipsa seipsam conuertit quocūque libuerit uoluntas. Quare sola hæc omne uitium est & malitia, ac ipsa se sola omnis uirtutis efficitur compos. Quæ cum sit tanta et tam efficax uis in nobis, finge eam se reliquis omnibus subiicientem, atque ita nobiscum loquentem: Carnis maximum est imperium in rebus omnibus. Profecto si ipsa sibi caro tantam arrogaret potestatem, nemo ferret. Nunc quid est Epicure quo sententiam hanc ipsam de potestate carnis enunciaris? Nempe quid est quo scripta commentaria tot reliquisti de fine hominis, de natura, de Canone, quo etiam barbam promissam habere instituisti, quod scripsit etiam in te moribundo, quum te supremum diem, & illum beatissimū agere diceret? Istudne caro fuit, an uoluntas qua istud es executus? An nihilominus aliquid uoluntatis arbitrio præstantius quiddam, ac ualentius habere dicis. Nōne insanis qui ita cæcus, & absurdus apprehendenda ueritate? Quid ergo, an is qui sic sentit, reliquis facultatibus suum detrahit honorem? Nequaquam. Num spoliatur usu, & ociosam facit facultatē arbitrii? Sed ne illud quidem, quoniam est absurdum, impium, & erga Deum ingratitudo: singulis uerò facultatibus consentaneas ascribit actiones. Est enim asini quidam usus, sed non is qui bouis, & canis, sed non tantus ut serui: quin serui etiam

etiam, sed non tantus ut ciuium: proinde ciuium quoque, sed non quantus est eorum qui præsunt. Non enim eo quod alia sint præstantiora, propterea contemnenda quæ minus usui esse possunt. Est quædam etiam dignitas eloquentiæ, sed non tanta ut præstet ei quæ uoluntati tribuitur. Quum ego sic disputo, ne quis putet me autorem esse uobis, ut studium dicendi abijciatis: nam nec oculos negligendos, nec aures, nec manus, nec pedes, nec uestitum, nec calceos censeo pro nihilo habendos. Sed si quis ex me sciscitetur quid præstantissimum, & maximum, quid respondebo? Num eloquentiam dicam? Non possum: sed dicam id esse uoluntatem, si sit RECTA & BONA. Nam ea est quæ cæteris quoque utitur rebus, similiter paruis magnisque alijs facultatibus: quæ si rectè sit informata, non bonus homo, efficitur bonus: sin uerò sit deprauata, malus fit. Id nimirum est gratia cuius foelicitate frui, aut miseria constrictari dicimur, quo irascimur nobis mutuò, ac rursus placamur: & ad summam, quod qui negligit, miserum seipsum efficit: qui excolit & curat, beatum & foelicem. Cæterum tolerare facultatem differendæ, ac nullam reuera esse opinari & dicere, non tantum ingrati est erga eos à quibus eam accepimus, sed etiam timidi. Nam talis subuereri mihi uidetur ne si sit facultas qua in loco decenter uti, & officiose queamus, postea non possimus eam contemnere. Ita sunt affecti etiam qui inter pulchrum & deforme nihil censent interesse: quo concesso, non secus scilicet mouebitur quis Therisitem aspiciendo, atque si intueatur Achillem: Nec aliter si Helenam, quam si uxorem suam: Stulta hæc sunt & agrestia, & ignorantium hominum cuiusque rei naturam, aut potius metuentium ne quæ differentia animaduertatur: qua deprehensus, & uictus, discedat inferior. Verum magni illud est animi, suam cuique uim attribuere quam habeat, & sic di-

scernentem considerare dignitatem cuiusq; facultatis, ac porro etiam cognoscere eam quę præstet omnibus alijs, quam præ cæteris prosequaris, & studio excolas, tanquam subsidiarias reliquas facultates adiungēs, non omni cura deposita illorum quoque sensuum quoad eius fieri possit. Nam curandi etiam sunt oculi: sed non ut præstantissimum quiddam: at propter præstantissimum illud, quod alioqui secundum naturam non habebit sese: his bene se non habentibus, & omnino alia propter alia sunt expetenda. Quid fieri porro consuevit? Quemadmodum si quis in patriam proficisci uelit, & peragrans loca ueniat in hospitium delicijs affluens, quo aridente perseverare illic uelit. Bone uir num oblitus es propositi tui? Non ideo ingressus es iter, ut uenires huc, sed ut pertransires. At opimum illud est & pulchrè exornatum. Quàm multa sunt præterea similiter exornata hospitia & lauta? Quot prata florentissima? Sed per hæc omnia transeundum, ac iter faciendum, quod proposuisti est, ut in patriam reuertare. Illud porro quid est? Familiam in tuto & sine metu conservare, cuius officio defungi, ducere uxorem, liberos suscipere, præesse legitimo imperio. Non enim aduenisti, ut amœnioribus locis quæ ipse tibi eligas fruire quàm nos: sed in quibus natus es, & inter quos ciuis es cõstitutus, apud eos te uersari oportebit. Haud longè secus in nostro quoq; instituto res est comparata. Quoniam nam his rationibus, & hac doctrina accedendum est ad perfectam uitam; ac repurganda uoluntas est omnibus uitijs, facultasq; uisorum instrumento utens ad rectitudinem persequendam erudienda. Præterea necesse est etiam est contemplatione rerum mentem acuere, cui ornatus quoq; & uarietas orationis addenda, necnō acrimonia etiam quædam propositorum problematum ad contemplandum esse debet. Horum lenocinijs delinunt
quidam

quidam & amicitia capiantur, ita ut longius procedendum sibi non existiment, sed illic subsistentes con-
fenescent. Est qui orationis elegantia capitur, alius
amplectitur rationum subtilitatem: sunt quos argutiae
disputationum in refellendo praesertim delectent: al-
lius ad aliud quoddam hospitium adhærescit, ma-
nensque ibi tamquam à Sirenibus delinquit, computrescit.
Bone uir, non hoc tibi propositum fuit. Præpara te ut
possis rectè uti oblati uisis secundum naturæ præscri-
ptum, ut sis appetendo omnium compos, & fugiendo
in nullum incidas malum: ut sis nunquam non uoti com-
pos, nihil non assequaris: ut sis liber, nihil te prohibeat,
nullaque re cogare, accommodesque te totum Iouis uolun-
tati ac dispensationi: cui obedias, quem nunquam incu-
ses, ut possis pronũciare uersus illos ex tota anima tua:

Quocumque lupirer uoles me ducito, &

O, quæ uoluntas es Iouis, Necessitas.

Proinde secus facere quum constitueris, quum arti-
ferint orationum, aut placuerint argutiae Theorema-
tum, manere illic & quasi tabernaculum figere uis, obli-
tus eorum quæ domi sunt tibi expedienda, ac dicis a-
moena hæc esse. quis negat iucunda & amoena esse: sed
hæc transeundum, prætereunda hæc ut hospitia. Quid
enim uetat quo minus miser sit is etiam qui Demosthe-
nem dicendo imitetur? quid in syllogismis iudicandis
tam acutum quam fuit Chrysippus prohibet infelicem
esse, lugere, inuidere, omnino perturbari ac miserrimũ
esse? Nihil. Intelligis ergo huiusmodi hospitia nullius
esse momenti, tibi que aliud fuisse propositum? Hæc cum
disputans explico, arbitrantur me studium dicendi im-
pugnare, atque etiam contemplationis industriam refel-
lere uerbis. Non detraho his, sed in harum rerum studio
acquiescere, ac in illis ponere omnem spem suam, re-
prehendo. Si quis ergo admonens de his obest auditori

A 3 bus,

bus, etiam me ex illorum numero habetote, non possum aliud intuens tanquam potissimum & precipuum, eius loco aliud allegare, ut uobis gratificer.

Ad quendam quem non dignatus erat responso.

C A P. X X I I I I

Quidam cum diceret, Desiderio audiendi sapienter meo te accessi, & tamen respondisti mihi nunquam. Et nunc si fieri potest, rogo dicere mihi quidpiam uelis. Videturne (inquit Epictetus) ut alterius cuiuspiam rei, ita differendi quoque esse artem qua nimirum prae dictus quispiam, perite differat: eius uero ignarus, imperite atque inscite? Videtur. Is uero qui cum sibi ipsi tum alijs dicendo prodest, nonne scienter loqui censendus: & contra qui noceat cum sibi tum alijs is expertus artis dicendi existimandus? At inuenies quosdam quibus nocuerit oratio, nonnullos uero qui hac audita profecerint. Et ex his, inquit, quicunque etiam hic assunt & perite audiunt, utilitatem percipiunt: qui uero contra, detrimento afficiuntur? Annuuit. Ut ergo quaedam est peritia atque usus quidam dicendi, ita quoque audiendi? Videtur. Si libet ita rem considerabis. Musicam tractare ad quem pertinet, nonne ad Musicum? Ita. Statuam fingere pro eo ut oportet, cuius est opificis? Sculptoris. Cognoscere rem prudenter, nullius ne artis indigere censes? Imo opinor indiget. Ergo si dicere consentanea rebus periti est & prudentis, intelligis scilicet quod audire etiam utiliter hominis sit non imperiti? Et ut omittamus (si placeat) uocabula, utiliter, & consummate in praesentia, quandoquidem longe absimus ab his nos ambo quibus significatur perfectio, nemo est a quo mihi illud non concedatur, quod nimirum is qui auditurus sit philosophos, quendam usum & modum eos audiendi habere debeat. Quidni? Apud te igitur quid dicam, ostende mihi, de quo potes me differente audire? Num de quodam ex

dam ex bonis malisue rebus? num de equo? Non. An de boue? Non. Quid igitur uis ut disputem, an de homine? Ita uerò. Num exploratum nobis est quid sit homo, quæ natura ipsius, quæ notitiam quam habemus etiam de quantitate ipsius, & si fortè habeat aures perforatas? Proinde natura ipsa quid sit intelligisne, dein de de ipso quanto differente me, quid ipsum sit assequi te posse speras? Deinde disputādis his adhibebōne demonstrationem? Intelligisne id ipsum Demonstrare quid sit, & quo pacto sit demonstrandum, aut per quæ, aut quæ similitima quidem sint demonstrationum, nequaquam autem sint demōstrationes? An quid uerum sit aut falsum nosti? quid cui sequatur, aut cum quo pugnet? aut cōsentiens aut discrepās? Sed corā, totam cōmoueo philosophiā. Quo pacto? Ostendo discordiam multorum hominū qua dissident inter se de bonis malisq; rebus, de utilibus & nocentibus, quum tamē quid sit discordia, non intelligas. Agē, propone mihi de quo differens tibi demonstrē aliquid. Lacesse uoluntatem meam & desiderium ut spisso gramine ac lato uberiq; alluci ouis ad pascendum solet: quod si lapidem aut panem apposueris non inuitabitur ad uescendum. Ita nobis quoq; sunt ingenerate cupiditates naturales ad disputandum, quando scilicet auditor idoneus nobis occurrat, quando prouocat ipse. At quum tanquam lapis aut pabulum sese obijciat, qui potest hominis desiderii excitare? Vitis num hortatur uinitorē ut sui curam gerat, nōne id sua præsētia & aspectu declarat quod ei qui se coluerit sit profutura, atq; eo ipso inuitat ad cultū? Puelli festiui & argutuli quem non prouocant ad colludendum ipsis, ad unā serpendum, atq; balbutiendum? Alino autem quisquāne est qui uelit colludere aut simul rudere: tamen si enim & ipse sit pusillus, tamen asellus est, Igitur nihil corā differendum putas? Nihil præterea

terea habeo quod tecum loquar quam eum qui non in-
 telligat quis ipse sit, nec cuius rei gratia natus sit, nec qua
 parte locatus sit in hoc mundo, aut quibus cum commu-
 niter: item quæ bona sint, aut mala, honesta & turpia:
 neque etiam rationes colligentem, aut demonstrationum
 gnarum: nec animaduertentem quid uerum, aut falsum:
 nec ualentem ista diiudicare, idoneum non esse ut pos-
 sit appetere quæ sint appetenda secundum naturam, nec
 declinare, nec studiose aliquid capessere, nec prudens-
 tiam adhibere, nec prout decet assentiri, nec porro recu-
 saturum etiam, nec toleraturum ea quæ oportet, sed pe-
 nitus cæcum & surdum obambulaturum, ita ut uideat-
 ur tibi aliquid esse dum tamen sit nihil: Ac primum
 nonne res sic est comparata? Nonne ex quo genus cœ-
 pit esse humanum, ex eo tempore omnia peccata, & om-
 nes miserie propter hanc ignorantiam prouenerunt:
 Agamemnon & Achilles inimici inter se dissenserunt,
 nonne quia uterque nesciebat discrimen utilium & inuti-
 lium? Nonne alter dicit reddendam patri Chryseida, &
 id publice profuturum, alter negat? Quin etiam ille qui-
 dem censet sibi dandas alterius manubias pro honora-
 rio: hic uerò ne fiat illud, laborat. Nonne hac in dimica-
 tione obliti fuerunt, non modò qui essent, sed etiã quam
 ob causam ad Troiam uenissent: Sine homo, quare ue-
 nisti, concubinas ne ut acquirereres, an bellum facirus?
 quibus: Trojanis. Quid igitur est quod dimisso Hector-
 e, gladium stringis in tuum regem? Tu cōtrā, optime
 rex, neglectis regijs officijs cum bellicosissimo tuorū au-
 xiliariorū dimicas de puella, quæ omni ratione obserua-
 re, & nequaquam offendere debebas: & deterior exi-
 stis moderato illo sacerdote, qui egregios uos singulari
 certamine congressuros gladiatores tam sollicitè obser-
 uat. Intelligis ignorantia rerum utilium quid faciat? At
 ego sum opulentus. Num es opulētior Agamemnonet
 Formo-

Homer. 1.
 Iliad. libro

Formosus sum. Num formosior Achille? Cíncinnos habeo calamistratos, Longè uerò uenustiores habuit Achilles & magis flauos, quos non minus actu scítè pectine composuit, atque concinnauit. At sum robustus. Tanti ponderis lapidem tollere potes qualem sustulit Hector, aut Ajax? Præterea nobilis quoq; sum. Num mater dea, aut Iupiter fuit auus? Quid ista profuerunt huic, dum sedet ac ob suam flet puellam. Veruntamen Rhetor ego sum. Ille non erat; an nescis quo pacto usus fuerit disertissimis Græcorum Vlysse & Phœnice, quos quàm facit disertos? Quæ tibi dicerem, ista duntaxat habui, quæ tamen non libenter protuli. Quare? Quia me ad dicendum nulla re inuitasti. quò enim respiciēs protocasses, quemadmodum qui curant equos, respiciunt ad eos qui maximè reliquis præstāt. Corpus ego tuum respicerem; at turpiter ipsum adornas, an uerò uestem? & hanc nimis luxu diffluentem geris. Formamne & uultum? imò nihil est quo mouear. Quando igitur audire philosophum decreueris, ne dicas exprobrans, Nihil mecum es locutus. Tantum exhibete dignum aut idoneum qui audias, & senties ut moueris ipsum ad differendum.

Artem Logicam esse necessariam.

CAP. XXV.

CVM quidam ex his qui aderant dixisset, Rationes mihi affer, quibus intelligam Logicam esse utilem: Vis ut id tibi demonstrēm? inquit. Volo sanè. Itaq; demonstratione ut id concludam oportet. Quod ipsum concedente illo, Vnde, inquit, cognosces quando te argutijs deceiveror? Tacente illo, Animaduertisne, inquit, ut tu ipse fateare Logicam esse necessariam, quum sine ea ne istud quidem scire possis utrum necessaria ars hæc, an uerò non sit existimanda.

B

Quid

OMne peccatum dissidium in se continet. Quandoquidem qui peccat, mauult recte facere quam delinquere: unde perspicuum est eum quod uelit non facere. Quid enim cupit fur facere, nonne quod ei utile sit? Ergo si nocet ei furari, quod cupit nimirum non faciet. Anima rationis compos quaelibet suapte natura huic dissidio est obnoxia, ac exploratum quam diu animaduersumque non habuerit sese dissidio illo non implicatam, tantisper nihil prohibet quo minus pugnantia moliatur. At intelligentem hac dissensione omnino liberari est necesse, atque ab ea abhorre. Ita à mēdacio re fugiat acerbissimo falsitatis deprehensæ stimulo incitata necesse est. Quoad uerò non uidebitur esse falsum, nempe tanquam uero ei annuit. Ad dicendum igitur quinam est solers & ingeniosus? Idem qui hortari iuxta ac reprehendere, qui cuius causam quare peccet, ostendere potest, ac dilucidè explicare quo pacto ipse quod uelit non faciat: & quod nō uelit, istud agat. Nam si quis doceat hoc, seipsum aliquis relinquet. quoad autē demonstratum non sit, noli mirari si qualis fuit, talis maneat. Quoniam perfecti officij speciem & uisum apprehendens, opere nimirum eam exequetur. Huic facultati confidens Socrates dixit: Ego quidem haud alium testem exhibere eorū quæ dico solitus fui: sum enim me ipso, qui mecum antea de his rebus disputando cōtulerim, contentus, eius testimonio suffragiū meum & calculum adijcio, & pro teste cito: qui mihi cum sit unus, instar tamen omnium erit. Haud enim nesciebat qua trutina examinaretur rationis compos anima, siue in hanc siue in illam inclinaret partem uolendo aut nolendo propter rationis principatū. Quare ostende ei dissidium, & desistet: aut si nolis, magis teipsum accuses quam non obtemperantem.

CAPITA TERTII LIBRI.

- 1 De lenocinio.
- 2 In quibus exercere se debeat qui proficere uelit, & quod prestantissimarum rerum finis negligentes.
- 3 Que materia sit boni, & in quibus presertim capienda exercitatio.
- 4 Ad eum qui indecenter in theatro fuit officiosus.
- 5 Ad eos qui propter morbum fingunt aliquid.
- 6 Miscellanea quedam.
- 7 Ad quemdam rectorem liberarum ciuitatum qui fuerat Epicureus.
- 8 Quomodo contra uisa decertandum.
- 9 Ad quemdam Rhetora uenientem Romam ad perorandum in iudicio.
- 10 Quomodo ferendi sint morbi.
- 11 Miscellanea quedam.
- 12 De exercitatione.
- 13 Quid solitudo, & quinam solitarius.
- 14 Miscellanea quedam.
- 15 Quod omnes res aggredi debeat consideratè.
- 16 Quod caute oporteat ad commercia hominum accedere.
- 17 De prouidentia.
- 18 Quod nuncio allato perturbari non debeamus.
- 19 Qui status plebeij & philosophi.
- 20 Quod ab omnibus rebus externis utilitas percipi possit.
- 21 Ad eos qui facile ad sophisticè arguendum accedunt.
- 22 De Cynismo.
- 23 Ad eos qui legunt & disputant generis demonstratiui proposita.
- 24 De eo quod affici ananisi non debeamus in his que in potestate nostra non sunt.
- 25 Ad eos qui desiterunt his que proposuerant.
- 26 Ad eos qui timebant inopiam.

De lenocinio.

CAP. I.



VIDAM adolescens Rhetoricæ studio
 sus quum ingressus ad ipsum capillos
 uenustè admodum & cōcinnè compo
 suisset, ac reliquo etiam uestitu elegan
 tiorè cultus astaret, Responde, inquit,
 mihi, nōnne canes etiam pulchri quidā

B 2 tibi

turpem te esse oportebit, etiam si omnem operam in id impendas, ut uidearis formosus. De reliquo nihil est quod ego tibi loquar, nam siue que sentio eloquor, molestus tibi ero, et egressus amplius non reuertere: siue conticuero, uide quid committam. Me equidem accessisti tanquam utilitatem aliquam ex me percepturus, at ego re ipsa nihil te adiuuero. Et tu ut ad philosophum uenisti, ego autem ut philosophus si nihil tecum loquar, non intelligo quomodo me deceat te emendationis indigentem sic negligere. Nam si aliquando respueris, merito abs te accuser, his uerbis: Ecquid in me deprehendit Epictetus, ut uidens me sic ad se ingressum tam turpiter habentem, non admoneret, ut ne uerbum quidem faceret? Num ita me despexit tanquam desperatum? iuuenis non eram? non intelligebam quae dicerentur? quam multi alij adulescentes propter aetatem in huiusmodi rebus delinquant? audio quendam etiam Polemonem ex petulantissimo adolescente insigni mutatione uitae alium factum. Esto. Non me censuit fore Polemonem. Attamen potuit cincinnos meos emendare, potuit detrahere focalia, atque his nudatum facere potuisset tranquillum & quietum. At conspiciens nescio cuius ornatum & figuram habentem, tacuit. Et ego ut non indicem quidem tibi, cuius sit uestiendi haec atque ornandi figura, posterius tamen tuipse, quum ad te redieris, eam explicabis, & intelliges cuiusmodi sit, & quina eius sint studiosi. Haec mihi si aliquando exprobres, quid habebo quo me defendam? Certè habiturus sum aliquid. Dicam enim, non obtemperabit. Num Apollinis dicto audiens fuit Laius, nonne discedens temulentus, ualere iussit oraculum? Num uero propterea non praedixit ei Apollo quae uera erant? Et quod ad me quidem attinet, nescio ego obtemperaturus mihi sis, nec ne. Apollo uero sciebat certissimò Laium non paritum, nihilominus praedixit.

Sed quid Apollo est? quare oracula pronunciat? quare hanc sibi sumplit (ut dicitur) prouinciā? ut nimirum esset uates, & quasi fons ueritatis? & ut ex uniuerso orbe ad eum uenirent petitem responsa? quare in uestibulo eius scriptum fuit, Nosce teipsum, quum tamen seipsum nemo cognoscat. Omnibus ne persuasit Socrates qui ipso familiariter utebantur, ut seipsum curent? Non certe millesimum quemque: at nihilominus, quum istius muneris functionem à Daemonio (ut ipse dicebat) mandam accepisset, ei deesse nunquam uoluit. Proinde ad iudices quid dicit? Si me absolueritis hac conditione, ut ista deinceps non agam quæ hæcenus egi, non acquiescam, nec remittam quicquam, quin cuius & adolescenti & grandiori, quicumque se obuiam mihi tulerit, me adiungam: ex eo sciscitans quæ hæcenus etiam interrogare sum solitus. In primis autem me ita uobiscum, quum sitis ciues, geram, quum genere propius scilicet me attingatis. Tam es curiosus ô Socrates, & tantum à re tua ocij est tibi, aliena ut cures? quid tu nostra curas? aut quid est quod curæ tibi esse dicas? Quum mihi tecum multa sint communia, sisque propinquus, teipsum negligis scilicet, et ciuitati prauum ciuem exhibes, & cognatis improbum propinquum, ac uicinis molestum uicinum. Tu ergo quis es hoc loco? Magnum est dicere me eum esse cui curæ esse debeant humana. Etenim leoni qui uis hos resistere audeat, quod si taurus ei se opposuerit, dic ei (si uidebitur) tu quis es, ut ista cures? Ita habeto bone uir. In omni genere nascitur quidpiam excellens, in bobus, in canibus, in apibus, in equis. Ne dixeris eximio: Tu quis es? sin pergas, respondebit aliquando hanc proferens uocem: Ego tale quiddam sum qualis est in uestibus purpura, ne putes me similem reliquis. Aut naturæ meæ succenseas, quæ me ab aliorum ingenio discrepantem procreauit. Quid ergo? Vnde est quod ego talis sum?

sum: Inde adeo quod tu talis sis, ut possis audire ueritatem. Utinam ita sit? At nihilominus quum talis de me lata sit sententia, ut oporteat me canam barbam, & palium gestare, ac tu ad me tanquam ad philosophum uenias, conferam tecum non acerbè aut contemptum, sed illo tecum modo colloquar adolescens. Quem uis tu exornare & pulchrum facere? Noscito primum qui sis, deinde te ipsum exornato. Homo es, id est, animal mortale, quod uti uisis potest adhibens rationem. At secundum rationem uiuere quid est? Naturæ scilicet conuenienter, & perfectè. Quid ergo? num animal eximium illud in te est, an excellis mortalis quod est? Non. At uti quod potes uisis? ne illud quidem. Quo præstas alijs, ratio est: hanc igitur orna, eius formam excole lenocinijs. Capillum omitte ei à quo est factus, talisque maneat qualem cum esse uoluit opifex. Agè, si quibus alijs appellaris nominibus, ut si uir, aut si foemina. Virum ergo quibus decet ornamentis comptum effice, nō ut mulier sectare mundicias, quam natura leuè ac molliculam procreauit: ea si sit hirta & hispida, pro monstro habetur, & Romæ inter portenta ostenditur. Fert autem natura maris ut talis non sit. Quod si pilosus non sit, atque id ei cueniat à natura, monstrum est: quod si aut tondendo aut euellendo pilos sustulerit, quid eo faciemus, aut in quo numero recensebimus, aut quo titulo eum proscribemus illo scilicet? Ostendam uobis uirum qui mulier esse malit quam uir. O miserum spectaculum. Neminem censes miraturum hanc literis sic inustam notam? Per Iouem opinor ne uellicatores quidem animaduertere tale probum esse ipsorum quod faciant. Quid facis bone uir, num accusas naturam tuam, quod uirum te fecerit. Quid ergo? Num oportuit omnes nos foeminas nasci? At si sic, quid profuissent tibi munditiæ, cui tenam exornasses? Siquidem omnes essemus mulierculæ. At displicent

displicent tibi ipsi per se pili? Totum ergo te ex omni parte tonde, aufer quicquid illud tandem est quo crescunt, ut ne erremus, ac ne ex parte aliqua marem, ex alia mulierem præ te feras? Cui gestis placere, mulierculisne? Placeto his ut uir. At leuibus & glabris delectantur. In malam crucē. si cinædis delectarentur, num uelles propterea cinædus quoque fieri. In eo duntaxat occupatus eris, ad id tantum natus es ut lasciuis mulieribus placeas? Talis cum sis, in Corintho pro ciue te geres? & si ita res feret, præfectura urbis defungere, aut princeps eris iuuentutis, aut certaminum curator? Age uerò, num ducens uxorem uellicari etiam uis? sed cui, & quamobrem? Liberos quoque si susceperis, operam dabis ut uellicentur, quos deinde ad ducas ad rempublicam? Honestus ciuis, senator, Rhetor est. Tales ut nobis nascentur & educentur liberi, rogandus est Deus, non autem ut tibi nascentur adolescens. Sed his semel auditis rationibus, hinc discedens, tecum sic loquitur: Epictetus hæc mihi non dixit (qui enim potuisset?) Sed Deus quidam mihi beneuolus per illum. Non enim in mentem uenissent talia Epicteto ut diceret, quum alias non cōsueuerit alloqui quempiā. Ergo pareamus Deo, ut ne in uindictam incidamus diuinam. An faciendum non censes? Si coruus aliquid moneat crocītans, non coruus, sed Deus per ipsum aliquid significat. Quòd si uoce humana quid te monuerit, per hominem id efficere non poterit. Vt nimirum intelligas uim dæmonij, quòd quibusdam sic, quibusdā aliter significat & ostendit quidpiam. De maximis autem & præcipuis rebus nuncio etiam præstantissimo admonere solet. Ecquidnam aliud est quod dicitur apud Homerū? Quum hoc ei prædixissem, misso

*Mercurio, latē loca qui speculatur, et Argum
Ocellis, eadem prohibens, secundumq; cubila.*

Ergo

Ergo descendens e' coelo Mercurius de his admone-
re Aegisthum debuit. Quare tecum etiam Dii ista lo-
quantur per

Mercurium summi seruum Iouis Argicidam.

Nempe ne uelis molliter habere quæ alioqui bene
sint affecta, nec exquisitis mūditijs uti: sed sinere uirum
esse uirum, & mulierē esse mulierem, uenustum esse ue-
nustum, et deformē esse deformem, quandoquidem nec
sis caro, nec pili, sed uoluntas: hanc si habueris honestā,
pulcher certē eris. Vsq; dum ego mihi tēpero, certē quo
minus te appellem foedum & deformem. Videris enim
mihi quiduis potius audire posse quā illud, quare con-
sidera quid Socrates dixerit pulcherrimo atq; ætatis flo-
re uenustissimo Alcibiadi: Perquā cupio pulcher es-
se. Quid itaq; ei præcipit, nū ista: Finge cincinnos, uelli-
cato crura: Nequaquā, sed orna animum tuum, prauas
exime opiniones. Vt tractandum erit corpusculum: Ita
sine ut natum est: alius huic prospexit, cui ipsū cōmita-
te. Num sordidū me esse oportebit? Non, sed hac mun-
ditia tamen cultus uti quæ tibi congruat, & naturæ tuæ
sit accommodata. Sua enim uirum decet munditia, nec
non sua quoque muliebrem sexum, & puerum. Si non
uideatur, euellamus subam leoni, ne sit immundus: &
cristas demamus gallinaceo: oportet enim & hunc pu-
rum esse, sed ut gallinaceum, & hunc ut leonem, & ue-
natorem ut uenatorem.

*In quibus exerceri oporteat eum qui uelit proficere. Et quod
præstantissima quæq; negligamus.*

CAP. II.

TRes sunt loci quibus exerceri oportet eos qui ad fa-
stigium perfectæ uirtutis contendunt. Primus est
quē tribuimus appetitioni, & fugæ: ut siue appetat, nō
frustretur suo desiderio: siue fugere aliquid cupiat, non
incidat in aliquid. Secundus cōtinet conatum in aggre-
diendo,

diendo aliquid, uel in desistendo ab aliquo industriam, ac simpliciter officij rationem, ut ordine, ut non sine causa, ut non negligenter aliquid fiat. Tertius complectitur ut ne qua fraude implicet, aut ne quid faciat præter decorum. Præcipuus uerò is est qui uersatur in assensionibus, & qui maximè requiritur in affectibus moderandis. Affectus enim nō est causa facti alicuius nisi appetitus frustretur, aut declinatio seu fuga aliquo implicet. Is est qui perturbationes, tumultus, frustrationes & infortunia inuehit: qui ploratus, inuidias excitat: qui facit inuidos, & obrectatores: quibus impredientibus, rationem exaudire nō possumus. Secundus est in persequendo officio. non enim oportet me sine affectu omni esse ut est statua, sed respectus obseruare naturales, & aduentitios, ut pium scilicet decet, ut filium, ut fratrem, ut patrem, ut ciuem. Tertius est qui iam perfectis contingit, nempe cōstantia, & in his ipsis custodiendis expers periculi cautio. Ita ut ne per somnium quidem uisum aliquod non animaduersum nos suffugiat, nec quādo largius biberimus, aut quando atrabile uexamur. Illud, inquit, supra uires nostras est. Certè qui nunc sunt philosophi, primum itemq; secundum locum relinquentes, consistunt in tertio. Docentq; ut sint interrogandi syllogismi coarguentes propositum, concludentes hypotheticos, præterea mentientes. Oportet, inquit, uersantem aliquem in huiusmodi materijs cautum esse, ne insidiosa oratione aut captiosa decipiatur, siquidem uelit esse uir perfectus. Tibi ergo id unum deest, alijs satis te exercuisti. Si lucellum propositum sit, falli te non sinis: quando uideris elegantem puellam, resistis phantasiæ: quando uicinus tuus hæreditatem creuerit, non morderis. nihil amplius tibi deest, quàm ut ne uacilles in his quæ ratione comprehenderis. Miser, discis porrò hæc tremens & anxius, ne quis te contemnat, semper querens

Lucellus in
cognitione,
quidam po-
nunt nō in
moribus &
actione, &
hic repræ-
hendit.

querens mihi quis de te dicat aliquid. Quòd si ueniens aliquis ad te dixerit, Cum incidisset sermo quis esset optimus philosophorum, quidam dixit, Ille unus est philosophus, hac nimirum laude animula tua, quæ digito prius grandior non erat, duobus cubitis maior est facta. Quòd si alius quispiam huius iudicium reprehēdat, ac eum nihil dixisse contendat, dicatq; nō dignus cui præbeat quispiam aures, ecquid nam scit? Primorum rudimentorū gnarus, amplius nihil est quod intelligat. Mox mentis compos nō es, expalluisti subito, exclamas, Ego ei ostendam qui sim, & quàm magnus sim philosophus. Ex his ipsis quæ sic agis cernitur qualem te in alijs sis exhibiturus. An nescis Diogenem quendam Sophistam hoc modo deprehendisse, cum medium ei porrexisset digitū, postea furibundo eo, Hic est, inquit, ille, demonstravi hunc uobis, Homo digito non demonstratur ut lapis, aut lignum; sed tum quando animum ipsius quispiam demonstrarit, ac sententias, ipsum ut hominem ostendi consentaneū est. Consideremus porrò tuas quoque sententias: non enim est obscurum, te uoluntatem tuam & arbitrium in nullo, quod sit arbitrarium, ponere; sed extra aciem intendis, ad ea quæ uoluntatis arbitrio non possunt gubernari. Quid ergo nobis dicet ille, & quis tibi esse uideberis? Si philologus es, si Chrysippū legisti, aut Antipatrum, quòd si etiam Archedemū, habes nimirum omnia, quid insuper anxius es ac cunctaris, quo minus ostendas nobis qui sis? Vis dicā tibi qualem te nobis ostenderis? Hominem scilicet qui te contuleris ad nos humilem, morosum, iracūdum, timidum, omnia reprehendentem, omnes accusantem, nūquam quiescentem. Hæc nobis de te indicasti. Abi nunc, & lege Archedemum. Si mus deciderit, aut personuerit, formidine morieris. Talis obitus tibi eueniet, qualis extinxit haud ita pridem quendam Crinim, qui sibi etiam

Crinis à La
ertio nume
ratur etiam
inter Stoi-
cos autores
in uita Ze-
nonis.

Non satis
intelligo qd
hic sibi ue-
lit epilo-
gus.

multum uidebatur sapere, quòd legisset Archedemum.
Infœlix, omittere hæc nō uis ad te quæ nihil pertinent?
Legēda hæc sunt his qui sine perturbatione ista possunt
addiscere, qui dicere queant, Nō irascor, non cōtristor,
non inuideo, nō prohibeor, non cogor. Quid reliquum
mihi est? uacuum sum inutilibus negotijs, quietēq; ago.
Perspiciamus modò ut sit uersandū nobis in rationibus
quas in cōtrariū quispiam contorquere potest: consi-
deremus quo pacto hypothēsi constituta, ei qui eam de-
fendit, absurdi nihil necesse sit cōcedere. In huiusmodi
rebus & studijs isti sunt occupati. At qui uitam agūt mi-
nimè laboriosam, delicateq; uiuunt, his cōuenit focum
accendere, prandere si ita res postulet, etiam canere &
saltare. Quum autem nauis mergi incipit, accedēs tum
ad me effers spharos, quod significat speciem quandam
tibīæ, atq; etiam pharon: species hæc est amphoræ.

Quæ materia sit boni, & ad quid præsertim nos exerceri
conueniat. CAP. III.

MAteria honesti et boni uiri est principatus mentis
quem ipse in se obtinet, corpus uerò medicī est &
unctoris, ager materia est agricolæ. Cæterum opus per-
fecta uirtute præditi hominis est, uti uilis secundum na-
turam. Omnis porrò anima ut naturaliter propensa est
& uero assentiri, & à falso dissidere, & in obscuris atque
ambiguis se sustinere: ita quoq; ei insitū est ut ad bonū
appetitu quodam incitei, & à malo declinatione quadā
refugiat: & in his que nec bona sunt nec mala, neutram
in partē moueatur. Quemadmodum numulario nō li-
cet pro adulterina reijcere monetā Cæsaris, aut qui uē-
dit olera: simul enim ut effigiem ostenderis, uelis nolis,
pro re uenali numum accipias necesse est. Haud longē
secus res cōparata est ratione animæ. Bonum obiectum
statim commouit atq; illexit animum ad se, malum ue-
rò aspersionē sui excitauit, ac repudium. Neq; uerò
unquam

unquā euidens boni uisum respuit anima, nihil magis atq; Cæsaris monetam. Inde dependet omnis motus & hominis & Dei. Ob hanc causam præfertur bonū omni ei quod alioqui nobis coniunctissimum est. Nihil mihi & patri commune est, sed ratione boni communicamus. Heus tu quare es tam durus & inhumanus? Talem me uoluit esse natura, nomisma hoc mihi dedit Deus. Quocirca si ab honesto & iusto discrepat bonū, & patris & fratris & patrię ratio nulla amplius apparet, nec res ulla alia in medio relinquitur. At quod mihi bono esset, id mitto & tibi ipsum concedo. Quamobrem id facis? quia pater sum tuus. Sed nō es bonum meum. Frater tuus sum. Sed non bonum meum. Quod si istæ res in recta uolūtate & proposito collocatæ fuerint (quo nimirum respectus rectæ rationis obseruentur) bonum scilicet efficiuntur. Qua ratione sit de reliquo, ut etiam qui interdum bono aliquo externo cesserit, uero bono tamen potiatur. Adimit opes tibi pater, sed auferens nihil nocet, plus agri possidebit, atq; eum tantum quantum uolet, num propterea plus etiam possidet uerecundi animi, fidelis, aut fraterno amore incensit ex hac possessione quis te potest eiicere? Ne Iupiter quidem. sed id Iupiter nunquam facere uolet, idq; omnino meum fecit, & mihi id concessit quale ipse habebat bonum: quod prohiberi, quod cogi, quod impediri non possit. Quod si monetam aliam (quā hęc sit legitima) alicui ostenderit quispiam, proq; ea redimat aliquid à ueditore, tanquam fur scilicet uenit ad regendā prouinciā. Proconsul qua moneta utitur? argentea scilicet. Ostende, & accipe quod libuerit. At uenit mœchus, qua is moneta utitur? Puellis. Accipe, inquit, monetam hanc, & uende mihi inhonestam reculam. Da, & emptā habebis. Est qui ex oletos cupiat comparare, da nomisma, & quod uoles, à me accipito atq; impetrato. Est quidam

Moneta illa uera est quæ permutatur merces, uirtutis actiones, quarū proprietates paulo ante exposuit. Hac fre- ti in prouinciam, id est in uitam uenire debemus, quia principis est. Talibus monctis à flagitiosis præstibus faciliè omnia possunt redimi.

*Qui mone-
tu bona ani-
mi non per-
mutantur,
pro adulte-
rina est ha-
benda et fal-
sa, ut sunt
ille res qui-
bus redimū-
tur praua
stulitia.*
 Pro uera
moneta iu-
bet & dare
quod meum
fuit: si adul-
terina offe-
rat, retine-
o quod
meū est, nec
cogit lex ut
ea permūtē
aliquid. Et
nō est dare
Deo quod
Dei est.

uenationis cupidus. Et si quis dicat, Da equuleum pul-
chrum, aut catellum, flens atq; suspirans præ eorū cupi-
ditate, alia quæcunque uoles tibi diuendet. Intrinsecus
ergo quiddā est quo ad permutationē cogitur, nempe
is qui monetā hanc constituit. Ergo ut respiciat simula-
crum illud perpetuū, est exercendus. Ac quā primū
te manē lecto proripueris ante solis ortum quemcunq;
uideris, quemcunq; audieris, diligenter excute, respon-
de tanquam ad quæsitum quoddam. Vidisti quem pula-
chrum aut quam pulchrā? Affer regulam aut canonem
quo deprehenditur utrum in potestate sit nostri arbitrij
an uerò extrā. Si est extrā, & non uoluntarium, exime
ac projice. Quid uidisti: luctum quendam propter obi-
tum filij, Canonem applica. Mors est ex eorum numero
quæ in potestate nostra non sunt. Ad te nihil pertinet,
tolle ē medio. Obuiam uenit consul: Canonem adhibe.
Quid est consulatus? ut eius simus compotes in nostrā
ne est potestate, an nō? Nequaquam est. quare aufer &
repudia illum. Non est arbitrium. Reijce, nihil ad te. Li-
taq; studiose istud si ageremus, & in eo quotidie exerce-
remur ab ortu usq; ad uesperam, proficere aut consequi
aliquid (ita me Deus amet) possemus aliquid. Nunc ue-
ro statim à qualibet phantasia occupamur oscitantes, &
dūtaxat in schola aliquid auditur quo parumper excite-
mur. Egressi uerò quādo uidemus aliquem lugentem,
Perijt, dicimus. Si consulem, ō beatum illum. Si proseri-
ptum, ō miserum. Si pauperem, ō calamitosum, non ha-
bet quod comedat. Huiusmodi prauæ opinionēs euel-
lende sunt, in eo est nobis elaborandum. Quid flere est,
quid etulare opinio. Quid concordia, quid dissensio,
quid morositas, quid reprehensio, quid impietas, uana
loquacitas: hæc omnia sunt aliud nihil quā opinio, &
opiniones quidem de his rebus quæ in potestate nostra
non sunt, perinde tamen habentur atque si essent bona
aut ma-

aut mala nostra. Tantundem studiij conferat quispiam in illa quæ sunt nostri arbitrij, sponsorẽ me exhibebo, fore ut quæ ad ipsum pertineant, optimo statu confirmentur omnia. Vt peluis repleta aqua, sic anima quæque. Nam ut splendor incidens in aquam, sic phantasiæ quoq; sunt comparatæ. Itaq; cum aqua commouetur, uidetur etiã radius & splendor commoueri, quamuis non moueatur. Haud longẽ secus si cuius ratio ob tenebrescat, artes quidem & uirtutes non confunduntur, sed spiritus illi quibus insident, quibus quiescentibus & illæ conquiescunt.

Ad eum qui in theatro prapostere officiosus erat. Cap. II. III.

PRæsces Epiri quum indecentius cuidam comædo officium suum præstitisset & ob hanc causam publice conuicijs incessetur, quum esset denūciatum quòd uidelicet malè audiret, commoto eo aduersus obrectatores, Quid, inquit Epictetus, mali fecerunt: non minus illi studiose curarūt sua atq; tu tua. Eo dicẽte, Nunquis sua officia & studia ad hunc exequitur modum? Te intuentes, respondit, suum scilicet præsidem, & Cæsaris amicum atq; procuratorem, tam studiose ista agentem ac seriò, quidni ipsi etiam suum declararent studium? Nam si talem nauare operam non decet, & tibi erit abstinentum: sin uerò oporteat, quid grauati fers si te oderint? Nam quos ad imitandum magis proponāt sibi pleriq; quàm superiores uos? ad quos respiciunt quoq; quum in theatrũ uenerint. Vide, inquiunt, Cæsaris procurator quàm sit studiosus spectandi: exclamauit, & ego clamabo: exiuit, & ego exiliã. Serui eius sedent uociferantes, ego autem quũ seruos nō habeam, pro omnibus quantũ ualeo tollam clamorem pro me. Ergo te scire oportet quũ ingrederis in theatrũ, quòd nimirũ tãquam regula ingrediaris, & exemplum aliorũ: quo nimirum modo spectaculo adesse debeant. Quæ igitur est causa quòd

In spectaculis interdũ studiis & fauore histriorum nam dissensisse spectatores Tacitus his docet uerbis lib. 13. Aug. hist. Ludi-eram quoq; licentiã & fautores histriorum uelut in prelia cõuertit impunitate & premijs. Loquitur autem de Nerone.

quòd tibi maledixerūt; quia scilicet omni homini odio-
sum esse cōsuevit id quo impeditur. Hī coronari uolue-
runt illum, tu aliū; hī te, tu uerò illos impediuiſti. At tu
uiciſti uiribus & potentia; illi quod potuerunt contrā fe-
cerunt, conuiciū nempe fecerunt tibi tanquam impedi-
mento. Quid quæris? num quod tibi placet facere uiſ,
iſti uerò nō dicēt quod iſtis arriferit? Nec mirari debes.
Agricolæ nōne maledicunt Ioui; ſiquidem eos impe-
diat. Idem non faciunt nautæ; quando deſinunt Cæſa-
rem maledictis inceſſere? Quid ergo? Iupiter neſcit?
Cæſari non indicantur conuicia? Quid quaſo iſ facit?
Intelligit, ſi uelit omnes contumelioſos plectere, nemi-
nem ſe habiturum cui imperet. Qui ergo oportuit ue-
nientem in theatrū hoc dicere? num iſtud, Da operam
ut modeſtus ille coronetur; an potius illud, Dabo o-
peram ut meum obſeruem arbitrium in hoc admini-
ſtrando negocio: idēq; ſecundum naturam conuenien-
ter rebus accommodem. Mihi enim quā ipſe mihi a-
micior nullus eſt. Itaque ridiculum, dare operam ut a-
lius comœdiam exhibens uincat, me uerò detrimento
affici. Quis ergo eſt penes quem uictoriā eſſe uelle
debeo? penes eum ſcilicet qui uincit, & ſic quemcunq;
uoluerō, uincā. At moderatū illum ac modeſtum coro-
nari uolo. Domi quotquot uoles agonas celebrato, illic
potes eum proclamare quòd Nemea, Pythia, Iſthmia,
Olympia uicerit: in publico ne contendas, nec quod in
medio tibi ſurripe. Sin faciendum ſecus uideatur, pa-
tienter ſuſtine conuicia. Quando enim facis ea quæ
multi ſolent, illis nimirum æqualem etiam in ſtudijs hiſ
te conſtitues ipſum.

Ad eos qui propter morbum fingunt aliquid.

C A P V T V.

A Egrotus, inquit, ſum hīc, quare domum me ruruſ
conferam. Eras itaq; domi tuæ ſanue? Non conſi-
deras

deras utrum agas aliquid his quæ ad excolendum animum & arbitrium tuum faciant, ut ipsum sit rectum & perfectum: Siquidem nihil proficis, nulla causa erat cur uenires. Discede igitur, & curâ gere eorum quæ domi sunt tuæ. Nam si principatus animæ tuæ secundū naturam cultū accipere nequit, agellus poterit. Lucellum augetis, patrem senem officiose tractabis, in foro uersaberis: & quum sis malus, gubernabis etiā malè. Quid deinde facies? Quod si animaduertis te prauas opiniones deponere, & pro his alias accipere, tuum statum te permutasse ex non arbitrarijs ad arbitraria cognoscito. Et si quando dixeris, Heu mihi, nō propter patrem aut fratrem, sed propter me istud efferes, quia uidelicet obrepere tibi morbum hic suspicaris. An nescis deprehendi nos oportere à morbo & à morte: sed quidnā operis molientes? his agricola dum colit agros inuaditur, his occupatur nauta quādo nauigat, tu quidnā moliens ijs deprehendi uis, si quod est præstantius studiū illo, ei te addicito, ut ei te uacantē opprimant. At mihi contingat ab utrisq; corripī nihil aliud meditantī quā ut excolam uoluntatem meam, ut ea sit expers affectuum, nihil sit quod impediat, nihil quod cogat, ut sit soluta & libera: hæc meditantem ambo hæc inueniant, ut loquī cum Deo sic possim, Num tua præcepta prætergressus sum? num appetitionibus quas à te habeo ad alia obtinenda sum usus? num sensibus aliter? num anticipatis notionibus? aliquandōne accusauit te? aut reprehendit tuam dispensationem? ægrotaui quando ita tibi fuit uisum, sed & alij, at ego patienter. Inops factus sum, quum ita uelles tu, sed gaudebam: non præfui gubernando, aut gessi magistratum quia nolui, ideo ne expetiui quidem, nec uidisti hanc ob causam metristiorem. An occurrit tibi aliquando parum lato uultu? semper paratus si quid mihi mandes, si quid significes. Nūc ex con-

D uentur

uentu illo si uis me decedere, decedam. Gratias uero ago tibi quod me tuum conuentum celebrare permiseris; atque inspicere opera tua: ac uoluntati tuae in omnibus obedientem effeceris. O utinam haec cogitantem, haec scribentem, haec legentem mors opprimat. Sed mater mea laboranti caput non sustentabit: recipe igitur te domum ad matrem, dignus enim es ut ita aegrotas, ut caput ipse sustinere non possis. At in bene instructo lectulo domi decumbebam olim. Reuertere ad tuum lectulum, in quo dignus es ut dormias non minus dum es aegrotus. cura igitur ut ista ne perdas, quae domum remeans facere & consequi potes. Socrates uero quid dicit? Ut quispiam cultu agri sui quo ipsum efficit fertiliorum rem, gaudet, alius si equum curet: ita ego quotidie letitiam capio, si sentiam me factum esse meliorem. At in quibus melior? Num tractandis oratiunculis? Bona uerba quaeso. Num explicandis quaestiuiculis? quid facis? non enim uideo in quonam alio elaborent philosophi. Nihil tibi uidetur esse, aut pro nihilo habes nunquam criminari quenquam, non Deum, non hominem, nemini irasci, eundem semper uultum inferre in domum & efferre. Haec erant quae sciebat Socrates, & tamen gloriabatur nunquam quod sciret aut doceret aliquid. Si quis oratiunculas requirebat, aut disputatiunculas ad Protagoram ablegabat, ad Hippiam. Etenim si quis olera quaerens uenisset, nimirum ad hortulanum ablegasset ipsum. Quis ergo uestrum hoc delectatur studio? Quod si esset in uobis etiam hoc studium, morbum ferretis & quis animis, etiam famem, etiam mortem non inuiti subiretis. Si quis uestrum deperijt aliquando elegantem ac formosam puellam, intelligit me uera loqui scilicet,

Miscellanea quaedam.

CAP. VI.

Quodam interrogante, qui aliquando plus opere in scribendo orationem, impenderat, num praeterea

*Ut uidere
est in Plato
necis Dia-
logis.*

terea quo possit proficere, restaret aliquid: In quo genere inquit, id studiū quo fuisti occupatus consumptū fuit, & ratione cuius operis maiores profectus tum fuisse dicis: Pro eo enim ut nūc elaboratū abs te est, ita secundū id ipsum profectus quoq; æstimandus. Quod si ad retinendos iudicandosq; syllogismos studiū cōferamus, in eodē profectus quoq; & incrementa inerunt. Quando autē in id opera impenditur, ut principatus rationis secundū naturā habeat, in eo scilicet & studiū uersabitur, & erit profectus in eodem. Ne igitur profectū & studia separes, aut ne quæras utrū profeceris, si aliud sit in quo te exercueris, in aliud quēadmodum teipso melior fieres animū aduerteris. Sed hoc considera potius, an aliquis nostrū ei studio deditus, quo naturę cōuenienter & agat & traducat uitā, talis sit ut proficere amplius nō possit. Enimvero nullū reperiēs qui non semper sit melior seipso, aut qui non proficiat. Vir enim bonus insuperabilis est: aut enim nō pugnat ubi nō potest superior esse: quod si nō, ergo illic dimicat, studiū adhibet ubi ualētior est. Si rusticana tibi sunt cordi, cape seruos, cape se imperiū, corpusculū adhibe. At appetitū efficiēs nunquam ut frustretur, nec declinationē impeditā. Se uerò nulli certamini offert aliq; q; quo gerūtur res sub arbitriū nostrum cadentes. Qui ergo nō potest nō insuperabilis esse: Sciscitante quodā quid esset cōmunis intellectus: Ut inquit, cōmunis auditus is potest dici, quo duntaxat noscimus uoces: sed quo animaduertuntur uocales, cōmunis nō est, uerū artificiosus: ita sunt quædā quæ quīuis, nisi omnino sit obtusus, cōmunibus notitijs fretus intelligat & mēte cernat. Talis habitus cōmunis intellectus appellari cōsueuit. Effeminatos adolefcētes hortari facile nō est, neq; enim facile est caseū hamo aculeato arripere, Sed bonæ indolis homīnes quāuis dehorteris, multo auidiores ea feceris ad discendū. Quāobrem Ru-

In alijs studiis sapienter sumus inferiores, quia talium operum instrumenta sunt extra nos. Sola autē uirtus insuperabilis est propter cōtinuam causam.

D 2 sus ple-

sus plerūq; dehortabatur, hoc quasi experimento utens strenuorū & ignauorū. Ita enim dicebat: Tanquā lapis etiā si projiciatur sursum, in suū nihilominus locū deorsum feretur: ita quoq; bene natus, quo magis ipsum quis repulerit eo magis ad id incitat aīo q̄ ipsum fert indoles.

*Ad quendam ordinatorem liberarum ciuitatum, quum tamen
esset Epicureus. CAP. VII.*

Quidā, cui ut ordinaret liberarum ciuitates mandatū erat, ingressus scholā, cū esset Epicureus, sic disserere cōpīt: Consentaneū, inquit, est, ut rudes nos sci scitemur ex uobis philosophis, ut hi qui in peregrinam ueniūt urbē percōtantur ciues atq; gnaros, quid in mundo sit prāstantissimū. Quo nimirū cognito & ipsi queamus legitimis defungi officijs quēadmodū ceteri faciūt ciues. Quare cōsideremus ista. Quod tria sint, quib; hominis bonū estimatur, nemo nescit, nempe anima, corpus externa. Ceterū uestrū est respondere qd in his sit potissimū. Quid ergo respondebimus uulgo hominibus? Carnemne? Causa huius nauigauit Calsiopē usq; tempore hyberno Maximus unā cum filio, prēmittens eum ut apparatē & lautē acciperetur. Quod cum negaret Epictetus, diceretq; ita sentiendū nō esse: respondit, negligendūne censeret quod esset prāstantissimū? Imō maxime cōsecitemur istud. At quid, inquit, in nobis est melius aut potius carne? Anima, respōdit prēstat. Bona porro prāstantioris potiorāne uidentur ijs quę de terriori naturā ascribuntur: prāstantioris. Animā bona utrum sunt arbitraria, an uerō sub potestātē uoluntatis non cadunt: facultate arbitrij continentur. Ergo uoluptas propria animā arbitrarium quiddam est? Ita uerō. Sed hæc quibus prouenit rebus, an his quę in ipsis sunt potestate? At uidetur absurdum, quum antecedentem causam aliquam esse oporteat, qua substantia boni excitetur; quę si nos afficiat, suauē & uoluptarium motum

motum percipiamus anima, Confessus etiam illud fuit. Quæ igitur nobis causa erit uoluptatis eius, quam percipit anima nostra? Si propter bona quorum facta ipsa est compos, inuenta nimirum nobis erit natura boni. Et enim aliud esse nequit bonum, & aliud quo nos gloriaris sit consentaneum. Nec potest fieri ut si antecedens causa non sit bona, ut quod ex ea efflorescit bonum esse possit, ut enim quod inde provenit ratio non aspernetur, causam (quæ antegressa est, intelligendoque percipitur) bonum quoddam esse oportebit. At istud uos sapientes & cordati nobis haud concesseritis, quum sint & Epicuri decretis, ac alijs uestris etiam quibusdam sententijs pugnantia & aduersa. Concludendum igitur, animam uoluptate propter carnis societatem affici, quare illa quoque quibus excitantur uoluptates tales, causæ nimirum erunt & bona præcipua, quæ per se, ac secundum substantiam bona esse dicamus. Quocirca insipienter fecit Maximus si nauigauit ob aliud quam propter carnem, id est propter id quod habebat potissimum. Stulte facit, si manus abstinet à rebus alienis, quum sit iudex, & alijs eripere possit. At si uidebitur istud tantum cogitemus, ut queamus clam, ut tuto, ut ne quis sit conscius. Nam furari malum esse ne ipse quidem censet Epicurus, sed deprehendi, ac ideo præcipit non furandum, quia fieri non possit ut fidem aliquis accipiat se perpetuo posse latere. At ego tibi affirmo, si furto abstuleris quid scire, & caute, manifestò te non deprehensum iri. Proinde amicos Romæ etiam habemus potentes, & Græci non admodum sunt impigri, nullus ad accusandum ascendere audebit. Quid abstines quæso à tuo proprio bono, quam stultum est quod facis, & quam ridiculum? Sed ne si dixeris quidem te abstinere, credam. Nam ut nequit fieri ut assentiatur aliquis falso euidenter conspicuo, aut ut à uero dissentiat; ita minimè consentaneum est, ut aliquis

*Horat. De
prehendi mi
serum est, Fa
bio uel iu
dice uincam.*

abhorreat ab eo quod sibi uideatur bonū. Opes sunt bonum & præcipuū uoluptatum corporis instrumentum. Quare eas tibi nō comparares, aut uicini uxorem quid impedit, quo minus cōstupremus, siquidē clām id fieri possit. Quod si futiliter iurgari conetur maritus, iugulemus sanē ipsum. Si uis philosophus esse qualem esse oportet, si perfectus, si decretis tuis cōsentaneē uiuere, facies ista. Sin minus, nihil discrepabis à nobis quos nominant Stoicos. Nam ipsi quoq; nos alia dicimus, & alia facimus: nos loquimur honesta, & agimus turpia. Tu peruersus ē regione & contrā eris: turpia decreta propones, honestē autē facies. In te est persuasio impia de dijs. Constituis ciuitatem Epicureā, non ego ducā, neq; ego uxorem, quia nō est ducenda; nō procreandi liberi, non administranda respub. Quid tandem fiet? Vnde erunt ciues? quis eos instituet bonis moribus? quis præerit iuentuti? quis gymnasijs? quis ita erudiet ut Lacedæmonij suos erudierunt, aut Athenienses suos? Accipe adolescentem quempiam, & cum tuis opinionibus imbue. flagitiosa sunt decreta, ac pestifera ciuitatibus: perniciofa rei domesticæ, à pudicitia fœminarum abhorrentia. Mitte ista bone uir, uitam ducis in principali urbe, præesse te oportet, iudicare iustē, abstinere ab alienis: tibi oportet ut uideatur nulla formosa præter tuā, nullum argentum, nullum aureum uas nimis placeat. His cōsentaneas sententiās collige: quibus excitatus, libenter te abstineas his rebus, tam flexibilis præsertim, cum sis ut aliquis te regat, & uincat. quod si ad illam facilitatem qua ad credendum promptē quidam adducuntur, quādam philosophiam talem adhibeamus impellentē atq; urgentem ad ea, & robur quoddam conciliantem, quid futurum existimas? Quando fluxu laborat corpus, quid efficacissimum ē argentum? ne an uerò ars? Manus quidem substantia caro est, sed præcipua sunt manus opera.

Itaque

Itaq; quorum ratio aliqua habetur tria sunt. Nam quibusdam id agitur ut aliquid sint, nonnullis curatur ut aliquo modo sint affecta, tertio loco sunt penes quæ principatus est uitæ agenda. Non est ergo ut honoribus afficiendam hominis materiam, nempe carunculas, existimemus: sed hæc opera hominis, quæ præponenda sunt omnibus. Quæ sunt illæ gerere rempublicam, contrahere matrimonium, procreare liberos, colere Deum, curam suscipere parentum, cupidum esse eius quod simpliciter bonum est: declinare, prosequi, refugere, facere pro eo ut decet, quamq; rem, & ut ad faciendum nati sumus. Sed quales natura nos esse uoluit: liberos, atq; excellenti animi, uerecundos. Ecquodnam aliud animal erubescit: cuius turpitudinis uisa representantur? His subijce tanquam seruam, uoluptatem, ut famulam obnoxiam facito, ut quæ promptitudinem excitet, ut perseueret aliquis in his secundum naturam institutis operibus. At ego diues sum, nec aliqua re mihi est opus. Quid igitur simulas te philosophari? satis tibi faciunt aurea & argentea tua uasa, quid opus tibi est philosophorum decretis, cum tu ipse sis iudex Græcorum? Scis utique iudicare, quis te cognitorem causarum fecit? Cæsar mihi condicillum misit. Idem si uideatur scribat, etiam ad te ut de Muscis statuas. Quid tibi illud prodest? Fortasse potestatem iudicis adeptus es quum deosculareris cuiusdam manum, ut Symphori, aut Numenij, aut alterius cuiusdam cuius fortè ante cubiculum excubasti, aut certè alicui te commendasti muneribus. Deinde uerò non sentis te fieri tantidem debere ita electum iudicem, quanti facendus est Numenius? Possum uerò ego quemcunque libuerit, conijcere in carcerem ceu lapidem, possum uerbis afficere tanquam asinum. Professio tale imperium non est quo gubernandi sunt homines. Rege nos ut compotes rationis, ostende quæ nobis conducant ac prosint,

1. Homo.
2. Affectus
hominis.
3. Ratio ho-
minis.

Voluptas se-
quitur ener-
gian: & ut
per se nō est
aliquid, ita
nec bonum
per se. Sed
de his plura
Aristot. in
Ethicis, &
Plato in Phi-
lebo.

proſint, & parebimus: de damnoliſis admone, & cauebi-
mus. Fac ut te imitemur, quēadmodum Socrates ſuos
effecit. Is nimirū erat qui præſſet ſiſis tanquam homi-
nibus, qui ſubiectiſis ſibi appetitum, itemq; declinationē
conatum item & ſugā inſinuabat. Hoc fac, iſtud omit-
te: ſi non feceris, in carcerē te dabo. Imperiū illud non
eſt conueniens ratione prædiſis, ſed adhibendum illud
quod Iupiter conſtituit. Hoc fac: ſi non feceris, poenam
ſenties, detrimento afficeris: ſed quoniam? Alio nullo
quā eo quod non facis, ſcilicet quæ tibi ſunt facienda.
Amittes enim hominem fidelem, uerecundum, mode-
ſtum, ne quare de maioribus detrimentis.

Quomodo pugnandum contra phantaſiam.

CAP. VIII.

VT ad quaſtiones & ſophiſmata nos exercemus, ita
quotidie contra phantaſiam exerceri nos conue-
nit. Nam & ab illis proponuntur nobis quaſtiones: ut,
Iſtiſis obijſſe filiſis? reſponde, Non eſt in ipſius poteſtate.
Non eſt malū. Pater illum exhæredatum reliquit in ta-
bulis, quid tibi uidetur? Non arbitrij ipſius fuit, quare
malum non eſt. Aegritudinem ex his cōtraxit, malum
illud eſt quia uoluntarium. Fortiter ſuſtinuit caſum, bo-
num eſt arbitrarium. Si nos ipſos ita aſſueſciamus, pro-
ficiemus ſcilicet: nunquā enim alijs aſſentiemur. Appre-
hendit igitur aliquid phātaſia, ut obijſſe filiſis, quid fa-
ctum inde: nec aliud præterea reſtat, quā quod obijſſe
dicitur: nihil aliud. Nauis periit, in uincula ductus eſt.
quid poſtea? in carcerē abductus eſt, at malè actum cum
illo eſſe, tacita cogitatione quiſq; ſibi ſubijcit. Sed nō ne
Iupiter iſta facit rectè & cōſentaneè rebus? quo pacto?
Quia te fecit ut poſſis eſſe patiens, excelſum animū con-
tribuit, ab his omnibus detraxit rationem hanc ut mala
dici non poſſint: præterea ut tibi qui hæc ſuſtines liceat
tamē eſſe beato, patefecit ianuā, quare ſi uidebitur, egre-
dere: &

dere, & morosus ne sis. Romani erga philosophos ut afficiant, si uis, audi. Quidam Italicus, qui praesertim philosophiae studiosus uidebatur, me praesente cum ualde excanduisset in suos, ac non ferenda sibi accidere quae quere-re, Non ferre amplius ista possum, dixit, perditis me. At rogo, date operam ut siam talis qualis ille est: me indicans.

Ad Rhetorem quendam, qui Romam, uti causam ageret apud iudices, proficiscebatur.

Cap. I X.

Ingresso quodam ad ipsum qui Romam se conferebat, controuersiam habens de suo magistratu, quum audisset causam quare reuerteretur eo, ac insuper interrogaret quid ei uideretur de negotio. Si, inquit, ex me rogas, quid faciendum tibi Romae sit, & utrum sis superior an inferior futurus in iudicio, cogitati nihil habeo quod tibi respondeam. Sin uero interrogas quomodo sis acturus, dicam sane tibi: si rectum tuum sit decretum, bene processurum quod decreueris: sin autem sit inhonestum, male. Suum enim cuique decretum est in causa ut agat quidpiam. Quid ergo est quod expetis? Ut declareris praeses Gnosiorum. Nonne decretum tuum & propositum in causa est ut redeas Romam? Ita. Magnis fluctibus factatus, & periculis, & item impendijs ac sumptibus? Ita mihi est necesse. Quid tibi suadet tuum decretum? Nonne si omnium est causa, constitutum scilicet sibi habere quidpiam: praua autem quispiam habuerit decreta, nonne ut causa fuerit, ita quoque effectus consequetur? Habetis porro tu itemque tuus aduersarius, non uitiosa decreta? Nam si ambo decreuistis recte, quamobrem dissidetis? An tuum rectius quam illius? quid ita? quia uidetur tibi etiam illi uidetur, quin & furiosis uidetur aliquid. prauum illud est examen ueri. Ostende, rationem aliquam ne iniisti, & sedulo exquisisti tua decreta? Quemadmodum scilicet Romam nauiges, quo nimirum praeses Gnosius, nec contentus es manenti tibi domi honores haberi quos

E habuisti,

habuisti, sed maiores & eminentiores titulos desideras. Quando sic nauigationē suscepisti, ut inquirerēs studiose in tua decreta, & in his si quid falsum deprehenderis, id ut ex animo eijcias? Quem conuenisti hac de causa, quod tempus huic rei destinasti? Repete memoria (si coram eloqui pudor est) tecū ipse cogitans: Quando puelus eras, num perpendebas tua decreta: nōne ut facis adhuc omnia, ita tum quoque faciebas illa quæ faciebas? Quum uerò adolescens iam factus, rhetoribus te dedisti, ipseque te differendo exercuisti, quidnā tibi deesse animo definiisti? Iuuenis porrò cum esses, & accessisses rem publicā, causasque diceres, ac ijs rebus celebris esses, num quem putasti tibi equalem esse? Potuisses perpeti, si quis in opiniones tuas inquirens, eas ostendisset esse prauas. Quid ergo uis tibi dicam? Adiuua me in hoc negotio. Non habeo aliquid meditatū. Nec tu uerò de his rebus ad me percontatum tanquā ad philosophum uenisti, sed quasi ad uenditorem olerum, tanquam ad sutorem. At quibus in rebus meditata habent sua philosophi? Ad id nimirum, ut quicquid euenerit, princeps ratio secundā naturam se habeat, & peragat omnia. An paruum hoc tibi uidetur esse? Nō, sed longē maximum. Postea quid, num parui temporis res uidetur esse, ac statim exhiberi accipiēque potest? si potes, accipe. Deinde dices: Incidi in Epicetum tanquā in lapidem, quasi in statuam. Vidisti certē me, & nihil aliud. Homo autem ut hominem tum conuenit, quum eius quem accedit, sentētiās cognoscit, et uicissim ipse suas declarat. Accipe igitur mea quæ ego sentio: ostende tu etiam quid sentias, & tum dicito quod mecum contuleris. Emendemus nos mutuò. Si quæ est in me opinio praua, detrahe eam mihi, si quā tu habes: noli celare, pone in medium. illud nimirum est conuenire philosophum: alioqui duraxat id est tanquā aliud agentem ē uia parumper deflectere. Possumus interea,
dum

dum conducitur nauis, uisere Epicetū, uideamus quid sit dicturus. Dein egressus, Nihil est Epicetetus, inconcinne & barbarè est locutus. Num ut ullius alterius relictis iudices, estis ingressi? Et rursus, Si me his deuinxero rationibus, agrum nō habebo, quemadmodū tu non habes: pocula argentea nō possidebo, ut tu: nec pecora optima, sicuti tu. His omnibus respondere mihi satis erit, me his scilicet non indigere: tu uerò quo plura possides, eo tibi pluribus est opus alijs. Velis nolis, pauperior me es. Qua tandem re mihi opus est? ea scilicet quam tu nō habes, constantia, congruente ratione naturæ rerum, tranquillitate animi. Patritius non sum. Quid ad me tu istud curas scilicet. Sum uerò te ditior. Non anxius sum quid de me statuatur Cæsar. Nemini adulator ob hanc causam. Hæc mihi sunt pro argenteis aureisque poculis. Tu habes aurea uasa, purpureum sermonem, opiniones, approbationes, studia, appetitus. Quod si hæc omnia in me secundum naturam sese habeant, quare non amans essem artificij quo ratio excolitur, præsertim cum sim uacuis, nec distraherentur cogitationes meæ. Quid ergo agam, non distractus alijs curis? nū eo quod facio ego, magis quidam perficit hominem? Vos, quando nihil uobis est negotij, perturbamini, spectatum uenitis in theatrum, aut disputatis quare philosophus non eleganter loquatur. Tu crystallina, ego pseudomeni: tu murrhina, ego redarguentem syllogismum considero. Tibi uidentur omnia parua quæ habes, mihi omnia mea uidentur esse magna. Tu inexplebilis cupiditate, mea est expleta. Angusti oris uasculis immittunt manum, et extrahunt ficus mixtas nucibus. Accidit autem si manum impleant, ut eximere eam non possint, quare flent. Tu uerò mitte istam cupiditatem, ut ne multa desideres, & poteris.

E 2 Quo-

Quomodo oporteat ferre morbos.

Cap. X.

Cuiusque sententiæ quando usus postularit, expedita debet esse ratio. In præstantissimo, quæ dici solent de præstantissimo: in balneo, quæ ad balneum pertinent: in lecto, quæ ad lectum. Nec suauem teneris oculis admittere somnum priusquàm quod interdium gesseris, rationes tecum computes: Quid mihi delictum, aut commissum, quidue peractum? Inde incipiens, cætera persequere. Postea si flagitium perpetrasti, obiurga teipsum acriter: sin functus es officio tuo, delectare. Et illos quidem uersus ad usum adhibere meminerimus: ut cætus autem uoce duntaxat haud personemus: ut fieri solet, quum canendo celebratur illud: Pæan Apollo. Quin etiam laborans febri, meditata habeto quæ ad febrem pertinent: ne si febri correpti fuerimus, amittamus et obliuiscamur omnia. Quādo ego deditus sum philosophiæ, quicquid fortuna uolet, mihi accidat. Præterea si quando casus ita tulerit, ut discedendum sit ex corpore, etiam absque febre, præmeditata hæc habere: Etenim philosophia quid est? nōne præparari ad fortuita, eaque quæ euenire nobis possunt? An nō animaduertis abs te tale quiddam pronunciari? Si me præparem, ut quæ mihi accidunt, æquo feram animo: faciat mihi quodecunque libuerit. Si quis faciat secus, perinde facit ac si quis uerberibus affectus, desistat à luctando. At hoc quidem loco permittit mihi discedere, ac non contundi plagis. In uita autem, si desistamus à philosophando, quid utilitatis inde capiemus? Quid ergo est quod in rebus asperis quemque oportet secum loqui? Ut istud præstare possem, ideo me exercui his studiis, ad id me parauit. Deus præcipit, tibi que sic loquitur: Demonstra mihi te legitime decertasse: an deuoraris quantum oportuerit, an exercueris, an obedieris unctori. Proinde aggrediendo opus ipsum, languescis. Nunc tempus est ut febricitans, id cura ut honeste facias, sitendum, sitim honeste

honestè tolera: esuriendum, esuri rectè. Num id non est in potestate tua? quis te prohibebit? Medicus quidem ne bibas prohibebit: sed ut abstineas honestè, nō efficiet. ita ut ne comedas uetabit: sed ut id rectè facias & officiosè, non poterit efficere. At nō deditus sum studijs, quam uerò ob causam tantum operè in his studijs tu collocas? Inertissime, nōne ut secundissima fruaris uita, ut optimo sis statu, ut congruenter naturæ uiuas? Quid uetat quominus febricitans naturaliter affectum habeat principatum animæ suæ: in eo est examen rei, æstimatio philosophantis, pars etiam hæc est uitæ, ut ambulatio, ut nauigatio, ut peregrinatio, ita quoq; & febris. Num lectioni incumbis tum quādo obambulas, quando febricitas? Nō. Sed tum obrines quæ pertinent ad ambulātem, si honestè ambules: si honestè febrim toleres, facis ea quæ sunt febricitantis. Sed quid est honestè febricitare? Nō offendere Deum, non hominē, non succumbere his: quando fiunt bene & honestè, expectare mortem, facere faciēda, quando ingreditur medicus, nō expauescere si quid dicat, aut si bene promittat de ualitudine non multū efferrī latitiā. Quid boni quæso, tibi dixit? etiamsi conualueris, quid inde boni habebis? Neq; porro etiā despondebis animū, si periculosè te laborare dixerit. Nam quid est habere malè? Appropinquare dissolutioni qua anima separatur à corpore. Sed quid res ista habet periculi? si nunc nō appropinques, paulo postea accedendum erit. Ante mortuo scilicet mūdus euerteret: quid adularis me dico? qd ei dicis? Domine, si uoles, habebo melius. Quare occasionē ei præbes ut efferat supercilium, quare precium ei suum honorēq; non impendisti, ut sutori soles pro calceis, ut fabro pro domo extincta, ita quoq; medico pro curatione corpusculi, quod meū non est, & quod suapte natura est cadauerosum? Taliū itaq; occasio operū febricitanti offeri: ea si præstet quis, atq; impleat, sua nimirum

obtinēbit. Etenim non est philosophi, obseruare ea quæ sunt extra se, uillum scilicet, oleolum, corpusculum, sed suum illud in quo est principatus uitæ hominis. Externa uerò ut respicit: quoad in his scilicet administrandis sine ratione non uersat. Quæ igitur esse præterea potest occasio metuendi, aut irascendi, aut de rebus alienis, de prærebus nullius precij timendi? Duo hæc in promptu habeamus oportet. Quod nimirum extra arbitriū nihil sit neque bonum neque malum. Et quod non præcurrere, sed ratione subsequi debeamus negotia. Non debuisset frater sic in me incitari. Certè non debuisset, sed ipse uiderit, ego utcumque se erga me gesserit, ut honestum est, me tamē in his quæ ad ipsum pertinent, geram. nam illud meum est, hoc uerò alienum: quod prohibere nemo potest, illud potest præcaueri.

Perfecti officij est, non ulesci, aut uindicare iniuriam.

Miscellanea quedam.

Cap. XI.

In Odyssæa. **S**upplicia tanquā ex lege constituta diuinæ dispensationi non obedientibus irrogantur. Quicumque aliud quiddam arbitratur esse bonū præter illa quæ in potestate arbitrij nostri sunt, is inuideto, concupiscito, adulator, perturbator. Qui porro aliud esse malum existimat, doleat, lugeat, fleat, affligatur ærumnis. Et quamuis acerbè admodū mulctemur, desistere tamen nō possumus. Memento quid poeta dicat de hospite: Nō ego te spernam, nec si inferior uenit hospes. Idem erga patrem quoque in promptu habere addecet. Nō fas est pater ut te contemptim habeam: nolim enim istud cōmittere, ne aduersus quidem multo te inferiorem. Namque omnes patrio descendunt à Ioue patres. Et respiciens ad fratrem dices: A Ioue fraterno uenit cognatio fratrum. Ita in reliquis etiam respectibus & cognitionibus reperiemus inspectiorem esse Iouem.

De exercitatione.

Cap. XII.

Exercitatio capienda nō in his quæ à natura aut opinatione cōmuni abhorrent, alioqui enim à præstigiatoribus

toribus nihil differemus, qui se quoque philosophari dicunt. Res est difficilis, ambulare super funem: ac non modo difficilis, sed etiam periculosa. Id respicientes, nempe ipsi quoque nos exercebimus, ut possimus scilicet esse funambuli, palmam queamus constituere, complecti statum. Nequaquam. Non enim quicquid arduum & periculosum est, idoneum quoque existit quo exercearis: uerum id duntaxat quod conducit ei qui in eo instituit elaborare. At quid illud est quod utile sit ei in quo instituit se quis exercere? Versari scilicet in rebus appetendo & declinando, ita ut nihil impedimenti obijciatur. Sed id ipsum porro quid est? Nec appetentem scilicet frustrari, nec fugientem in aliquid temere incidere. Eodem accommodari debet omnis exercitatio, & cura omnis conferenda. quandoquidem absque continua & diligentissima meditatione consequi non ualemus, ut frustra ne quid expetamus, aut declinando ne quo malo implicemur. Quamobrem pro certo habeas, si animo permiseris tuo non exercitatio ut rebus occupes externis, ac in potestate arbitrij nostri non possitis, futurum ut & appetitio tua frustretur, & declinatio incautius offendant. Et consuetudo confirmatior si praecesserit (utpote consuetis nobis appetitu & fuga in his duntaxat uti rebus) ei nimirum alia erit opponenda consuetudo: & qua parte praesertim labascimus lubricis uisis permoti, ea contranitendum exercitatione. Sum in uoluptates procliuior supra id quam mediocritas possulat: ab ea igitur diuulsus ad contrarium me causa exercitationis conferam. Abhorreo a laboribus. Adhibebo frictiones & exercitia, ut ad id confirmem phantasiam, quo ualeam abducere declinationem a quouis tali proposito. Quinam est exercitator? Qui meditatur appetitu quidem uti, declinationem uero ad sola arbitria adhibet, & qui se exercet in difficilioribus. Quamobrem alij in alijs plus est insudandum. Quid ergo est quod nonnul-

los tan-

*Idemque supra
haec sunt o-
pera.*

*De quodam
audui, qui
Augustus fue-
rit, cum illic
comitia ha-
berentur an-
no 50. tanta
firmitate et
robore ma-
dibula inse-
rioris, ut
trabem uix
a quatuor
uiris prioribus
deitibus
imposita et
erecta, huc
atque illuc ob-
ambulans cir-
cumscriberet, ac
paulo post
proijceret.*

los tantopere instigat, palmam, aut tabernaculum pellis
 cum constituere; item mortarium cum pistillo circum
 ferre. Si fueris irritabilis, exerce te ut conuicia ferre pos
 sis, ut non doleas, si contumelijs afficiare, deinde eò pro
 ficias usq; ut etiam uerberibus ab aliquo affectus, possis
 ipse ad teipsum dicere: Perinde illud est atq; cõplecti sta
 tuam. Quin etiam assuescias moderatè uti uillo, nò autem
 ut largiter bibas: peruersè enim in hoc quoque genere
 quidam se exercent. Assuesce itaq; ut possis abstinere à
 puella, item à placentula. Deinde quod pertinet ad iudi
 cium & examen, si occasio fuerit cognitionè in temet
 ipsum usurpabis, num scilicet ex æquo omnibus obno
 xius sis phantasijs. Quare primùm quantum potes absti
 ne & fuge à phantasijs uiolentioribus. Inæqualis pugna
 uenustæ puellæ, si sese adolescenti offerat, qui philoso
 phari incipit. Nam ut aiunt uulgò, Non cõsentunt olla
 & petra. Post appetitum & declinationem, secunda fors
 est, ut affectus incitationè ac repressiõem obedientem
 rationi exhibeamus: ut ne quid faciamus quàm tempus
 locusq; postulant, aut si quæ res est alia à qua possit ab
 esse modus, ac moderationis indigeat. Tertiã uerò est,
 quæ uersatur in his quæ speciem habent, qua ad assen
 tiendum pertrahimur, uerisimilem, quibustamen nò sit
 temerè assentiendum. Vt Socrates dicere solebat, uitam
 non esse degendam, ut de ea nulla habeatur inquisitio:
 ita uisum nullum admittendum, quin de eo habeat quæ
 stio. Sic enim dicendum: Sine ut perspiciam te quale sis,
 & sciam unde ueneris, ut nocturni faciunt uigiles. Telle
 ram mihi cõmemora, si quam habes à natura qua carere
 uisum nullum debet à nobis approbandum. De cætero
 autem quicquid adhibet corpori ab his qui ipsum exer
 cendo firmius reddunt, siquidem uim hanc habeat, ut ad
 appetendum aut fugiendum aliquid faciat, & hoc nimis
 ad rationem exercitiij pertinebit, sin ostentationi sit
 compa

comparatum, extrâ eminebit, & aliud quiddam aucupa-
bitur, cuiusq; erit qui spectatores sibi aut amatores sui ut
præstantis cuiusdam uiri, quærat. Itaq; rectè dixit Apol-
lonius: Si uoles ipse, te tibi ipsi exercere, sit bundus ma-
gno estu accipe fauces plenas aqua frigida, eamq; rursus
expue, at id te facere nemini dixeris.

Quid desertio, & qui desertus.

Cap. XIII.

Orbitas est status hominis destituti ab auxilijs. Nō
enim si solus sis, ob id confestim orbus quoq; et de-
sertus eris: nec si cum multis fueris, idcirco non desertus
dici debes. Si amiserimus itaque aut fratrem, aut filium,
aut amicum quo acquiescere solebamus, pro relictis &
orbis nos ducimus. Sæpenumero quum Romæ sumus,
tanta nobis turba occurrente, ac tot domesticis ac fami-
liaribus stipantibus, multo quoq; famulatio interdū præ-
sente istud dicimus. Orbitatis quidem ratio in se conti-
net, ut nimirum aliquis sit priuatus auxilio, et obnoxius
his qui ei nocere uelint. Quocirca quando iter facimus,
tum maximè desertos nos querimus, quum incidimus
in latrones. Non enim inspectio hominis detrahit no-
bis opinionem desertionis, sed fidelis hominis, uerecun-
di ac eius qui prodesse studeat. Enim uero si solitariū esse
satis est ad orbitatē, quod Iupiter etiam in incendio uni-
uersi fuerit orbus dicere licebit, & quod ipse suam deplo-
ret fortunam, dum inquit: Miser ego, nec Iunonem ha-
beo, nec Mineruam, neque Apollinem, nullum prorsus
nec fratrem, nec filium, nepotem aut propinquū. Ista di-
cunt quidam Iouem queri in incendio, omnibus orba-
tum & destitutum. Non enim considerant quam uitam
agat, quum est solus: sed quodam naturali instinctu per
moti ista disserunt, quū suapte natura censent illum esse
cōmunicando liberalem & abhorrētem à uita solitaria,
& cui sit iucundū cum hominibus uersari. At nihilomi-
nus ad præstandū illud instrumenta quædam habeat ali-

F quis

*Idem de Pla-
tone scribit
Stobæus.*

*Πλάτωνος
λόγος ὅτι
ὁ ἀνὴρ ὁ
ἀνθρώπος
ὁ ἄνθρωπος
ὁ ἄνθρωπος
ὁ ἄνθρωπος
ὁ ἄνθρωπος
ὁ ἄνθρωπος*

*Omnia e-
nim cogno-
mina Iouis
sunt indita
à liberalita-
te & com-
municatio-
ne.*

quis oportet, nempe ut ipse sibi possit aliquis sufficere: deinde ut queat ipse secum esse, quemadmodū Iupiter quoque ipse secū est, inque seipso cōquiescit, ac intelligit gubernationē suā cuiusmodi sit, uersatque cōsilia sese digna sibique conuenientia. Haud longē secus nos quoque oportet esse cōparatos, ut possimus ipsi nobiscum colloqui, ut opus non sit commercio aliorum, ut non aliquo indigemus: insistamus uerò diuinæ gubernationi, & quo inter se respectu cohæreant, res omnes contemplemur: item ut prius euentu rerum animis fuerimus affecti, & ut iam nunc simus, quænam sint illa quibus affligamur, & quo pacto his sit medendū, ut sint euellenda: & si quis cultus sit adhibendus, is nimirū ut res postulat, adhibeatur. Certū est equidem quemadmodum Cæsar uideatur nobis pacatissima omnia fecisse, ut sustulisse omnia bella, nec sua peresse prælia quibus sit confligendū, nec latrocinia magna exerceantur amplius, mare etiam piratis liberum effecerit, ut tutò quouis tempore facere iter liceat ab ortu ad occasum usque. Num quo minus febre laboremus, pacem præstare nobis potest? num quā minus faciamus nauis fragiū? quo minus uasstemur incendijs atque terramotibus, aut fulmine? Quin etiam ut ne quis depereat amore: ne excrucietur luctu, ne torqueatur inuidia, aut denique ab ulla re tali ne infestetur quispiam, efficiere ne potest Cæsar? Non potest. At institutio philosophorū pollicetur ab his quoque rebus posse tranquillum & pacatum effici. Ecquidnam ea promittit? Si mihi auscultabitis, o mortales, efficiam ut ubicunque fueritis, quicquid egeritis, ægritudine animi careatis. non efferamini ira, ut nemo uos cogat, nemo prohibeat. Inflexibiles ut ab his uitijs ac liberi uitam agatis. Pace hac qui fruitur, eam à Cæsare concessam sibi non habet. Vnde enim istam tribueret Cæsar? At eius præconium à Deo per rationem accepimus. His contentus scilicet non est, quum fuerit solus
contuens

contuens ista atque considerans aliquis? Is nimirum dicturus est, Mali potest mihi accidere nihil: mihi non est latro, nec terræmotus: omnia sunt pacata, plena sunt omnia tranquillitatis: secunda est uia omnis, ciuitas, con-
gressus: uicinus quoque mecum sine detrimento meo communicat: alius exhibet alimenta mihi, is scilicet cui istud est curæ: alius uestitum dedit, alius facultatem sentiendi mihi est largitus, alius anticipatas animi mei notitias. Quod si necessaria non suppeditat, qui euocat signum nimirum dedit, ianuamque aperuit, ac monet ut egrediaris. Sed quoniam? Eo, ubi periculi sit nihil, & unde tu aliquando uenisti, ad cognata scilicet & peramica tibi. In elementa porro dissoluetur corpus, & quod erat ignis in te, discedit ad ignem: quicquid terreum, id terra accipit: spiritus autem in aerem euanesceat, & aqua colliquesceat in aquam. Nihil infernus est, nihil Acheron, nihil Cocytus, neque Pyriphlegethon, sed omnia sunt re-
ferta dijs & daemonibus. Hæc si quis animo uoluat, ac solem præterea, lunamque & sidera contueatur, utilitatem percipiens ex terra & mari, solitarius non magis erit, quam auxilio aliorum destitutus. Si quis me inuadens solum iugulet, quid tum erit? Stulte, non te, sed corpusculum tuum iugulabit. Quæ nam igitur restat solitudo, quæ indigentia? quid nos facimus ipsos deteriores pueris, qui si relinquantur soli, quid faciunt? testulas arripiunt & puluerem, ac ædificant, deinde rursus destruunt, & denuo extruunt: ita illis nunquam deest quod agant. Ego uidelicet, si nauigaueritis uos, me relictum fuisse solum sedens deplorabo: ita uero, ut pueri solent, testulas & puluerem non habebō: sed quum pueri talia moluntur ob imperitiā, nos prudentia freti scilicet, affligemur: Omnis potestas magna periculosa est, si sit penes eos qui subiecti sunt imperio. Ferenda igitur hæc sunt non
F 2

Nam in his
qui seipsos
bis non possunt

gubernare, quo maior potestas penes rationem, eo perniciosior.

bis quoad possumus, quin etiam quoad natura postulat, non ut tabidus. Si fueris tabidus, curam adhibe & uisum tuum tanquam infirmus, ut aliquando tanquam sanus uitam transigere possis. Abstine a cibo, aquae potione utere, ab omni cupiditate fugito, ut aliquando recte appetere possis. Siquidem recte appetieris, in te nimirum ipso habebis bonum, cuius sis appetens. At ista ordine non fiunt. Statim enim ut sapientes uiuere uolumus, ac prodesse hominibus. Quonam commodo, aut quid faciens, tibi quoque ipsi profueris? An hortari & instigare eos uis? Tu hortari, tu prodesse his studes? Ostende ipsis tuo exemplo quales faciat philosophia, & ne garras inutiliter. Comedens ipse conuiuio prodesse, & bibentes bibentibus hortator esse uelis. Concedens omnibus, indulgens, toleransque, ita nimirum profueris hominibus, et ne pituitam tuam conspuito aut transfundito in illos.

Miscellanea quaedam.

Cap. XIII.

VT boni tragœdi soli canere non possunt, sed cum multis, ita quidam secum ipsi non possunt ambulare. O homo, si quid es, solus ambula, & ipse tecum loquere, ac te in coetum aliquem ne ingeras. Considera quid interdum, circumspice, excute te ut scias qui sis. Si quis aquam bibit, aut molitur quidpiam studiosi operis, quamuis captat occasionem qua ostendet sese omnibus, praedicans se aquam bibere. Num ideo aquam bibis, quia aquam bibis? Bone uir, si prodest tibi eam bibere, sane bibas ipsam: sin minus, ridicule facis. Quod si prodest tibi, ac bibis, taceto coram ijs qui ab huiusmodi abhorrent res.

2 bus. quid enim est quamobrem placere his studeas? Quae sunt, quaedam agimus principaliter, nonnulla secundum circumstantiam: alia priuatim, quaedam cum alijs

3 conuersantes, nonnulla urgente quodam casu. Ambobus hæc animis hominum eximere debemus, opinionem scilicet

licet & incredulitatem. Opinio est, nullius rei indigentem se arbitrari. Incredulitas, opinari non posse te inuenire effugium urgentibus periculis. Opinionem reprehensio tollit, quam adhibere in primis solitus fuit Socrates. Cæterum rem esse nullam impossibilem cōsidera & scrutare, nihil enim ipsa tibi oberit inquisitio: nam prope modum nihil aliud uidetur esse philosophari. Quærendum autem ac satagendum ut nulla re impeditus, uti appetitu & declinatione possis. Melior sum te, pater enim meus consulatū gessit, ego autem prætura sum functus, tu uerò non. Enim uero si equi essemus, dixisses nimium: Pater meus fuit uelocior, ego pluri hordeo & pabulo opimior sum pastus, meæ sunt elegantiores phalaræ. Quòd si te sic mecum ita loquente uicissim dicam, Esto ut his rebus me uincas, cōtende, age mecum cursu. An ut equos cursu dijudicamus, ita homines habebunt nihil quo meliorem à deteriore internoscamus: Nōne sunt notæ, pudor, fides, iustitia: his ostende te ipsum esse præstantiorem, ut nimirum ratione, qua homo es, uincas alios. Si dixeris, Magnus sum impetēdo calcibus, uicissim ego tibi respōdebo, quòd asini in opere magnus tibi uideare.

Singula aggredienda esse circumspicere.

Cap. XV.

Cuiusq; suscepti operis & negotij considera antecedentia & consequentia, & postea ipsum aggredere. Siquidem istud non feceris, ab initio alacriter sanè accedes, dum nihil eorum quæ postea sunt euentura pensitas: quorum difficultas si appareat, postea turpiter desistis. Cupio uincere in Olympijs, at reputa tecū quæ præcedant, & quæ item consequantur: & postea si tibi profuerit, operi te accingito. Si uelis, oportebit te in ordinē redigi, uictu uti necessario & coactio, abstinere à cupidij, uolentis laboribus exerceri, non ut libuerit, sed horis constitutis exerceri, in æstu, in algore, frigida potio-

F 3 ne ab-

ne abstinere, nec quamcunque oblatam bibere. Præterea medico te exhibere obedientem tibi semper assistenti eodem accedit quod in certaminibus latus tibi fodiendum, iniicienda manus, contorquendum supercilium, multi deuorandi pugni, sæpius flagris cædi oportet, & post omnia hæc nihilominus interdum contingit succumbere. Talia uolens animo, si libeat, athleticis occupator studiis: sin uerò displiceat, uidēs ne eadem qua pueri subinde inconstantia aliud ex alio mutes studium. Nam pueri alias imitantur athletas, alias ludunt instar monomachorum: nunc tibia canunt, postea tragœdias repræsentant, ut uides hæc quispiam, miretur. Haud longè secus tu quoque nunc athleta esse uis, nunc monomachus, postea philosophus, deinde rhetor: tota uerò anima, nihil, sed tanquam simia, quicquid uides, imitari uis, ac semper modò hoc, modò illud tibi arridet, & à consuetis abhorres. Id inde adeò fit, quod nullam rem præmeditatus accessisti: nec totum negotium circumspicendo perlustrasti, nec tentasti quid possis, sed temerè ac omnino frigido desiderio aggressus es quod facis. Proinde sic nonnulli quum uident philosophum, ac differentem audiunt, ut Euphratē differuisse constat, statim: Quis ita disputare de rebus, ut ille, potest? mox & ipsi uolunt esse philosophi. O homo, cōsidera primum cuiusmodi res sit. deinde quæ tua indoles & natura, quid ualeant humeri, quid ferre recusent. Si luctator esse uis, cognosce humeros tuos, crura, femina. Alius alij rei obeundæ idoneus est. Videris tibi quod possis eadem præstare, & præstandis his philosophari, censesque te similiter posse ut philosophi, cibis uti, necnon potionibus eisdem, similiter irasci, similiter item indignè ferre, peruigilare. At interius oportebit etiam laborare, uincere quasdam cupiditates, discedere, acres linquere domesticos, irrideri à pusione, & à quibusuis obuijs subsannari. In omnibus inferiorē esse, magistratu, ho-

Quantus il-
le fuerit phi-
losophus, et
quàm ele-
gās, scribit
Plin. in epi-
stol. lib. 1.
epist. 10.

tu, honore, iudicijs. Considerans illa, si uideatur, accede philosophiam: si quidem permutare hæc quæ dicta sunt, uoles indolentia, libertate, tranquillitate. Sin uerò nolis, ne accede, ne tibi idem accadat quod pueris, ut non sis philosophus, postea publicanus, iam rhetor, deinde procurator Cæsaris, illa inter se non consentiunt, unum oportet te esse hominem, nempe aut bonum, aut malum. Aut principatum animæ tuæ excoles uirtutibus, aut rebus externis eris occupatus, aut elabora acquirendis internis, aut naua operam tuam externis. Id est, aut ut philosophum te gerito, aut ut plebeium. Occiso Galba qui dam dixit ad Rufum: Nunc demum regitur prouidentia mundus. At ille: Non sine causa, inquit, etiam olim argumento mihi fuit Galba, mundum prouidentia diuina administrari.

Quod caute nos debeamus dare conuersationi.

Cap. XVI.

EVm qui cum alijs conuersatur plurimum aut colloquendo, aut conuiuando, aut simul & familiariter uitam agendo necesse est, aut his simile fieri quibus cum uersatur, aut ipsum traducere conuictores suos in suam sententiam. Etenim si carbo iuxta cādentem carbonem ponatur, aut extinctus ille igneum quoque restinguet, aut contactu inardescet. Quare quum tantū sit periculi, cautio certè est adhibenda, si cum indoctis uersari uelimus, ac illorum commercijs uti, animo semper istud uolentes fieri nullo modo posse, quin si quis conuersetur fuliginoso cuiuspiam, ipsum quoque oportere fuligine inquinari. Proinde quid facies tu, si loqui cœperis de monachis, de equis, de athleticis, & quod his est deterius, si de homine? Hic bonus, ille malus est; istud præclare, aliud turpiter factum. Præterea si subfannet, si ridiculus sit, si improbis moribus sit præditus. Nam quis uestrum ita paratus est ut citharædus, qui simul ut lyram arripuit, pullat quæ chordas, potest cognoscere dissonos
neruos,

neruos, & instrumentum prout decet, adornare: Cuiusmodi facultas fuit in Socrate, qui quolibet in cœtu præsentēs potuit suam in sententiā adducere. Sed unde hæc nobis esset? quare necesse est uos ab imperitis circumduci. At qui sit ut isti sint ualidiores nobis? Quia uidelicet ipsi putida hæc ex animi sui sententiā proferunt, uos autē erudita uestra duntaxat labijs enunciatis, quare inefficacia sunt & mortua, oscitabundiq; auscultant qui uos audiunt adhortantes, uestramq; illam ærumnosam uirtutem, quæ fama susq; deq; celebrari consueuit. Ita fit ut ab indoctis superemini. Nam quod uidetur, multum habet roboris, in superabile est quodcunq; constitutum animi decreto fuerit. Quamobrem donec radices in uobis egerint præclaræ sententiæ, & ex ijs robur quoddam conciliatum uobis fuerit ad uitandum periculum, consulo uobis ut circumspectè cum indoctis uersimini. Quod si non feceritis, quotidie tanquam cera in sole colliqueſcent illa uestra quæ audiendo in schola uestris inscripsistis animis. Procul igitur hinc à sole discedite, quoad in uobis cereas nimirum habueritis opinionēs. Et hæc de causa philosophi consulunt patriam relinquere. Nam mores, quorum consuetudine sumus imbuti, & quibus occalluimus, nos distrahunt, nec sinunt alterius moris rudimentis nos institui. Quinetiam equo nō ferimus animo occurrentes, ac dicentes: Ecce hic philosophatur, quum sit talis & talis. Non aliter faciunt medicum quoq; quum diuturno oppressos morbo, in alias dimittunt regiones, atq; alio uti eos aere præcipiunt: quod ipsum mihi facere uidentur non inscienter. Quamobrem uos quoque his depositis alios assumite mores. Cōfirmate uestras sententiās, & in his uos exercete. At hoc non facimus, sed inde ad spectacula nos conferimus, ad monomachiam, in Xystum, in circum, & ab his rursum illic concedimus, & iterum inde subinde huc transfe-

*Id præcipit
faciendum
Hippoc. in
Epid. li. 6.*

transferimur, nec ulla morum in nobis est concinnitas, nec attentio, nec animaduersio aut observatio in quocumque sui ipsius, quo nimirum pacto oblati usus sim uilis, secundum ne an contra naturam: quid responsurus sim his interpellantibus, ut faciendum aliquid aut non sit secundum eas: item quo modo non uoluntarijs hac oratione occurrā, dicēdo: Ad me nihil pertinetis. Nam nisi sic animo fueritis affecti, fugite pristinos adhuc mores, & à congressu uulgi abstinete, siquidem placuerit uobis aliquando, in aliquo esse numero.

De providentia.

CAP. XVII.

SI qua in re accusandam duxeris providentiam, animum tuum ad se reuocato, & intelliges nimirum sine causa factum fuisse nihil. At uerò iniquus homo plus habet. Sed qua in re magis abundat? Argento scilicet. Quidni in eo te uincat is qui alijs adulatur, qui impudens est, qui noctes hanc ob causam ducit insomnes? Noli mirari, sed illud considera potius, an plus fidei, aut plus pudoris in ipso insit, quibus abundare quidē ipsum nō reperies. Quocirca in rebus melioribus, te plus possidere cognosces quā illū. Proinde cuidam ego, cum iniquius ferret propter humanitatem erga suos, suā minus esse secundam fortunam, dixi, num uellet, aut satius duceret cum Sura cubare. Deus prohibeat, ut id ulla unquam mihi dies afferat. Quid, inquam, succenses igitur, si aliquid Sura pro his mercibus accipit? aut quā obrem beatum illum prædicas propter ista (quæ tu tamen abominaris) si opulentus efficiatur? Num providentia malū aliquid molitur, si melioribus largitur meliora? & nonne melius est pudicū esse, quā diuitem? Assensus est. Itaque quid indignaris homo, si quod melius est obtineas? Semper id animis perpendite, ac in promptu habetote, hanc naturæ esse legē, ut melior deteriore plus habeat in eo quo melior ipse censet. Istud cogitantes nunquam

G quam

quam indignabundi eritis. At uxor mea improbè se gerit aduersus me. Si quis roget, Quid est quod dicis te nō bene tractari ab uxore? num aliud nihil est? nihil. Pater mihi dat nihil. Id uerò malū esse, tacita cogitatione subiiciendum, ac falsò admentiendum. Quamobrem paupertas repudianda non est, sed opinio paupertatis: quareiecta, in tranquillo erimus.

Quòd non oporteat allatis nuncijs perturbari.

CAP. XVIII.

SI quid denunciatum tibi fuerit, quod tibi perturbationem afferat, in pròptu habeas nuncium afferri de re nulla quæ sit in potestate arbitrij nostri. Num potest aliquis denunciare tibi, quòd peruerse sis opinatus aut improbè appetieris? nequaquam, sed quòd mortuus sit quispiā. At quid ad te, si quis obtrectat tibi? Quid ad te quòd pater in quibusdā ignominia afficitur? quò istud pertinet? num ad arbitrium? sed quī istud fieret? num ad corpusculum attinet? ad possessiunculam? saluus scilicet tu euasisti. Hac nihil ad te. Verūtamen iudicis sententia pro impio damnatus es. An id de Socrate iudicatum non fuit? Nunquid ad te pertinet quid iudex de te pronūciat? Nō. Quid ergo curas tu? Est ne patris tui quoddam opus, quod ille si non peragat, sibi ipsi amisit patriū nomen, animum paternū, & benignitatem? Aliud nihil porrò est quod deperditū, hac de causa, in re paterna existimes. Nequit enim fieri ut in alio peccet quispiam, & in alio detrimentū patiatur. Vicissim tui muneris est, defendere constanter, uerecundè, placidè. Sin minus id facis, amisisti scilicet & tu filium, & uerecūdiam, & præterea generosum animum. Num interea extra periculum est iudex? Non, quin ipse etiā æquali in discrimine uersat. Quid igitur metuis quid iudicaturus sit ille, quid tibi rei est cum alterius malo? Tuum enim uero malum est, si

est, si non legitime defenderis, id in te est ut uites, ac caueas. Damnari uel non damnari, ut alterius est opus, ita quoque malum est alterius. Minatur quidam tibi. Mihine? non opinor. Irridet te. At ipse uiderit ut suum proprium munus rite peragat. Te damnabit iniuste: Igitur miser censendus qui fert sententiam.

Qui status indocti hominis, & philosophi.

CAP. XIX.

Prima differentia est inter indoctum, & philosophum, ille enim dicit: Væ mihi ob puerum, ob fratrem, uæ propter patrem. Hic uero si aliquando impellitur ad offerendum Væ, seipsum corripiens ait: Num propter me mihi malè est? Arbitrium meum impedire, aut nocere ei nihil potest, quod non sit in potestate ipsius: nec detrimentum accipit aut damnum aliunde, sed ipsum à sese malè mulctatur. Itaque si animis huc inclinauerimus, ut deuij atque aberrantes nos ipsos incutemus, nec unquam nos caperit obliuio, nullam scilicet aliam esse causam perturbationis, & inconstantiae, quam opinionem, iuro uobis Deos omnes, futurum ut proficiatis. At nunc à prima ætate uiam aliam ingredimur. Quo tempore enim sumus adhuc infantes, nutrix si oscitantes in aliquo offenderimus, non obiurgat nos, sed lapidem ferit. Sed lapis quidnam fecit? An propter insipientiam infantis tui hunc aliquò abire oportuit? Iterum, egressi è balneo si nihil reperiamus quod comedì possit, haud quaquam nostram reprehendit ægritudinem animi pædagogus, sed uerberibus afficit cocum. Homo, huius te non iussimus esse pædagogum, sed pueri nostri: illum corripere, illi prodesse studeto. Postea cum adoleuerimus, uidemur esse pueri. Etenim puer in musicis, amufos appellatur: in Grammaticis, agrammaticus: in uita autem ineruditus, & insipiens.

G 2 Quod

Quòd ex omnibus rebus utilitatem percipere liceat. Cap. XX.

IN his quæ cadunt sub nostram notitiam, omnes prope modum bonum, itemq; malum in nobis reliquerunt, & non in rebus externis. Nemo bonum esse dicit, si diem esse affirmet; nec in malis numerat, si noctem. At in maximis numerat malis (contemplatricis facultatis) si tria pronunciet esse quatuor. Quid causæ est? quòd nimirum scientiam pro bono habet: pro malo autem, si decipi contingat. Quamobrem ex falsitate deceptione provenientem nobis ob oculos ponit scientia, ac docet aliquid esse falsum. Idem usurpari in uita quoque debuit. Sanitas bonum, morbus malum? Non ita res habet, ô homo. At quid bonum est? Bene uti prospera ualitudine, bonum est: male autem uti, malum est. Quamobrem à ualitudine quoq; aduersa bene habebit Deus tuus. A morte boni nihil obuenit, item à mutilatione membrorum: an parum utilitatis cepisse tibi Meneceus uidetur quàm moreretur? Talia quispiam differens eundem nimirum fructum percipiet quem ille percepit. Sine tecum loquar, ô homo. Nonne charitatem patriæ custodiuit, magnitudinē animi & fidem, & fortitudinem? Si ulterius produxisset uitā, hæc omnia nonne amisisset, & pro his contraria ascuiisset? nonne timidum, abiectum, osorem patriæ, effoeminatum se exhibuisset? num suæ mortis paruum caput fructum? Non. Pater scilicet Admeti dum prorogare uitam suam studet tam timide, & misere, magnum inde credo commodum percepit, posterius scilicet non obiit? Tranquillos efficite Deos uestros, ac desinite admirari materias, desinite uos ipsos facere seruos, ac uos ne mancipetis, primum rebus, deinde hominibus, qui uel dare ista uobis, uel eripere possunt. An ex his fructus aliquis percipi potest? Ab omnibus, etiam ab eo qui contumelia afficit. Quid prodest athletæ, is qui præparat ipsum? Plurimum. Ita quoque

quoque mihi quispiam sit tyrocinij præceptor, qui uil-
delicet patientiam meam exerceat, qui lenitatem, qui
mansuetudinem. An uerò qui illud possit neminem ef-
se censes, sed erit duntaxat qui trahens manibus cerui-
cem, & femina mea, itemq; humeros concinnans mi-
hi profit: præterea aliptes etiam bene faciet, si iubeat
ambabus ut tollam aliquid manibus. Et quo ponde-
rosius id fuerit, eo plus commodi inde feram. Si quis
uerò ad non irascendum me exerceat, ex eo scilicet fru-
ctum percipiam nullum? Istud nimirum est ignorare,
an ab hominibus aliquo percipiatur utilitas. Huic ma-
lus est uicinus. Sed mihi bonus est, æquitate enim ani-
mi me exercet. Pater huic est malus, mihi bonus est: id
est, Mercurij uirgula. Hac, inquit, quicquid tetigeris,
aureum erit. Nequaquam istud promittit, sed illud po-
tius: Quod uoles accipe, & ego ipsum efficiam bonum.
Accipe morbum, mortem, paupertatem, contumeliam,
extremum supplicium. Omnia hæc emolumentum e-
runt contactu Mercurialis uirgulæ. Mortem quid fa-
cies esse? nihil aliud quam ut sit tibi ornamento, quam
ut demonstret opere ipso quod per eam præstiteris quid
sit esse hominem, ac obsequentem decreto naturæ. Mor-
bo quid facies? Ostendam naturam eius, in eo me decen-
ter geram, constanter, nec ero sollicitus: medico non
adulabor, nō deprecabor mortem. Quid queris aliud?
Omne quod dederit, istud efficiam ego ut sit plenum
fœlicitate, beatum, eximium & desiderabile. At tu con-
trà dicis: Vide ne incidas in morbum, malum enim est.
Perinde illud est ac si dicas, Vide concipias opinionem
qua putes tria esse quatuor. Quod si malum est, quo pa-
cto tandem malum esse dicis? Nam si rem ita appren-
do ut est, quomodo malum existimabo, aut quomodo
mihi nocebit? aut potius quo pacto non multum pro-
derit? Itaq; si de paupertate sentio ut est sentiendum, item

G 3 de mor-

de morbo, de ignobilitate, non satis mihi erit, nullum inde percipiam commodum: Quousq; tandem in rebus externis bona, itemq; mala me constituere oportebit: Sed quid sit, huc usq; perueniunt quæ sic disputantur, sed domum intra suam nemo secum fert: quin statim ut uenerimus, contra seruulum bellum incipitur, contra uicinum, contra dicaces, contra irrisores. Bene sit Lesbio, qui me nihil scientem quotidie redarguebat.

Ad eos qui faciles & promptos se exhibent ad arguendum.

CAPVT XXI.

Preceptis quibusdam minime solidis rationibus, statim eas euomere cupiunt, perinde ut qui infirmo sunt uentriculo, cibum. Prius quod accepisti, cõcoque: ita fiet ut non euomas, si non feceris: reuera uomitus erit cibus purus adhuc & crudus. Quod si concoctum quoq; digesseris, ostende nobis mutationem quandam principatus animæ quem in te habes. Quemadmodum athletæ firmiores ostentant humeros ab exercitijs, & his quibus se saginarunt, ita qui artes didicerunt à suis magistris. Faber enim nõ accedit & clamat, Audite me disferentem de fabrilibus negocijs: sed redimens domum ædificandam, eam extruit, quo declarat se esse peritum eius artis. Ita tu quoq; facito, Comede ut homo, bibe ut homo, uestire, duc uxorem: da operam liberis, reipub. perfer contumelias, tolera ingratum fratrem: patienter sustine patrẽ, filium, uicinum, cõgressus. Demonstra hæc nobis, ut perspiciamus reuera te aliquid ex philosophis didicisse. At modò id nõ faciunt. Venite, inquit, & meas percipite interpretationes. Circumspice, quære in quos effundas. Enimuero interpretabor ego uobis Chrysippea tam scienter, ut ante me nullus. Planissime orationem explicabo, alicubi etiam adiungam Antipatri & Archedemi consensum. Ergo ut hæc discant adulescentes, patrias parietesq; suos relinquent, ut nimirum
te audire

te audiant enarrantem quasdam oratiunculas, Nónne fatius erat reuerri ipsos patientes, beneficos, affectibus uacuos, sine perturbatione quietos? Tale quoddam uia-
ticum obtinentes in uita, quo instructi & freti omnia quæcunq; ipsis euenirent, possent tolerare honestè, & ornāmēta inde adipsi: Tu uerò num ista dares, quum ipse non habeas? ecquid aliud egisti tam inde ab initio, quàm ut in huiusmodi te exerceres quæ pertinent ad syllogismorum exquisitiōem, ut sese habeant in contrarium cogentes, ut hi cōcludantur qui interrogando colliguntur syllogismi. At scholæ præest ille, quidni ego quoq; habere possim? Ineptè, temerè, & fortuito ista non fiunt: ad eam enim rem opus est arate & uita, quin etiam Deum habere ducem & gubernatorem oportebit. Nónne desertus qui fuerat, non postliminio restituitur, nisi dijs sacra prius fecerit, eosq; ut adiutores inuocauerit? Nec ante serunt agros rustici, nisi prius inuocata Cerere. Aggressu uerò tanti operis ipsum uidelicet quispiam sine ope deorum sceleriter tractabit: & qui accedent, simul ut accesserint, speratis potientur? Quid aliud quæso facis o homo, quam obrem mysteria profanas, & dicis: Aedes est in Eleusinis, etiam apud nos est: illic est antistes sacrorum, & ego efficiam ut hîc sit: illic præco, & ego constituam hîc præconem: illic facem ferens, & hîc nimirum erit: illic faces, & hîc sunt. eadem uoces, eadem fiunt omnia. quid hæc ab illis discrepant? Impiissime hominum, interesse nihil censes? & hæc si in loco fiant suo, si fiant in tempore, profunt: si cum legitimis sacrificijs, precationibus, si prius castum purumq; sese exhibuerit, si animo religione obstricto ad sacra accesserit, & ea quidem longè uetustissima. Ita nimirum parato & affecto utilia erūt mysteria, ita nobis ratio & persuasio

De his apud Cicero
nē in quo-

am libro de Legibus. His sacris passi se sunt initiari cum multi Romani, tum uerò Augustus Caesar etiam, ut est apud Suetonium.

persuasio occurrer, quòd à maioribus illa sint instituta ad disciplinam & rectitudinem uitæ percipiendam. At tu enuncias & profanas sacra illa nullo respectu loci aut temporis, nullis sacrificijs: morbosus, absq; habitu etiam & uestitu quo antistitem sacrorum ornatum esse oportet: non comam, non strophium quo cinctum esse oportet: non uocem, non ætatem habens: neq; uerò initiatus es ut ille: sed uoces duntaxat arripiens, clamas, uoces ipsas per se esse sacras. Mihi crede, alio sunt modo accedenda hæc sacra, magna res est. Mysticum est quiddam, non res obuia & uulgaris, nec cuiuis temerè concessa. Proinde nec sapientem esse fortasse satis erit ad id ut sibi uendicet quispiam institutionem adolescentum, oportet adesse promptitudinem & habilitatem ut ritè quis isto munere fungatur (per Iouem) item corpus aliquo modo affectum, in primis autem Deum habere authorē, quo obtinuerit istum locum. Ita fuit autor Socrati ut stationem reprehensoris obtineret: Diogeni uerò, regiam & obiurgatoriam: Zenoni porrò, ut docere posset & instituere. Tu quidem aperis apothecam aliud habens nihil quàm medicamenta: ubi uerò aut quādo his utendum, nec intelligis, nec usu aliquo comperisti. Ecce hic medicamenta habet, & ego huiusmodi habeo collyria. Num uerò facultatem habes quoq; his utendi? scisne quando & quomodo his utiliter possis uti, & quibus hæc conducant? Quid quæsoludis in rebus maximi momēti? quæ tua est securitas? quid rerum moliris earum quæ ad te nihil attineant? omitte his qui præstare illa possunt, qui ornamento sint arti, noli deformem facere philosophiam tua tractatione: uide ne sis ex eorum numero propter quos obrectari solet huic studio. Quòd si delectant contemplationes, tecum ipse meditare ociosus illa, nec propterea philosophū te unquam esse dixeris: nec concedito cuiquam ut ita te com-
pellet,

pellet, sed dic, Hallucinatus est, neque enim ego aliter atque antea appeto. non studiosus sum aliarum rerum atque antea fui, non assentior alijs atque fui antea assensus: nec uero uisum pristinum uisorum deposui: nec aliter quam antea solebam, ijs moueor. Ista senties de teipso ac praedicabis, si quod te dignum est sapere uelis, sui secus feceris, lude, & fac quae facis: te enim ista decent.

De Cynicismo.

CAPVT XXII.

QUODAM ex familiaribus ipsius, qui ad Cynicam sectam uidebatur propensior interrogante qualem esse, qui Cynicum ageret, oporteret, & quamnam istius rei notitia esset: respondit, Consideremus illud non obiter & quasi aliud agentes. Et primum habeo tibi tantum dicere, qui sine instinctu Dei hanc rem tantam aggressus fuerit, eum non propitium, sed iratum habere Deum: nec aliud eum conari quam ut publice gerat se indecenter. Etenim in domo bene constituta si quis adueniens ipse sibi arroget gubernationem, & se pro rectoris gerat, non ferendus uideatur: aut si non desistat, reuertens paterfamilias atque uidens turbulentum ipsum se ingerentem atque administrantem negocia, tractum ad supplicium diuidet medium. Idem usu uenit in hac ciuitate immensa. Est enim in hac ipsa quoque paterfamilias gubernator singula imperio suo dispensans. Tu sol es, potes circunuectione tua annum efficere & tempestates eius, fructus augere & educare, uentos mouere, & sedare, corpora hominum modice calefacere: abi & circum terram uehere, eaque rotatione maximis uiribus res excitato minimas. Tu uirtulus es, si leo te inuaserit, fac quod tui est muneris: si non feceris, dolebis. Tu es taurus, aggrediens decerta: tibi enim tributum illud est, & tibi conuenit, potesque id praestare. Tu ad Troiam tanquam dux praesse exercitui potes, esto Agamemnon. Tu cum Hectore singulari certamine congredi potes,

H

sis Achil-

*Euag. Diu
det mediu,
& partes
ponet cum
hypocritis.*

sis Achilles. Si Therſites accedens ſibi arroget imperiū,
 uel non adipiſcetur, uel adeptus in plurimis rebus inde
 corē ſegeret. Cæterum conſilium capere de re non o-
 cioſum, tale non eſt cuiuſmodi tibi uidetur. Pallium &
 nunc gero, & antè etiam eo ueſtiebar. Pernocto extra
 ædes, etiam id faciebam antea. Peram & baculum arri-
 piam, & obambulans mendicabo, ſimulq; cōuicijs pro-
 ſcindam quoſque obuioſ. Et ſi quem conſpexero gla-
 brum, uituperabo ipſum; & ſi quem cincinnos compo-
 nentem aut comam in gradus formātem, aut in purpu-
 ra incedentem maledictiſ inceſſam. Si huiuſmodi quid
 arbitrariſ eſſe Cyniſmum, procul diſcede, nec acceſſe-
 riſ; quoniam nihil ad te pertinet. Quòd ſi cum, ut reue-
 ra eſt, tecum reputaueriſ, ac ei te dignam operam naua-
 re uoleſ, cogita quanta reſ ſit quam ſiſ ſuſcepturus. Ac
 primū in hiſ quæ ad te pertinet, in re nulla te ſimilem
 tui eſſe oportebit, faciendo nimirum ea quæ nunc faciſ,
 nec Deum inculcare, nec hominem; appetitum ſtudioſ
 ſum præſtare, omni ex parte: declinationem adhibere
 duntaxat ad ea quæ cadunt ſub arbitrium noſtrum: nō
 iram uſurpare aut uindictam, nō odium habere inclu-
 ſum, non miſericordia fleſſi, non forma puellæ alicuius
 allici, non captare gloriolam, non puellum, non placenti-
 tulam. Ita uerò ſtatuerè oportet, circundari reliquos ho-
 mines parietibus, nec non tegi atq; occultari ædibus &
 tenebris, ſi quid talium rerum moliātur, multasq; id ge-
 nus latebras quibus ſe abſcondant habere. Præcluſit for-
 res, ante cubiculum ſtare quendam iuſſit: ſi quiſ uene-
 rit, dicito egreſſum eſſe, non uacare. Pro hiſ omnibus
 pudorē Cynicuſ debet præ ſe ferre, eoq; teſtuſ ſeptuſq;
 eſſe ſi non faciat, nuduſ & ſub dio turpiter ſe dabit. I-
 ſtud nimirum ei domuſ eſt, id ianuā, id cubiculariuſ ac
 tenebræ. Neq; enim id uelle debet, ut aliquid ſui ſit oc-
 cultuſ, alioqui domi ſuæ non erit, amiſit Cynicuſ, &
 omnia

omnia in propatulo faciendi morem, itemq; libertatem. Cœpit in animo suo pertimescere quidpiam, cœpit indigere quopiam quo occultetur, nec illud quando cunq; uolet consequi potest, Vbi enim seipsum celaret, aut quomodo? Quod si forte fortuna magister aut pædagogus communis ueniat, quid pati quæso oportebit? Hæc metuentem quis ex tota anima confidere, aut alijs præesse hominibus posse arbitretur? Itaque primum oportet principatum animæ tuæ purum facere, deinde ita tibi ipsi instare ac obuersare cogitationem talem: Nunc mihi subiecta est materies cogitatio mea ut fabro ligna, ut futori corium. Opus porro meum est, relictus usus uisorum. Corpusculum meum nihil ad me, eius membra nihil ad me: mors, quando uoles uenito, auferens uel totum me, uel partem aliquam. Fuge, sed quò fugiam? potest ne quispiam te emundo eijcere? Non potest. Quocunque uenero, illic sol est, luna, & liquaq; sidera: hic insomnia, illic auguria. Cum dijs conuersati. Deinde sic paratum & instructum non putabis scilicet satis habere ut familiarem & domesticum cultorem ueritatis, nisi præterea quoque intelligat se nuncium à Ioue missum ad homines, qui ipsos de rebus bonis & malis doceat, & quod erroribus halucinati fuerint uituperet, ac alicubi quærant substantiam boni maliq; quàm illic ubi reuera sit: ubi uero sit, isthic eos animum non adhibere. Et ut Diogenes post prælium in Cheronea commissum, deductus ad Philippum fuit tanquã explorator, ita reuera Cynicus omnis explorator est, scrutans scilicet quæ hominibus accommodata sint & quæ contraria. Quãobrem circumspectè considerantem ista uenire oportet & nescire explorata & uera: nō perculsum metu ut non hostes pro hostibus indicet, nec alio quopiam modo perturbatū aut confusione rerum incertū. Ita uerò comparatū ipsum esse oportebit, ut

Vide Pedit
Cyri de
Cræso &
Herodotū.

tebit ut intentus in negocia, si res postulet, possit ingredi in theatrum quo exhibentur spectanda tragœdiæ, & proclamare Socraticum illud: O mortales quò uos proripitis? quid facitis? ô miseri quàm estis cæci ac fulcy deque uoluimini, aliâque quàm conueniat uia incediditis, legitimam illam relinquentes. Alibi quæritis successus uestros & principatum uitæ, illic scilicet ubi non est: nec si quis uobis demonstret, creditis. Quid est quòd extra uos quæritis bonum? In corpusculo? non est. Si fidem non habetis, inspicite Myrona, inspicite Offellium. In opibus non est bonum: si non creditis, uidete Cræsum. considerate eos qui nunc sunt diuites quanto ploratu uita eorum sit plena. In dignitatibus non est: quòd si esset, qui secundum aut tertium Consules fuissent, beatos esse oporteret, at non sunt. Sed de his rebus cuiam habebimus fidem? Vos hisne qui externa hæc spectatis, & rerum uilis illustribus uelutique circumfusus tenemini, an uerò his ipsis de quibus loquimur? Illi ipsi porrò quicquid dicunt? Adhibete aures quando plorant & ingemiscunt, quâdo se propter consulatus & honores ac dignitates multo res esse opinantur, ac maioribus ob id obnoxios periculis. In imperio bonumne? non est: alioqui enim Nero aut Sardanapalus fuisset beatus. Sed ne Agamemnon quidem scelix, fuit quamuis modestior Sardanapalo & Nerone: ueruntamen stertentibus alijs ac securis ille quid facit?

Multos uertice de pilos radicibus aufert.

Ipsæ uerò quid dicit? Hic passim oberro, & perturbato sum animo.

In meo pavidâ sese cor pectore iaciat. Acumenose Agamemnon quidnâ tuarum rerum malè habere num facultates, an corpus neutrum horum. Etenim auro abundas & ære. Quid mali igit tibi cõrigit, ex eo quod olim abs te fuit

te fuit neglectū aut deprauatum? Istud nimirū male habet, quo expetimus, & quo declinamus, quo incitamur, & quo in contrarium reprimimur. At quo pacto negligētius istud fuit curatū? Quia uidelicet boni substantiā, quod ut adipisci posset natura ei largita est habilitatem, itemq; mali, ignorat; præterea quid proprii possideat, & quid alieni, & in his quæ aliena sunt, & extra ipsum, si quid aduersi eueniat, Væ mihi, inquit, periclitatur exercitus Græcorum. Miserum est, & calamitosum id penes quod principatus existit, & omni curatione cultuq; uacuum. Futurum est ut casus à Troianis exercitus deleatur, Quod si à Troianis nō interficiantur, num propterea nunquam morientur? Morientur quidem, sed non simul omnes. At quidnam interest siue uniuersi simul, siue singuli moriantur, si quidem mori malum est ex æquo enim malum erit. At morientibus quid aliud sit, quàm ut anima separetur à corpore? Nihil aliud. Tibi uerò, occumbentibus Græcis, ianua ne est clausa? mori non licebit? utiq; licebit. Quid ergo dolet? quid exclaimas Væ? Rex cum sis, & Iouis sceptrum manu teneas, luges. At infelix rex non sit nihilo magis quàm Deus, in quem nulla cadit miseria. Quid ergo es? Pastor reuera, ploras enim ut pastores abrepta ipsis ouicula à lupo. Et tui gubernantur abs te tanquam oues. Num gubernando prouidisti, ne quo in periculo uester appetitus uersaretur, ne declinatio, ne persecutio, ne fuga? Negat se illud curasse. Attamē fratris mei muliercula est rapta. Nonne insigne lucrum est, priuari muliercula adultera? At patiēmur ne despici nos à Troianis? quæro quānam illi sint, prudentesne an imprudentes istud faciant? Si prudentes, quare bellum contra eos suscipitis? Sin uerò sunt insipientes, quid curatis? In quo igitur bonū collocatis tandem? Quandoquidem in his nullum est. Dic quæso nobis Domine, quum sis angelus, & speculator

lator humanorum operum. Illic est bonum, ubi nec uidetur uobis esse, nec ubi uos ipsum quæritis, nam si uel letis, utiq; inueniretis id in uobismetipsis esse: nec extra uos oberraretis, nec quæreretis externa tanquam propria. Conuertimini ad uos ipsos, cognoscite uestras anticipatas animis notitias. Quid uidetur uobis bonum esse? Id quo secunda nobis sunt omnia, & quo efficimur beati, quodq; nullo nobis sit impedimento. Proinde longius progressi, quale naturæ sit congruens non consideratis, an illud ipsum magni momenti non existimatis, omninq; detrimento uacuum? At in qua materia quære ipsum oportebit successum omnis expertem impedimenti? in seruane, an in libera? In libera. Corpus porro liberumne, an obnoxium obtinetis? Nescimus. An nescitis subiectum ipsum esse feбри, podagræ, ophthalmiæ, dysenteriæ, tyranno, igni, ferro, cuius deniq; uolentior? Certè. At obnoxium quod est, impedimentis quomodo carebit? Et quod ad corpus attinet, quid eo facias, aut quanti ipsum æstimes, quod natura suapte sit cadauer, sit lutum? Quid ergo, num liberum habetis nihil? num prorsus nihil? sed quis cogit uos, aut quæ necessitas impellit, ut ei quod falsum uideatur assentiamini? Nemo. Quis ut uero euidenti, & conspicuo assensum non præbeat, uos prohibet? Nemo. Inde colligite, in uobis esse aliquid liberum natura. Appetere uel respuere aliquid, prosequi uel fugere, præparare, in animum inducere quisquam uestrum potest quicquam, cuius non uel tanquam utilis, uel tanquam honesti uisum sit oblatum? Nullus. Itaq; & in his quidam impedimento carens, & liberum habetis. Calamitosi homines, quin in his elaboratis, ista curatis, illic quærite bonum. At qui potest id consequi quispiam, si nihil habeat, si nudus sit, sine domicilio, sine penatibus, squalidus, obnoxius, sine ciuitate, uitam agere qui poterit successibus plenam? Ecce tibi

te tibi quendam ad nos misit Deus, qui re ipsa ostendat istud posse fieri. Inspicite me, cui nec ciuitas est, nec domus, nullæ possessiones, nullum seruitium, humi cubantem: cui non uxor, non liberi, non prætoriolum, sed terra duntaxat & cælum, unumq; palliolū, attamen quidnam mihi deest? Nōne mœstitia sum uacuus, nihilq; metuo? Nōne sum maximè liber? Quis uestrū unquam me uidit appetitu frustratum, aut refugiendo in aliquod malum incidisse, quenquam Deum aut hominem inculasse? Num quis minus læta fronte, & exporrecta uidit unquā? His etiam quo uultu occurro, quos præsertim uos pertimescitis, & admiramini, nōne tanquam mancipijs me illis offero? Quicumq; uerò me uidet, nōne tanquam regem suū me aspicit, dominumq; me suum arbitratur? En Cynicas uoces, en characterem & industriam. Ista si neges, alia nimirum erunt quibus insignietur Cynicus, pera scilicet & baculus, buccæ grādes, deuorare quicquid fuerit datum, aut reconditum seruare, quibusque obujs intempestiuè maledicere, & fortes humeros ostentare. Tantam & tam arduam rem exploratūne habes ut sis aggressurus? Primum cape speculū, & tuos considera humeros, femina noscito tua, item crura. Inter certatores Olympicos haberi uis? non leuiculum est, & abiectum certamen. In Olympijs succumbere, & postea exire nō licet: sed primum omnium uniuerso terrarum orbe spectante dedecus perpeti aliquem oportet, nō tantum presentibus Atheniensibus, aut Lacedæmonijs, aut Nicopolitis. Deinde plagis ac uerberibus contundi temerè discedentem: ante uerbera autem, sitire, æstuarè, multos pugnos deuorare. Quare diligentius rem considera, cognosce te ipsum, interroga dæmonion, sine consilio Dei noli rem tantam aggredi. Is quando hoc tibi suaserit, scito istud agere & uelle ipsum, ut faciat te insignem, aut pluribus uerberibus ut afficiare.

afficiare. Nam illud præcipuum est ornamentum quod Cynicus sibi asciscit. Tundi uerberibus ut alinum oportet, & contusum nihilominus amare uerberatores suos, tanquam si pater aut frater esset omnium. Sed tu contra facis: nam si uapulas, in media uia uociferare. O' Cæsar tua in pace quas patior iniurias: adducamus eū ad Proconsulem. Cynico quisnam est uel Cæsar uel Proconsul, aliūne quispiam est, quā is qui ipsum legauit, aut cui ipse seruiat, Iupiter scilicet. Aliūne quempiam inuocat quā hūc? Non credit, quod quicquid horum fuerit perpeſsus, istud eō fieri ut exerceat ipsum. Etenim cum ab Euryſtheo exerceretur laboribus Hercules, miserum se esse non est arbitratus, sed impigre fecit imperata. Hic uerò à Ioue ipſo in certamen, & ad exercendum sese missus exclamare uult, & indignè ferre, dignus si Dis placet qui gerat baculum Diogenis. Is febricitans ad tranſeuntes in uia quid dixerit, audi. Peruerſa ingenia, quare non ſubiſtitis? Quum ſpectaturi interitum, aut pugnam Athletarum, tam longinquo itinere contendatis ad Olympia, febris & hominis pugna ſpectare obuiam non uultis? Ille quidem (de quo dixi) impatiens: haud dubiè Deum à quo miſſus ſit, inculabit, quod ipſo indignius utatur, & ſecus quā meritum ferat ipſius: hic uerò rebus dubijs ſeſe oſtentauit, & ſpectaculum eſſe uoluit accedentium. Nam quid ipſe incularet? num quod modeſtè, & ſedatè ſe gereret? num quia prætereuntes accuſabat, quod ſuam illuſtiores facere uirtutem conabatur? Age uerò, quid de paupertate diſceſſerit, quid de morte, de dolore, quomodo comparat ſuam ſœlicitatem magni Regis ſœlicitatis? imò ne comparabilem quidem eſſe arbitratus eſt. Vbi enim cunque ſunt perturbationes, moeſtitiæ, timores, appetitus inſati, declinationes impeditæ, inuidiæ, obtreſtationes, quo aditu præcluſis ſic omnibus, ſeſe ſœlicitas præſentaret.

taret: At ubicunque fuerint uacordes opiniones, nonne illic omnia hæc esse oportebit? Rogante quodam adolecente, ut agrotans se conferret ad quendam amicum, apud quem pateretur se ex morbo recreari, ac tractari ut agrotum decet. Vbi, respondit, mihi dabis Cynicum? Nam oportet alterum ipsum esse talem, ut dignus sit & idoneus qui meus habeatur amicus. Socium illum esse oportebit sceptri, & regni, & idoneum administrum, siquidem mea dignus amicitia uelit haberi, qualis fuit Diogenes erga Antisthenem, & Crates erga Diogenem. An censes, si accedens saluere iubeat ipsum, propterea esse amicum? Et ideo dignum iudicabit quem intro ad se recipiat? Quod si ita uideatur tibi, & tale quid cogitato. Circumspicito tibi stabulum idoneum ubi ignem habeas, & obturatas ualuas contra Boream, ne pereas frigore. At uero tu mihi uideris domum aliquius ingressus aliquandiu isthic uelle morari, donec satur fias. Quid igitur in mentem uenit tibi ut uolueris tantum suscipere opus? Vxorem uero, inquit, & liberos in primis habebit Cynicus. E' talibus si quem mihi dederis sapientem (respondit Epictetus) forsitan hoc animo erit, ut Cynico ipsi esse non libeat. Qua enim de causa tale institutum uitæ susciperet? Finget fortasse quispiam huiusmodi condiciones, Nihil prohibebit quo minus ducat uxorem, procreet liberos. Quandoquidem potest fieri ut uxor quoque ipsius sit altera talis, & item socer alter talis, ac deinde liberi etiam simili educantur modo. Quæ nunc conditio est rerum atque ratio ordinis, nonne Cynicum abstrahi, nullo modo posse oportet a ministerio, cui seruit, Dei? Vt possit semper adesse hominibus non alligatus domesticis officijs, aut districtus his rebus, quas negligens non tueatur boni & integri hominis personam, quasque procurans, amittat nomen I nuncijs, certum olim fuerunt: hodie præter cucullam, Cynicum nihil habent.

nuncijs, & speculatoris atq; etiam præconis Dei. Nónne oportet ipsum cogitare quæ socero sint danda, alijs quoque affinibus, & præterea uxori? Deinde operam quoque impendere ægrotantibus cogitur, & rei acquirendæ studiosum esse oportebit, ut de cæteris nihil dicam. Quinetiam lebetem & scapham habere oportebit, qua calidam infundat loturo infanti: nec non lanula quoq; & oleo, & grabatto, & poculo opus erit puerperæ. Plura nunc parantur uascula, ut præteream reliquas occupationes, & distractiones negotiorum, quid reliqui erit regi huic quo uacare publicis rebus, & negotijs queat? Cui tot commissi populi sunt, tantæque curat? Is nimirum est qui speculator esse debeat aliorum omnium, quique obseruet in matrimonio constitutos, & hos etiam qui liberos educant, quinam bene sua utatur uxore, qui secus faciat, ac rixetur, & quæ familia dissentiat, item quæ sit consentiens. Eum circumire tantumquam medicum atq; obambulare oportet, & uibrantes uenas experiri, & huic dicere, Tu febricitas: alij, Tibi caput dolet: alij, Tu laboras podagra. Deinde sic præcipiat: Tu intende laboribus neruos, tu plenioribus utere cibis, tu abstine lauacro, te oportebit secari, te uerò urî. At si sit domesticis impeditus negotijs, quod suppetet otium ad hæc peragenda? Talem nō oportebit porrigere uestes liberis, aut ad ludimagistrum mittere tabellas annexis stilis scriptorijs, pennulas, præterea lectulum quoque his præparare, fieri enim nequit, ut statim ex utero editi pueri Cynica disciplina imbuantur. Si recuses ista facere, satius est simul ut nati ac editi in lucem sunt proijcere, quàm huiusmodi neglectione eos perimere. Considera igitur quò deducamus Cynicum, quo pacto illum suo spoliemus regno. At inquires, Crates quoque duxit uxorem. Vrgentem causam allegas ex amore obortam duxit uxorem, quam effecit etiam

alter

alterut esset Crates. Nos uerò de matrimonijs, & indiuiduis copulis loquimur, & ita disputantes non intelligimus, quo pacto inter præcipua sit habendum Cynico matrimonium, tali rerum statu occupato. Sed inquit, ut conseruabitur à te societas communis, quam tu ut Deum colendam censes? An uerò maiore beneficio afficiunt homines hi, qui loco ipsorum duos, aut tres pituitosos pueros curant, an qui omnes ex æquo, quo ad eius fieri potest, obseruāt & speculantur homines, quid agant, ut uiuant, quas res curent, quas negligant, contra officium suum? Veruntamen Thebanisne magis profuerunt, qui post se reliquerunt liberos, quàm Epaminondas qui obiit sine liberis? Et Homero, plus communi uitæ profuit Priamúsne quinquaginta procreans sterquilinia, itemq; Danaus uel Aeolus magnæ ac numerosæ sobolis procreatores? Proinde qui imperatoris munere fungitur, aut qui ordines ducit, uxores interdum propter officium habere non possunt, nec uacare liberis educandis, pro nihilo scilicet uidebitur, talis coelibatum suum permutasse, ac frustra, si dis placet, his carebit. At ne Cynici quidem regnum ordinis est expers, nūquam ne magnitudinem eius, & eminentiam apud nos pensitabimus? Nec prout res postulat, adumbrabimus nobis Diogenis insignia? Verum nos respicimus eos, qui nunc sunt Cynicos: qui à mensa quum discesserunt, fiunt serui attrienses, qui in re nulla alia priores imitantur, quàm si quando ab ipsis uentis eduntur crepitus, aliud præterea nihil. Quod si ista nos non mouerent, haud iniuria mirari possemus, quare coniugio abstineret, aut non daret operam liberis Cynicus. Imò uerò sic rem considera. Nam patrē illum potius reputabis esse omnium, quoniam in causa est, ut patres habeant filios, & matres, ut habeant filias, cum omnibus sic conuersatur, sic omnium curam gerit. Proinde censes ne tu

maledicere eū cui libet obuiō, ad rem nullā respiciendo. Istud pfectō facit, ut pater, ut frater, ut minister seruusq; Iouis qui est omniū nostrū pater. Si uidetur, quare ex me etiā utrum accessurus sit rempublicā Sannio. De maiore nimirū quæris republ. quam ipse sit administraturus. Siquidem præ esset Athenis, adueniēs quidpiā de uectigalibus, de cēsis differeret. At ille noster est quē oportet corā omnibus uerba facere, ex equo corā Atheniensibus, corā Corinthijs, coram Romanis, nō de prouentibus, aut uectigalibus, nō de pace, aut bello: sed de fœlicitate, & miseria, de secūda itemq; aduersa fortuna, de seruitute & libertate: hanc tantā rempublicā, & tam amplam cum ille administret, rogas me utrū accessurus sit ad rempublicam? Quære igitur, si libet, utrum sit gubernaturus, respōdebo sanē tibi sic! Stulte, censes ne maiorem aliquam esse rempublicā quā ea sit cui ipse præ est? Quocirca firmiore etiā corpore huic erit opus. Nā si tabidus accedat, leprosus aut pallidus, similem speciē & uim testimonium ipsius nō obtinebit, quoniam non solum ualentē & bene affectam animā præstando, confirmare & ostendere debet uulgo hominū se absq; his etiam quæ admirari ipsi soleant, bonū esse & honestum: uerū etiam corporis patientiā demonstrare debet, quod simplex facilisq; ac in ppatulo subq; dio uictus nequaquam corpori officiat: & id ut credas, en testem me habes, meumq; adeo corpus. Ita certē Diogenē fecisse serunt. Stilbon passim obambulabat, & cōspectu sui corporis multos in suā perduxit sententiā. At Cynicus, cuius miserent, uidetur esse mendicus, atq; ideo auersantur ipsum omnes, offendunturq; ipso cōplures. Itaq; didum conspici ipsum nō oportet, ut sic uisus ne absterreat homines à suo cōgressu, negligentia uerò hæc squa lorq; formę mūditiā quandā habeat, & cōueniendi se quādam illecebrā. Naturalem gratiā quandam Cynico oportet

oportet esse insitam, præterea acumen etiam quoddam & solertiam: alioqui enim nihil aliud est quam muccus. Sic enim instructus facile & appositè omnibus incidentibus fortuitò rebus occurret. Vt quondam Diogenes cuidam interrogatù, num ipse Diogenes esset qui negaret Deos esse: respòdisse dicitur: Quì uero te alioqui putarem ego inimicum esse Dijs: Iterù Alexandro, quum dormiètem offendisset, ac Homericù illud acclamaret, Stertere per totam noctem est haud principe dignum: Mox subiecit Diogenes, adhuc somnolentus:

Cui populi commissi, & tanta negotia curæ.

Ante omnia quidem principem partem animæ puriorem sole esse oportet: si non sit, scurram & circulatoriorem esse necesse est, si aliorù uitia reprehendens, eisdem quoq; ipse teneatur implicitus. Cogita uerò tecum tyrannis his & regibus quid stipatores & arma præstare soleant: istud nimirum, ut possint poenam irrogare, atq; etiam ut malè agentibus & improbis ipsis, qui sceleratè uiuunt adulari queāt. At Cynico loco armorum & stipatorum conscientia potestatem hanc conciliat. Quando enim uideris insomnes ipsum transigere noctes, & laborare ob utilitatem hominum, & proficisci ad somnum puro castoq; animo, ac euigilare rursus puriorem sanctioremq; præterea cogitantem omnia tanquam amicū Dei, tanquam seruum, participem gubernationis Iouis, semperq; in promptu habentem illud,

Quocunq; Iupiter uoles me ducito: &

Fatalis ò necessitas.

Et qui dicere, Si ita usum sit superis, fiat sanè: sic affectus, quam ob causam non sibi usurparet libertatem in loquendo, apud fratres suos, apud liberos, deniq; apud omnes cognatos: Id uerò faciens & hunc ad modum affectus nequaquam censendus morosus est aut curiosus, quoniam nō est sollicitus de rebus ad se nihil pertinentibus:

tibus, quum contemplatur humana, sed in suis proprijs negocijs est occupatus. Si non concesseris, simili ratione dicito imperatorem quoq; curiosum si milites obseruet, si delectum agat, si protegat, si nocentes puniat. Tu uerò si placentulam gerens sub axilla alios uituperas; quidni dicam ego tibi, quare non potius te in angulum quendam recipis, & illic quod surripuisti deuoras? quid enim tibi rei est cum his qui ad te nihil attinent? quis es tu? taurusne, an regina apum? ostende mihi signa principatus tui, qualia dedit apiculæ natura ipsa: sin autem fucus tanquam inuasor alieni regni damnatur, non censes futurum ut te ex concuiuis ejiciant, quem admodum solent fucos arcere aluearijs apiculæ? Hanc itaq; in patiēdo tolerantiam habere decet Cynicum, ut plerisq; uideatur quodammodo sensum nullum habere, & instar esse lapidis. Hūc nemo incessit conuicijs, nemo uerberat, nemo iniuria afficit. Quinetiam corpusculum suum cuiusq; uiolentiæ obnoxium exhibet ac tyrannidi obijcit, memor necessariò à meliore uinci deterius hac parte qua sit deterius. Cæterum corpus multis rebus esse deterius & infirmius his quæ sint ipso ualentiora. Ita in tale certamen descendit nunquam, quoniam nimirum superari queat, abstinetq; se è uestigio ab alienis, nec magnopere contendit de obnoxijs & seruis. Vbiq; uero locus fuerit arbitrio & usui uisorum, ibi uidebis quàm sit oculatus, ut cōparatione eius Argum possis cæcum appellare. Vspiamne assensus eius est præceps? uspiam ne temere ad faciendum aliquid incitatur, aut appetitus eo quo se intendit nō potitur? num aduersis rebus fuga implicatur? num quod studium imperfectum, aut est ne indignatio aut querela, aut abiectio animi, uel inuidia? huc omnem aduertit attentionem, in his nervos suos intendit. Quod pertinet ad reliqua, dormit (ut dicit) in utraq; aurem, pacatus & quietus est, quoniam

quoniam uoluntatis & arbitrij latro nullus est, nullus quoque tyrannus: sed corpusculi est, possessiunculae, magistratum & honorum, at uerò huiusmodi res ei cure non sunt. Quod si quispiam his perterrefacere ipsum conetur, ita sanè loquitur ut submouet ipsum: Agè quare pueros, nam isti metuunt sibi à talibus laruis. Noui ego quod testacea sint, ac intra se terrificum nihil habeant. Tale est atque ita comparatum negotium de quo consilium tu capis, quãobrem si uisum ita fuerit, Deum tibi ob oculos pone, & circumspecte in primis quomodo te præpares. Considera quid Hector dicat ad Andromacham: Agè domum te recipe, & telam exerce: ut bella *In Iliad.* gerenda sint, curæ est uiris, in primis uerò mihi. Etenim conscius sibi fuit ad quam rem se pararet, nec ignarus erat imbecillitatis muliebris.

Ad eos qui recitant orationes generis demonstratiui, & eius in loquendo ac differendo etiam sunt studiosi.

CAP. XXIII.

Quinam uelis esse, primum ipse tecum constituito, deinde fac quæ facere decreuisti. Fieri enim propemodum in omnibus istud consuevit. Qui certaminibus operam suam nauant, dispiciunt quinam esse uelint, dein quæ restant aggrediuntur. Si Dolichodromos esse uelit, certo quodam uictu utetur, item ambulationibus & frictionibus, exercitijsque certis. Si stadiodromos uelit esse, alijs utetur: si Pentathlos, alijs. Haud aliud institutum in artibus quoque reperies. Si faber sit tignarius, talia parabit: si ærarius, & is de suis erit sollicitus. In rebus enim quibusque suscipiendis & tractandis si nullo proposito scopo aberremus, sanè faciemus quicquid erit negotij, temere: atque si respiciamus quò non oportet, effectum quem speramus non potiemur. De cætero autem quiddam commune est quò respiciendum sit nobis omnibus, deinde aliquid proprium, quò singulis.

gulis. Primum est, ut cogites te esse hominem, & in eo subducas rationem quid contineatur, ut ne facias scilicet aliquid tanquam ouis, quamuis mansuetum sit animal: neque uero noceas tanquam fera & immanis bestia. Quum autem singuli se respiciunt priuatim, suū quisque considerabit studium scilicet, suamque uoluntatem. Citharædus se agnoscat ut citharædum, & faber ut fabrum: philosophus se ut philosophū respiciet, & Rhetor se ut Rhetorē. Itaque si inuitaris alios ad te audiendum, & ut tibi recitanti aliquid aures præbeant hortatus fueris, uide primum ne istud facias temerè, quòd si aliquid se offert, quò sit respiciendum: deinde utrum illud sit quo prodesse alijs, an quo tu laudari uelis. Aliquis statim erit qui hoc insurret: Quid mihi opus est applausu multorum: & rectè quidem monebit. Opus enim Musico quia musicus nihil est laudatione, nec Geometræ quia Geometra. Ergo prodesse uis? Sed in quare, dic nobis: ut & ipsi ad te audiendum accurramus. Num potest aliquis prodesse in eo ex quo ipse nullam percipit utilitatem? Non. Faber uero qui non sit, artem nulla re iuuabit: nec qui sutor fuerit, sutoriam. Vis scire utrum prodis philosophæ: in mediū propone decreta tua, quid promittis nobis de tua appetitione ut ea non frustretur, de tua cautione, ut non implicetur? Agè uero ne quid omittamus eorum quæ tibi sumis, dic mihi uerum: aut si animus est mentiri, nihilominus ego tibi subiiciam. Nuper aliquāto tardius dum cōuenirent auditores, nec acclamarent, humilis & abiectus discessisti. Proximè autem collaudatus, obambulabas & rogabas singulos, Quinā tibi sum uisus: admirāndus domine, dispeream. At de illo quemadmodum disserui: quòdnam illud est? Quum descripsi Pana & Nymphas: Supra modum præclarè. Ac ita affectus nihilominus affirmas mihi te in appetendo & cauendo sequi naturam ducem, Abi: & alij istud

istud persuadeto. Nónne illum haud ita pridem laudasti contrà quàm tibi faciendum uidebatur? deinde cuidam adulatus es senatori, uellesne tuos ita effectos esse liberos? Nequaquam. Quare igitur laudasti ipsum, aut uerbis honorificis extulisti? dixisti enim adolescentem ipsum esse bonæ indolis, & cupidum audiendi. Quare hoc dixisti? quia me admiratur. Verissimam causam allegasti. Deinde quid tibi uidetur? Nónne clam isti te irident? Itaq; si quis conscius sibi nullius boni quod uel unquam fecerit, uel cogitarit, philosophum inueniat aliquem qui prædicet ipsum esse magnanimum, simplicem, & integrum, quid aliud censes ipsum dicturum, quàm, Huic aliqua in re opus est opera mea? Aut quæso mihi ostende qua in re magnanimū se gesserit? En tanto tempore tecum uixit, teq; differentem audiuit, legenti aures præbuit, num sese emendauit, num ad se rediit, sensit quantis in malis uersaretur, abiicit opinionem, quærit præceptorem? Quærit præceptorem, inquit, qui ipsum doceat ut sit uiuendum. Nequaquam, stulte, sed quo discat ut sit differendum: nam hac de causa etiam te admiratur. Audi quid ipse dicat. Homo hic artificiosissimè me scribit, multoq; elegantius Dione, & omnino diuersum sequitur genus. An istud dicit, Verecundus est hic homo, fidelis est, affectibus non turbatur? Atq; etiam si diceret, quærerem ex ipso tamen, quandoquidem fidelis hic est, Quid est aliquē esse fidelem? & si quidem explicare id mihi non posset, adijcerem utiq;: Prius discere quid sit quod loqueris, deinde loquere. Sic ergo deprauatus, & inhians laudatoribus, numeransq; auditores tuos, uis alijs prodesse: hodie plures me audierunt multo? Equidem permulti: uidentur enim fuisse quingenti. Nihil dicis, esto fuisse auditores mille. Tot nunquam habuit Dion. Qui fit? Quia eleganti oratione capiuntur, ornata enim oratio uel lapidem mouere posset. En uo-

K

ces phi-

ces philosophi, en facultatē eius qui prodesse possit hominibus, en hominem intelligētem rationum, gnarum Socraticorum scriptorum quoad sunt Socratica. Nōne tanquam Lysiae aut Isocratis haec sum admiratus? Quas respiciens ad rationes? aut si non plures sunt, quā rationem unam affers qua sit Socraticum reliquis praestantius? Enimvero haec secus non legistis atq; cantinuculas. Nam si legissetis ut oportet, nunquam ad ista uos cōtulissetis, nec aliud potius ob oculos posuissetis quā illud: Me quidem Anytus & Melitus occidere quidem possunt, nocere autem non possunt. Et: Ego uerò semper animo sic sum affectus ut mearum rerum nulli equē animum aduertam atq; rationi quācunq; se mihi conuenientissima contemplanti obtulerit. Quocirca quis unquam Socratem audiuit sic loquentem, Scio quid piā & id ipsum doceo? quā potius alium aliō remisit. Itaq; accesserunt ipsum quidam, petentes ut se philosophis commendaret, num deduxit eos & cōmendauit? Non. Num dimittēs dicere solebat: Meus hodie esto auditor: recitabo enim in domo Quadrati. At quid audiā? Vīsne ostendere mihi quod eleganter componas uerba? Vtiq; scitē istud facis. at id quid tibi prodest? Laudato me. Quid est quod tu cēses laudabile? Dic: Ohe quā est admirandus orator. Ecce dico. Quod si laus est id nimirum quod philosophi boni uocabulo exprimunt, habeo quo te laudem, siquidem bonum est, rectē loqui, cupio ex te discere, & postea laudabo. An uerò differentes illos fastidire debemus? Nequaquam. Quoniam ne citharædum quidem cum fastidio audire soleo, num propterea stans debeo ipse quoq; cithara canere? audi quid Socrates dicat. Haud equidem decebit me, ut tanquam adolescentulus meditatam orationem afferens ad uos ingrediar. Tanquam adolescentulus inquit. Reuera enim illud est elegantiae cuiusdā & artis, delectum habere

Et istius mē-
tio saepe fit
in epistolis
u. Plinij.

D. Paulus:
Regnū Dei
non est in
uerbis, sed
in potētia.

habere uerborum, deinde componere, postea uenientem pronunciare aut recitare suauiter. Quin etiam inter recitandum subinde in hanc prorumpere uocem: Assequi ista non multos posse. Frustra igitur obtestans uestram salutē philosophus uos ad audiendum inuitat: Nōne ut sol adducit ad semetipsum, & seipso allicit nos atq; inuitat cibus & alimentum, ita quoq; philosophus allicit fructū à se percepturos: Quisquāme medicus etiā inuitat & hortatur quēpiam ut se curationi suæ committat, ut sua utatur opera? Quanquam audio iam nunc morē illum esse Romæ ut suā sic uenditent operā medici. At cū ego illic essem, hortabātur etiā auditores ac inuitabant ad se philosophi: Hortor uenias ad audiendum, nam bene non habes, & omnium rerum potior est tibi cura quam earum quas præfertim debebas curare. Quin etiam ignarus es bonorum & malorum, miserq; es et infelix. Adhortatio scita. Et nisi philosophi oratio uim istam habuerit, & ipsa pro mortua est habenda, & is qui eam profert. Dicere solitus fuit Rufus: Si tantum uobis ocij est ut me laudetis, dicendo ego nihil proficio. Itaq; sic differebat, ut quisq; assidentium (quicūq; aderamus) sese existimaret ab aliquo esse proditum clam, tam scitē inuehebatur oratione & reprehendebat ea quæ fiebant, ita cuique sua ob oculos ponebat mala. O amici, schola philosophi officina est medici. Non delinotos, sed dolore affectos hinc discedere oportet. Acceditis enim non sani. Est enim cui articulus humeri relaxatus, medici opem postulet, alius aduenit propter apostema, est qui propter fistulam, non nemo etiam ob dolorem capitis medico se committit. Deinde confidens ego in subsellio commemoro sententiolas, & acclamatiunculas, ut uidelicet digressi uos me collaudetis singuli: exeatisq; rursus cum uestris morbis, alij cum distracto humero, hic cum malè affecto capite, quidam

*Istud nostrum
etiam tempore faciunt,
propter auaritiam.*

uerò cum sua fistula, nec non quispiam cum apostema-
te quod attulerat. Hæc nimirū erit causa ob quam pere-
grè proficiscuntur homines adolescentiores, ac suos re-
linquant parentes, amicosq; cum propinquis & posses-
siuncula: ut tibi recitanti epiphonemata, acclament
Ohe, quàm præclare. Istudne Socrates fecit aut Ze-
non, istud Cleanthes? Nōne character orationis fuit
uel adhortatorius (negare autem aut inficias ire nemo
potest) uel reprehendens, uel docens aliquid? Quis un-
quam quantum id demonstratiuum genus adiunxit post
eos quod differendo usurparet? At quidnam est horta-
torem esse philosophum? posse uni aut pluribus osten-
dere discordiam in qua uoluntur. Item quòd res quas
libet magis curæ sibi patiantur esse, quàm eas quarum
sint cupidī. Omnes enim cupiunt & uolunt ea quibus
promouetur quispiam ad felicitatē, sed alibi eam quæ-
runt. Vt autem quod uolunt consequi ualeant, mille po-
ni subsellia oportebit, adeò conuocari perquam pluri-
mos auditores, te magnificè ornatum amictu quopiam
uel pallio ascendere ad pulpitem, describere ut mortem
obierit Achilles. Desistite tandem (per deos) honestas
res & uoces, quantum in uobis est, ignominia affice-
re: nihilo enim auditorem alacriorem ad studia fecerit,
si differens ostendat, his rebus ipsis opus esse. Aut dic
mihi, quisquāme fuerit qui te uel recitantem uel dis-
ferentem audiens, ob hanc causam de se fuerit anxius,
aut ad sese sit reuersus, aut qui discedens dixerit: Bellè
me reprehendit philosophus, amplius ista facienda mi-
hi non erunt. Nōne quando recitando plurimum ad-
mirationis captasti, si quis eleganter te alicui affirmeret
recitasse historiam Xerxis, mox alius erit qui istud ne-
get, & pugnam ad Thermopylas gestam scitè explica-
tam contrā contendat? Id nimirum auditionem philos-
ophi esse putabimus,

Quòd

Quòd non oporteat perturbari animo in his quæ ad nos nihil
pertinent. CAP. XXIII.

QUòd respectu alterius contra naturam euenit, id
ne tibi quoque malum sit cauebis. Non enim sic
natus es ut alijs oppressis & deiectis, tu quoque deijcia-
re: aut aduersa fortuna afflictis, eandem tu experiaris
fortunam: sed potius, ut simul cum illorum rebus secun-
dis prospera fortuna fruaris: & quando minus secunda
forte quis periclitetur, memento quòd miseriam hanc à
seipso habeat. Deus enim uniuerfos homines procrea-
uit, ut sint beati, & ut optimi status sint compores. Id ut
possint adipisci, ingenerauit appetitus, cuique largiens
propria & sua. Cæterum aliena sunt quæcunque uel pro-
hiberi, uel cogi, uel adimi possunt: sed quorum contrà
est ratio comparata, propria sunt, quæ impediri scilicet
nequeunt, nempe substantia hæc est boni, & mali. De-
inde (quod res postulabat) aliquid quod nostri curam
gereret, & paterna quadam custodia, & tutela propria
nostra tueretur. At discessi ab illo, & dolore inde affe-
ctus est. Quamobrem quæso propria & sua esse duxit?
Quæ causa fuit quòd uidens te, gaudius est: Non potuit
cogitare, te esse mortalem: potuisse rursus hinc abire?
Igitor poenas dat suæ stultitiæ. Tu uerò quare mœstus
es, aut quamobrem desles teipsum? An quia, ne tu qui-
dem ista es meditatus, sed tanquam mulierculæ nullius
precij, gaudius es huiusmodi rebus presentibus à quibus
te auulsum iri nunquam sperasti? Locis scilicet, homini-
bus, conuersationibus: Et nunc sedens ploras quòd eos-
dem nō uideas, quòd in eisdem non mansites locis. An
istud te dignum erat quo nimirum & coruis & cornici-
bus esses deterior? His enim quocunque libuerit auolare
permissum est, ac nidos suos trāsferre, maria item tran-
uolare: nec priora deplorant relicta, neque absentia desi-
derant loca. Ita quidem faciunt, sed hoc modo tamen
K 3 afficiun-

afficiuntur, quia rationis sunt expertia. Verum nobis ne ratio concessa est, ut miseris aduersisque rebus, afflicti dolentesque uiuamus? Itaque aut omnes consistite immortales, nec in alias uos cōferte regiones. quare & nos manebimus, & non aliquò peregrinabimur, tanquam stirpes radicibus in terram defixæ, & ex familiaribus si quis discesserit, sedentes ploremus: si reuertatur iterum, saltemus & plausum demus tanquam pueri. Nosmetipsos uerò quando ablaetare uolumus, & recordari eorū quæ ex philosophis didicimus? Nisi fortasse eos tanquā poetās audiuius differentes, mūdum hunc esse unā quandam ciuitatem, eiusque substantiam ex qua sit factus, esse unam. Præterea in eo esse periodum quandam, & uicissitudinem qua cedant alia alijs: & hæc quidem dissolui, illa uerò nasci: & hæc quidem manere eodem cardine defixa, illa uerò moueri. Plena uerò omnia esse amicorum, & primū quidem Deorū, postea uerò hominū quos natura beneuolentia mutua coniunxerit. Quo accidit ut adesse præsentēs quosdam quibusdam oporteat, quosdam uerò discedere: & cum præsentibus quidem simul lætari, de absentibus autem nō dolorem capere. Cæterum homo præter id quòd natura magno & excelso præditus est animo, & quod potest omnia hæc quæ in potestate arbitrij ipsius non sunt despiciere, etiam id habet à natura, quòd radicū fibris affixus terræ non est, sed huc atque illuc uagari potest, aut usu quodam id postulante, aut etiam si uelit cognitionis gratia, et uisendi regiones alias causa obambulare: quod fecisse Vlysem quoque accepimus, namque is

Multorum mentes hominum cognouit, et urbes.

Et ante hunc ferunt Herculem quoque perlustrasse terras omnes cōtemplantem iniurias hominum, & obseruantem eos qui equitatem & ius colerent, & illarum quidem uindictam profligasse, ac repurgasse eas, hanc uerò

uerò introduxisse ut coleretur & seruaretur. Et hac qui-
 dem de causa, quot illum amicos Thebis itemq; Argis
 habuisse censes? Quot uerò Athenis, omnibus denique
 his locis quæ peragrauit? Idem cum tempus legitimum
 aduenisset ducēdi uxorem, duxit, procreauitq; liberos,
 quos reliquit etiam post se multos: nō ingemiscens, aut
 multo ipsorum desiderio flagrans, nec tanquam pupil-
 los relinquens. intelligebat enim neminem hominem
 esse orphanum, sed patrem esse qui sine intermissione
 omnium curā gerat. Non enim auribus duntaxat acce-
 perat patrem esse hominū Iouem, sed etiam suum arbi-
 tratus esse patrē: ac ita ipsum sanē appellabat, ad eumq;
 respiciens fecit quæ facienda sibi esse duxerat. Etenim
 ubique gentium beatē uiuere ei licebat. Nequit autem
 ullo modo fieri, ut conueniant scēlicitas, & desiderium
 non præsēntium. Quoniam beatum habere oportet o-
 mnia quæ expetit: uerisimile enim est abundare ipsum
 omnibus rebus, non siti etiam affligitur, non fame. Sed
 Vlysses ut fuit animo commotus scēminæ conspectu, &
 in petra sedens cum fleret? In omnibus ne Homero ad-
 uertis animum, nec fabulosum illud censes? Quod si re-
 uera fleuit, quid aliud quā miser fuit? At quānam bo-
 nus & honestus infelix est? Misere profectō, & præpo-
 sterē rerum uniuersitas gubernabitur, si suos non curat
 ciues Iupiter, ut nimirum, quemadmodum ipse, beati
 sint. Sed id sentire nefas est, flagitium est cogitare. Ve-
 rū Vlysses siquidem flebat, & lachrymabatur, bonus
 non fuit. Nam qui bonus est? Num is qui nescit qui sit?
 Sed quomodo is scire poterit qui oblitus fuerit quæ na-
 ta sint atque orta, ea rursus occidere? Et qui item igno-
 ret hominem, cum alio semper uitam agere homine nō
 possit? Quid ergo est cupidum esse eorum quæ fieri non
 possunt? Seruile & stultum. Hospitis & non ciuis, si
 quoad possumus opinionibus saltem nostris Deum op-
 pugnemus,

Cum uide-
 licet Alci-
 noi filiam
 Nausicaā,
 ut est in O-
 dysses, ui-
 disse.

pugnemus. Mater porrò mea discessu si me orbata fuerit, ac postea me non uideat, dolebit. Quamobrem non ipsa quoque didicit has rationes? Nec istud eò dico, quòd curare ipsam flentem non debeas: sed quòd non studio propensus esse ad aliena debeas. At tristitia pertinet ad alium, tua non est, nisi tui ipse eam animo caperis. Quare ego quod in me est situm, curabo ut penitus submoueam: quod in alterius est potestate, tētabo pro uiribus euellere: ut penitus id faciam, non enītar. Si istud non fecero, bellum Dijs intulero, opposuero me Ioui, obiecerō me ei, non respiciendo uniuersitatem rerum. Conatus porrò, & molitiones has theomachiaē atque inobedientiaē, istius non modò nati natorum luent, totaque posteritas: sed ipse etiā dies noctēsque persoluam poenas, exiliens lecto, perturbatus quouis allato nuncio, missis aliunde epistolis contremiscens, ex rebus alienis suspensam habens credulitatem. Aduenit quispīam Roma. Modò nequid mali. At quidnam tibi euenire potest mali illic ubi non es? Ex Grācia uenit. Ne quid infausti nunciet. Ita quiuīs locus tibi terroris causa esse potest. Satis tibi non est illic ubi sis duntaxat esse miserum: a seiscis alifunde tibi miseras, quas per maria & per literas consecreris. Itāne uerò bene constitutas res tuas arbitraris? Quid ergo, si obierint tui quos isthic habes amicos? Quidnam aliud dicerem, quā mortales fato suo esse functos. Aut quāso te qui cupis simul consenescere, & tuorum quos amas nullum inspicere funus? Nescis, diuturna uita multis & uarijs rebus casibus que nos periclitari? Et hunc inuadi à febrī, alium à latrone, quīn etiā à tyranno quempiam male mulctari. Sic infesta nobis sunt, & aer qui nos circumdat, & quibus etiā cum uitam agimus, frigora, calores, ingurgitatio immoderata, itinera, nauigatio, uenti, uaria negotia quibus implicitus hic perijit, alius in
militiam

militiam coniectus est, alius ut aliquò legatus abiret.

Si uis ergo, causa illorum omnium sedeto obstupescens, lugens, miser & calamitosus, ex alijs & his innumeris rebus suspensas uitæ tuæ rationes habens. Audisti ne hæc ex philosophis, talia ne didicisti? Nescis cuiusmodi res sit militia? Et quòd hunc in statione quidam esse, illum uerò egredi, & exploratorem esse, alios autem prælum committere oporteat? Ut omnes eodem fungantur munere fieri nequit, nec melius certè esset. Tu uerò iussis imperatoris non auscultans, si *Vocationes sunt uariæ, & dissimiles.* quid iniunctum tibi sit asperius, quereris, & non intelligis quantum in te sit, quemadmodum totum exercitum depraves. Nam si omnes uelint te imitari, nemo fossam faciet, nemo iaciet uallum, nemo uigilabit, nemo ullum adibit periculum, uidebiturque in militia uersari homo nulla in re utilis. Iterum in nauis uentris, uno loco te contine, ei que perpetuò sis affixus.

Si conscendere malum oporteat, recusato: si procurare in proram, renue, quis tandem te feret, gubernator? Nonne tanquam uos inutile abijciet? Quum sis nihil aliud, quàm impedimentum, & malum exemplum aliorum nautarum, Haud longè secus res quæ nostræ sunt comparatæ. Militia est cuiusque uita, *Job: Militia est uita hominis super terram,* & diuturna quidem ac uariâ. Obseruare decet militis obedientiam, & quæ imperator iusserit facere omnia, etiam coniectura quid uelit colligere. Similes non sunt huius & illius militiæ imperatores, nec robore, nec præstantia sapientiæ. In magno exercitu militem te geris, nec gregarius es miles, sed perpetuus consiliarius. An nescis talem qui ordines ducat, rebus domesticis non posse occupari, plerunque uerò legatum agere, aut cum imperio, aut alij subiectum imperanti, aut militaria exequentem munia, aut controuersiarum iudicem? Deinde uis tu tanquam stirpes uno affi-

xusteneri loco? Et quasi radicum fibris impactus hæ-
 rere? Sed iucundum illud est. At cupiditas sunt etiam
 suaves, & elegans foemina grata est. Nunquid aliud
 dicunt qui finem rerum uoluptatem esse dicunt? Ani-
 maduertis quorum hominum uocem emiseric, Epicu-
 reorum scilicet & cinædorum. Itaque quum eadem
 agas quæ faciunt illi, eademque sentias, disputationes
 nobis Zenonis, & Socratis proferes, quin abijcis tan-
 quam alienissimas à te longissimè? Quibus exornare
 te nihil ad te pertinentibus conaristamen? Nunquid
 aliud isti delicati uolunt, tanquam somno se dare nullo
 impediante, nullo etiam cogente, experrectos con-
 cinne indui, lauare faciem, deinde scribere, & legere
 quæ uelint, postea fabulari aliquid ut laudentur ab a-
 micis, si quid ab his scite dictum fuerit. Mox ad deam-
 bulandum procedant, & parumper obambulantes se
 conferant. Deinde in balneum, cibum capiant, & à
 cibo dormitum se in lectum recipiant, quo delecten-
 tur etiam talibus uoluptatibus, quibus talium rerum stu-
 diosos delectari consentaneum est. Sed dixerit mihi
 aliquis (facile enim istud conijcio) Agè recita & mihi
 tuæ uitæ consuetudinem qua delectaris, quaque æmu-
 lari studes ueritatem, quam tribuis Socrati, & Dio-
 genī? Quid Athenis uis facere? Eadem hæc. Nun-
 quid aliud? Quamobrem igitur Stoicum te esse dicis?
 Proinde qui in republica Romanorum fraudulenter
 & insidiosè se gerunt, grauibz afficiuntur supplicijs:
 eos igitur qui rem tantam & eximiam falsis sibi usur-
 pant titulis, impunitos abire permittemus? An uerò
 fieri illud nullo modo potest? Lex enim diuina, & ef-
 ficax, & ineuitabilis hæc est, quæ poenas exigit grauissi-
 mas ab his qui in rebus maximis peccant. Ea quida-
 nam statuit? Qui sibi arrogat ea quæ ipse non habeat,
 sit arrogans, & uanæ gloriæ cupidus, rebellem se ex-
 hibens

Lex Dei in
 impijs, est
 uermis qui
 non extin-
 guitur.

hibens diuinæ gubernationi. Præterea sit abiectio animo, sit seruus, doleat, inuideat, misereatur: & ut in pauca conferam, miser sit, fletat. Quid igitur, uis ipsum, cum sit talis, me curare? Et hac de causa fores ipsius accedere? Siquidem id ratio mihi suaserit. Vt patriæ, ut parentibus, ut propinquis, ut hominibus uniuersis pro-
 sis, quare non ires? Accedere sutoris domum, si opus sit calceis, turpe non esse existimas: nec hortulani, si habere uelis lactucas: aut si indigeas alio quopiam, à diuitum ædibus non abhorres? Ita certè facio, sed su-
 torem non admiror, nec adulator hortulano, nec opus lento: sed ut consequar id quo mihi est opus, alioqui enim quo pacto adipiscerer? Ego tibi ostendam, tan-
 quam adepturus proficiscere, & non tantum ut id fa-
 cias quod te decebit. Quæ igitur causa mihi eundi erit? Quia officij est tui ut eas, ut præstes munus quod à ci-
 ue exigitur, ut fratris, ut amici. Deinde quod reli-
 quum est, cogita te sutorem accedere, hortulanum nula
 la potestate aut dignitate insigni præditos. Quamuis
 sua magni æstiment, attamen tanquam empturus lac-
 tuucas ito, precium erit obolus: talento non æstimantur.
 Res igitur digna propter quam olitoris fores ac-
 cedas. Ibo causa differendi, ita faciam & differam: At
 manus etiam deosculari oportebit, & laudando adu-
 lari, quin abis etiam, quoniam res est æstimanda ta-
 lento. Respuo illud, quia non prodest nec mihi, nec
 ciuitati, nec amicis, perdere uidelicet ciuem bonum
 & amicum. At uideberis aliquid non prius delibera-
 se, si facere recuses, iterumque oblitus uideris eam rem
 gratia cuius ueneras. An nescis uirum bonum, & ho-
 nestum nihil facere hac de causa ut uideatur, sed ut fa-
 ctum aliquid sit rectè? Quid uerò prodest ei id ipsum
 rectè facere? Quid prodest quæso scriptori, si Dionis
 nomen ut oportet rectè scripserit? Illud ipsum, rectè scri-
 bere.

bere, ei prodest. Nullum inde præmium accipit: Tu
 uiro bono maius præmium propositum censes, quam
 esse honesta, & iusta: In certamine Olympico aliudne
 requiris, satisque tibi uidetur si coronare uictor: Itane
 uerò minutum & exiguum uidetur, esse bonum, &
 honestum, & beatum uirum: Ad hæc exequenda à
 Dijs cum sis in hanc ciuitatem collocatus, & iam tui
 sit muneris præstare ea quæ deceant uirum, præberi ti-
 bi titulus, & porrigi mammas uoles, & stultæ mulieru-
 culae flecent animum tuum atque effœminabunt, nec
 desines unquam esse minutus pulio. An nescis quo sit
 aliquis grandior natu, faciâtque puerilia, eo magis ri-
 diculum ipsum uideri: Athenis ne uidisti neminem
 dum uentitares ad ipsum: domum: Vtique cuius e-
 ram cupidus uidendi. Talem quoque & hic uidere ti-
 bi sit propositum, & uidebis nimirum etiam quem uo-
 les. Tantum id caue, ne quid abiecte facias, ne appe-
 tendo aut declinando parcas, & senties te præclare ha-
 biturum. At istud positum non est in accedendo, nec
 cōsistendo ad fores, sed intus est inclusum in animi de-
 cretis. Quādo scilicet pro nihilo habueris res externas,
 & sub arbitrium nostrum non cadentes, earumque re-
 rum nullam putaueris tuā esse. Tua enim sola hæc sunt
 & propria, iudicare recte, opinari, aggredi, appetere,
 declinare. Vbi locus præterea relinquetur adulationi,
 ubi humanitati: num adhuc requiris ocium & quietem
 isthic, consueta loca: Sustine & expecta parumper, & a-
 lijs non minus consuetis uteris. Deinde rursus si mollis
 es & delicatus, his relictis denuo ingemiscito & doleto.
 A ratione hac qui potero charitatem meorum obtinere:
 Sis utiq; amas tuorum, ut generosum serues nihilomi-
 nus animum, & foelix sis. Non enim tibi suadebit non
 ut te abicias, ut fracto sis animo, ut suspensas rationes
 ex alio habeas, nec accusare Deum, aut indignari con-
 tra ho-

tra hominem. Ita mihi esto amans tuorum, ut hæc in primis custodias. Quod si propter huiusmodi charitatē (quam tu subinde *φιλοστοργίαν* appellas) seruum te oporteat fieri & miserum, utiq; non proderit esse *φιλοστοργον*. At quid uetat quo minus aliquem amemus ut mortalem, ut aliquando peregrè profecturum? An Socrates suos non dilexit liberos? sed ut liber, & memor quod primum dijs oporteat esse amicum. Quo consecutus est ut quod deceret bonū uirum nihil negligeret, nec quando se defenderet, nec dum reprehenderetur, neq; etiam antè cum in consiliū ascisceretur, aut in militia uersaretur. Sed nobis omnis occasio ut ignauissimus suppetit. Quibusdam est filius, alijs est mater, alijs fratres. Sed propter neminem decet infelicitè agere: uerū bene & beatè propter omnes, in primis autē propter Deum, qui ad huiusmodi nos condidit studia. Agè dic: Diogenesne amauit neminem? quem constat fuisse tam mansuetum & humanum, ut propter cōmunem hominum utilitatem, tantos labores & æumnas sustineret corporis, tantaq; id faceret patientia. Sed amauit. Sed quomodo? Ita ut par fuit Iouis ministrum, simul ut curam gerens, simul etiam ut subiectus Deo. Quamobrem soli huic omnis terra fuit patria, unā alij non præponebat: quin etiam captus non desiderabat Athenas, neque eos qui illuc erant familiares & amicos, sed cum piratis agens familiariter uiuebat: & si quando res postulabat, eos castigare fuit solitus. postea in Corinthum uentus, illic ita uersabatur ut olim Athenis, nec aliter ad Perabos profectus se gessit. Ita nimirum celebrantur Eleutheria, hanc ob causam dicere fuit solitus: Antisthenes me libertate donauit, posthac nunquam obnoxium me feci. Quomodo liberū fecit? audi quid dicat. Docuit quæ mea essent, & non mea. Possessio mea non est: propinqui, familiares, amici, fama, loca cōsue-
L 3 uersatio,

uersatio, omnia hæc aliena sunt. Tuum uerò quid est? Vfus uisorum, cum ostendit mihi quòd liberū habeam, quicquid non possit cogi, aut impediri, aut uiolenter obtrudi, ut aliter nimirum ijs ac libeat utatur quispiam. In cuius deinceps potestate, aut cuius obnoxius sum? Num Philippo, num Alexandro, aut Perdiccæ, uel etiam Magno regi? At quo pacto istud in me caderet? Qui enim inferior esse aut uinci ab hominibus debet, cum antea superari à rebus (quas magni faciunt homines) oportebit. Itaque quem uoluptas non uincit, aut labor, aut gloria, aut diuitiæ, quin etiam potest, si uideatur, ita faciens dum, uniuersum corpusculum aduersus quempiam respicere ac sic discedere, cuiusquam ne ille seruus esse poterit? aut cuius erit obnoxius aut deditus? Si suauiter Athenis uixisset, & hac consuetudine exhibuisset se inferiorem, sua nimirum in alterius cuiusque potestatem tradidisset. Affligere enim & premere ualentior dominus eum potuisset. Vtrum blanditus piratis tibi uideatur, quo nimirum uenderent ipsum alicui Atheniensium, ut aliquando reuertens iucundum Piræa inspicere, & Longa mœnia, itemque arcem: ut esset aliquis, quamuis mancipium, seruusque & abiectus, commodum tamen inde aliquid caperet? Non fuit talis, sed liber fuit. Ostende quomodo liber? Ecce tibi, correptus ab aliquo abduceris, qui te abripiens à consuetis tibi rebus ac studiis dicit: Seruus meus es, in mea enim est potestate prohibere quo minus uiuas ut libet, possum te indulgentius habere, aut si uideatur durius premere. Iterum gaudes, & elato animo proficisceris Athenas. Quid porro cum illò qui te in seruitutem hanc coniecit, disputas? quàm te exhibuisti ei fructuosum, ac ne mutire quidem contrà audes. Omisissis uerò rationibus multis supplicem te exhibes, ut domum dimittaris. O homo, contrà potius fieri oportebat & abire

*κατα τὴν
proprium
est nomen,
non appel-
latum.
Xenophō.
eodem usus
est in pri-
mo Hell.*

abire in carcerem summo cum desiderio, potius properantem, atque adeò præcurrentem duciores. At quam ob causam Romæ tu inuitus detineris? Gratiam uerò uidere desideras? Si necesse est mori, lacrymas nostra causa fundis, quòd amplius Athenas uisurus non sis, & in Lyceo non ambulaturus. Ideò ne peregrinatus es, hanc ob causam quælisti aliquem cuius usu familiari fructum perciperes, & disceres aliquid, sed quidnam? Promptius ut syllogismos iudicares, ut hypotheticis ritè uti posses? Ea re fratrem, patriam, amicos familiares reliquisti: ut hæc callens domum repperes. Ergo non propter bonum uitæ statum discessisti, non propter tranquillitatem, non ut extra omnem fortunæ aleam positus, nemini iratus esses, neminem incusares, nemo te iniuria afficeret, & ut erga res uniuersas ita te haberes, ut nulla tamèn impedireris, non ob præclaras has nundinas es missus? At propter syllogismos opinor & metapirontas atque hypotheticos uenisti, quos si uideatur tibi in foro sedens uendita tanquam pharmacopolæ. Enimvero non pudebit profiteri quæcunque didiceris ea te scire, ut ne tãquam inutilia theoremata damnare uidearis. Quid mali tibi philosophia fecit? qua iniuria te affecit Chrysippus, ut ipse labore tu opere tuo coargueres tanquam inutilis? Non satis tibi fuit malorum quibus domi angere: quot fuerunt causæ quibus doleres, quibus lugeres, etiam peregrinationem suscipere oportuit? Alijs enim comparatis amicis & familiaribus, plures causas habebis plorandi, quinetiam amore alterius regionis afficere. Quamobrem ita uiuis, ut tristitiam unam super aliam haurias, qua malè habeas, & id ipsum philostorgiam appellas? Cuiusmodi est hæc *philostorgia*? si bona est, utique nullius mali causa esse poterit. Sin mala, nihil mihi rei est cum ea, Meis enim bonis nasci me uoluit

luit natura, malis non sum procreatus. Sed in his quæ
 exercitatio? Prima & eminentissima & principalis,
 & in aditu ac foribus primò occurrens, ut nulla re affi-
 ciaris animo, quæ tibi eripi possit. Cuiusmodi hæc au-
 tem sunt? eiusmodi sunt ut olla est, ut poculum uitreū,
 quæ si sint diffracta, memoria repetens qualia sint, per-
 turbari tene sinas. Idem usu quoque in reliquis venit.
 Si deames filium aut fratrem, aut amicum, nequaquam
 relaxes frena phantasiæ, ut deuinciat sese omnibus, aut
 per omnia sese explicet, & quousque libuerit excu-
 rat: sed adducito & cohibeto, ut faciunt qui à tergo
 triumphantibus assistent, subinde eos ut se homines
 esse meminerint commonefacientes. Tale quiddam
 tibi quoque subiice, quòd uidelicet mortalem ames, &
 non ames quod propriè sit tuum, in præsentia conce-
 sum esse, nec esse tale ut priuari eo nequeas, sed omni-
 no esse tanquam ficum, tanquam botrū tempestatibus
 anni certis quæ solemus accipere. Eadem si hyeme de-
 sideres, stultus es, quando tum filium aut amicum desi-
 deras quo tempore non datur, perinde facis atque si hy-
 berno tempore expetas ficum. Vt enim sese ad ficum
 habet hyems: ita ad omnia quæ in hac rerum uniuer-
 sitate fiunt, sese habent quæ propter ipsius uicissitudi-
 nes desinunt esse. Quod restat igitur fac rebus his, qua-
 rum præsentia & usu uoluptate afficeris, contrarias eis
 apud te phantasias oppones. Ecquid mali, interea dum
 filiolum deoscularis, similiter balbutiendo ipsum sic al-
 loqui, Cras morieris: ita amicum, Cras peregrè abibi-
 mus aut tu aut ego, non amplius nos mutuo uidebi-
 mus. Sed inquires, Mali ominis ista sunt: at sunt etiam
 incantatorum nonnulla, ab his tamen quia prosunt,
 non abhorreo. Satis igitur est si conducant. Aliāne tu
 appellas mali ominis quam quibus malum quoddam si-
 gnificatur? mali ominis & nominis est, metus, uacor-
 dia,

Multa in
 hanc senten-
 tiam præcla-
 re & erudi-
 tē disputan-
 tur in Phæ-
 done apud
 Platonem.

dia, luctus, tristitia, impudentia, nomina hæc sunt inauspicata: quanquam his quidem abstinendum, ut res conferuentur saluæ. Proinde tetrum & inauspicatum nomen id censes, quo significatur naturale quiddam: ita mali quoque ominis erit, demetere segetem, abolitionem enim eius significat, at non mundi, item nefanda erit arborum amissis folijs nuditas, & item pro ficu fieri ischada, & pro uuis passulas, omnia enim hæc sunt priorum in alia quædam permutationes, non interitus, sed dispensatio quædam & gubernatio ordine quodam descripta, Peregrinatio scilicet & discessio parua, id ipsum quoque mors, sed mutatio maior. Non enim permutatur morte id quod est, in id ut omnino non sit, sed ut modò non sit. Amplius non ero, non eris, quidem, sed aliud quid eris, istud nimirum quod nunc indiget mundus. Quamobrem bonus & honestus uir secum reputans qui sit, & unde uenerit, & à quo sit generatus, in eo defixas duntaxat suas habet cogitationes, ut suum tueatur locum uicibus rerum atque Deo obsequens. Qui si me uiuere uelit, uiuam utique ut liber, ut excelsio animo dignum, ut tu mihi præscripsisti. Etenim tu in meis rebus me effecisti ut impediri non possim. At amplius mei usus nullus est, tibi uero habeo gratiam: nam huc usque tua causa permansi, nec alterius cuiusquam gratia affui, nunc tibi obediens discedam rursus. Sed quomodo hinc abibis: iterum ut uoles, ut uisum tibi fuerit, ut liber, ut seruus tuus, ut animaduertens ea quæ iussisti & item quæ uetuisti.

Quoad autem isthic uersor & sum, eo statu uolo esse quo iusseris, magistratus, priuatus, consiliarius, publicus miles, imperator, pædagogus, paterfamiliâs: quemcunque locum aut ordinem mihi assignaris, tuebor: & ut Socrates loquitur, millies prius mortem oppetam, quam stationem meam deferam. Vbi uis me esse? Ro-

*Ischad est
Græcis ficus
sicca.*

M mæne

ma'ne an Athenis, an Thebis an in Gyaris: tantum
 ubicunque fuero, ibi tu mecum sis. Si miseris illuc, ubi
 secundum naturam producere uitam longius non pos-
 sunt homines, nonne tibi discedens inde egrediar: aut
 tuo nutu tuâque uocatione tanquam signum dante re-
 ceptui, inducam nequaquam ut te relinquam. Nequa-
 quam faciam. Siquidem sentio me tibi amplius nul-
 li fore usui. At concessa si fuerit facultas mihi se-
 cundum naturam prorogandi uitam, non quaeram a-
 lium locum, quam eum ubi sum, neque etiam alios
 homines quam quibus cum uersor. Hæc dies noctes-
 que in promptu habeas, hæc scribenda, hæc legenda,
 has rationes perpetuo tecum ipse reputabis, conse-
 res cum alio, & sciscitari nunquid habeat quo te iuuare
 possit, & subinde alium atque alium conuenire debes.
 Deinde si quid euenerit eorum quæ in potestate non
 sunt arbitrij nostri, è uestigio molestia te liberabit, quod
 scilicet non ex improviso tibi istud occurrit. Magnum
 enim est & eximium in omnibus rebus, quum hoc u-
 surpari poterit. Sciebam mortalem genuisse. Ita te-
 ipsum quoque alloquere, Noui me mortalem esse, scie-
 bam peregre abiturum, sciebam me posse è patria eijci,
 in carcerem posse conijci. Deinde si tecum ipse reputes,
 & quasi eris locum ex quo istud tibi euenerit, statim in-
 telliges quod ex numero sit non uoluntariorum, non
 meorum. quid igitur istud ad me? Postea præcipuum
 id est, Quis obiecit mihi illud? Imperator, aut dux, aut
 ciuitas, lex ciuitatis? quod ergo exigitur, dabis: sem-
 per enim oportet legi obedientem se præstare in omni-
 bus. Quod si momorderit te phantasia (nam id quo-
 minus fiat, non est in potestate tua) ratione eam expur-
 gna, uince eam, & confirmari eam ne permittas: nec
 permitte te ei ut in eos qui deinceps sunt errores abdu-
 caris, semper quod libet & ut libet fingente & adum-
 brante

brante sibi aliquid. Si fueris in Gyaris, uitam quam egisti Romæ tibi ne repræsentantes, nec delicias in quibus sis uersatus quum illic esses, item quot contingere possent huc reuertenti. In id potius nervos intendito, ut oporteat, agentem in Gyaris, in hisipsis fortiter se gerere. Et Romæ si fueris, ne adumbra ut olim uixeris Athenis: sed de mansione potius qua commorandum isthic tibi erit meditare: proque omnibus alijs quibus aliquando fuisti affectus lætitijs, hanc unam arripe quæ inde efflorescit, quum intelligis sequi te, & obedire Deo. nec duntaxat uerbis, sed re ipsa boni honestique uiri præstes officia. Quanti quæso faciendum, si quis ita secum ipse loqui potest? Quamuis alijs nunc in scholis grauius de his rebus, & contra quam uulgi ferat opinio disputare uideantur, ego tamen in præsentia re ipsa præsto huiusmodi. Et hi quidem confidentes meas interpretantur uirtutes, deque me quæstiones instituunt, ac me laudant. Iupiter uerò huius ut ego in me ipso periculum facerem animi, noluit: ipse autem explorare, an habeat militem qualem esse oportet, ciuem qualem res postulat, adeoque testem prouocare me alijs hominibus de his quæ non cadunt sub arbitrium nostrum, constituit, sic illos admonens: Videte ut uos sine causa estis timidi, ut frustra estis cupidi eorum quæ concupiscitis. Bona quæ sunt extra uos, ne quærite, in uobismet ipsis quærite: si non feceritis, non reperietis. Et me his conflictari modò Deus uoluit, ut perspicua hæc essent: & illuc etiam misit, pauperem exhibet me coram hominibus, dignitate carentem, ægrotum in Gyara mittit, in carcerem conijcit, num odio aliquo mihi infestus? nequaquam. Nam quis odisse seruum suum, qui præsertim sit bonus & frugi, potest? qui nihil faciat oscitanter, ac ne in minimis quidem negligens sit, sed ut exerceat, & tanquam testes contra plerisque alios

*Christum in
euangel.*

*Quærite, et
inuenietis:
pulsate, et
aperietur
uobis.*

M 2

producere

producere eos possit. Proinde huiusmodi præfectus munerî, præterea cogito ne ego ubi sim & cum quibus, qui sermones de me habeantur: an non totus me intendo in Deum, eiusq; præcepta & iussa meditator, habens illa semper in manibus, atque ipse me in his exerceo: semper in promptu habens ut opus mihi non sit consolatore aliquo, aut eo qui me confirmet: Turpe equidem est, non si nihil habeas quod comedas, sed rationem non habere quæ tibi sufficiat ad confirmationem animi. Si semel adeptus sis indolentiam animiq; robur, quo pertimescas nihil, ecquis tyrannus erit tibi, aut stipator, aut Cæsariani quinam erunt, quæ uerò ordinatio te mordebit, aut quinam sacrifici in Capitolio optica sacra facientes, tantum uidelicet imperium à lo-

*Etenim uir
tus (ut Cice
ro inquit)
magnum sibi
ipsum est thes
aurum.*

ue consecutum: tantum ne ostentes illud, aut de teipso arroganter sentias: uerum opere ipso ostende, & etiam si nullus sit spectator, tibi ipsi tamen satis sis ut rectè ualeas, & foelicitate fruaris.

Ad eos qui in proposito non perseverant.

C A P V T XXV.

Considera quid incipiens proposueris tibi, & in quibus superiorem te præstiteris, in quibus uerò non, & quomodo. Memoria quoque repetens è quibus uoluptatem, item unde dolorē caperis. Et fieri si poterit, repete & illa in quibus prolapsione quadā aliquādo cecidisti. Maximo enim certamine occupatis nō languescendum, sed accipiendæ plagæ etiā sunt. Certamen enim nō est propositum, ut lucta aut pancratice agone superes, quo siue potiatur aliquis, siue non potiatur, potest nihilominus, aut alicuius, aut nullius esse præci, & mehercle potest, aut foelicissimo, aut miserrimo statu esse. Nec uerò si succubamus, prohibemur in hac pugna quo minus denuò decertemus, nec expectare opus est

pus est quadrienniū aliud quo redeant, iterū Olympia
 alia: sed statim respirāti & colligenti se, eademq; prom-
 ptitudine affecto denuò pugnare licet: & iterum si non
 obtineas, aggredi licebit. quòd si semel uiceris, similis
 ei es qui succubuit nunquam. Istud tantum curato, ut
 ne propter consuetudinem crebram incipias delectari,
 cum peccando quid commiseris, ac de cetero tanquam
 præclarus athleta si subinde reuertatur certamen acce-
 das ut uictor, similis effugientibus coturnicibus. Vin-
 cit me phantasia filioli belli, ne propterea dixeris, Num
 antea charitate eius non uincebar? Ridendi aliquem
 libido me tenet, ne ita te excuses: Num prius nō fui so-
 litus illudere alicui? Ita nobis loqueris, quasi impunis
 sic discedas. Perinde atque si medico prohibenti ne la-
 uet, respondeat quispiam, Nōne prius etiam laua-
 bam? Quidni medicus uicissim ei sic dicat: Agē uerò
 postquam lauisti quid perpeffus es, nōne febris cor-
 reptus? Nōne laborare capite cœpisti? Quamobrem
 tu quoque irridens aliquem, improbè morati hominis
 opus nōne fecisti? Nōne futilis & leuis? Nōne au-
 xisti habitum illum suppeditans ei consentaneas actio-
 nes? Desiderio puelli uictus, num discessisti impunis?
 Quid mihi commemoras pristina? Satiū erat abstine-
 re à talibus peccatis, memorē plagarum ut serui solent.
 Quanquam omnino similia hæc non sunt. Nam serui
 ob dolorem meminerunt. At ex peccatis quales obo-
 riuntur dolores, quales poenæ? Quando autem con-
 suetudine imbutus didicisti fugere culpam, ac desisti
 improbè agere? Itaque dolores prouenientes
 ex tentationibus quas sustinemus, aut
 uolentes, aut recusantes, sunt ad
 profectum utiles.

M 3

Ad eos

Ad eos qui egestatem metuant.

CAP. XXVI.

Non pudet te, si fugitiuus timidiior sis et ignobilior? Illi uerò quomodo dant se in pedes, quū fugiunt heros suos, qualibus fundis, item seruis assueti? Nonne suffurantes pauxillum, & quantum satis sit ad paucorum dierum tolerandam famem secum accipiunt? postea terra marique uagantes, aliud ex alio consilium uenit eis in mentem, quo sibi cōparent alimenta. Num quis unquam fugitiuus inedia periit? Tu uerò times ne te deficient necessaria, integrasque noctes ducis insonnes, ô miser homo. Tam cæcus es, aut tam captus oculis, ut uiam nō inspicias qua tibi incedendum est inopia laboranti? Hac, quonam pergimus? Eodem, quò deducit nos febris, aut lapis capiti nostro incidens, nepe ad mortem. Nonne id sæpenumero dixisti ad tuos amicos, multa sæpe legisti talia, multa scripsisti, quoties gloriatus es tam ad mortem sustinendam æquitatem animi non deesse? Ita uerò, Sed mei esurient, Num illorum fames aliorum ipsos feret? Nonne eadem ipsis quoque erituta, & infera eadem? Quare non huc respiciens fortiter omnem inopiam sustines? Quò scilicet opulentissimos, ac potentissimos quosque, quin etiam reges & tyrannos oportet uenire, ac descendere? An hoc interest, quòd te famelicum, & inedia confectum (si res ita ferat) abire, illos autem cruditatibus & ebrietate distentos rumpi, & sic discedere oportet? Vidisti sæpe opinor mendicum senem, & extrema senectū confectum. At hi dies noctesque algent, & humi cubant, & quārum necessitati satis est cibis reficiuntur, cō rediguntur tamen interdum ut mortem oppetere non possint. Nonne scribendo uictum acquirere, aut docendo, aut atrium custodiendo potes? Sed turpe est eò necessitatis

cessitatis redigi. Prius quæso discere quæ nam sint appellanda turpia, & postea te nobis philosophum esse iactes: in præsentia uerò si quis te sic appellet, ne admitteris. Est ne turpe tibi quod ipse non feceris, cuius tu causa non fueris? Quod alia ratione tibi euenit, quemadmodum dolor capitis, ut febris. Si parentes tui fuissent inopes, aut alios reliquerint heredes, aut dū uiuunt tenuiter se sustentant, ignominia scilicet inde ad te redundat nulla, nec pudenda hæc tibi censes? Discere scilicet illud potuisti ex philosophis? Nunquam ne audisti turpe id esse quod sit dignum ignominia, id uerò aliud esse nihil quam cui sit illudendum? Quisquam ne porrò est quem irrideas, in eo quod ipse non fecerit? Tūc uerò patrem tuum effecisti talem? An in potestate est tua, ut rectius illa se habeant quæ ad ipsum pertinent? Permissum ne id tibi est? Quid ergo oportet, num uelle ea quæ in manu tua non sint, aut si ista non consequare, timenda turpitudine & ignominia? Itane consueuisti philosophari, ut aciem intenderes in alios, ipse uerò in teipso fiducia, aut spei habere nihil? Quare plores per me licet & suspires, & comedas, metuens ne tibi in crastinum suppetat cibus. De seruulis eadem sollicitudo te premat, ne expilent te, ne fugiant, ne moriantur. Ita tu uiuas, & sic uiuere nunquam porrò desinas, qui tantum uocabulo, & titulotenus ad philosophiam accessisti, eiusque præcepta quantum in te est ignominia affecisti, inania atq; inutilia discantibus esse præ te ferens, atque exemplo tuo ostendens. Nunquam ut optimo statu esses expetisti, tranquillitatem & uacuitatem affectuum ne desiderasti quidem: neminem ut illud scires, coluisti, præbuiisti autem te pluribus à quibus disceres rationem syllogismorū. Nunquam autem de tuis oblatiis uisis periculum fecisti teipsum experiundo, Vtrum ferre istud possum, aut non ferre?

Quid

Quid præterea mihi restat? Sed tanquam omnibus bene & præclare habentibus rebus, in extremum studio tuo te coniecisti locum stabilitatis & constantiæ, ut nimirum firma & fixa habeas hæc, quæ nam? Formidinem, abiectum & uacordem animum, admirationem diuitiarum, imperfectum appetitum, declinationem ambiguum, & incertam. De harum scilicet rerum custodia sollicitus fuisti. Nónne ante omnia ratione, & intelligentia quæsitis fuit opus? Postea in tuto conseruare ista. Vidistine unquam fastigium imponi ædificio quod faber prius muro non clausserit aut sepsisset? Custósne aliquis atrienis est, ubi fores nullæ sunt? Tu uerò ostendere nobis uis quàm sis exercitatus in eo ne quis te argutis à proposito deducat? At quæ sunt illæ? Ostende mihi quid habeas constituti, quid metiris? Quid ponderas? Postea si uidebitur profer trutinam, aut modium. Quousque tandem metiris cinerem? Nónne potius ostendere illud debuisti quo efficiuntur homines beati, quibus studijs & rebus efficitur, ut hominibus omnia eueniant ex animi ipsorum sententia, quibus sit ut neminem criminemur, nulli irascamur, ut nos dediti simus gubernationi uniuersitatis rerum. Hæc mihi ostende. Ecce inquit, ostendo. Explicabo tibi rationem syllogismorum: hi enim sunt quibus omnia sunt metienda. Stulte, sed non est id quod subiicitur mensuræ. Ergo hæc quum tibi desunt, das poenas neglectorum in philosophia. Tremis, peruigilas, confers & capis cum omnibus consilia: quæ nisi omnibus placeant, existimas te hallucinatum. Deinde etiam times famem, ut quibusdam uideris, quum tamen famem non metuas: sed ne coco tibi sit carendum, ne nõ obtineas alium cupediarium, alium qui calceos, alium qui uestes tibi paret, alios etiam quibus friceris, alios pedissequos. Ut exutis in balneo uestibus & porrectus iacens

iacens membris tanquam solent cruci affixi, ex omni parte confricare, deinde unctor assilens tibi dicat: Cōmoue te, præbe latus, tu caput eius tene, offeras humerum. postea digressus ē balneo uocifereris: Nemo mihi quicquam affert ad comedendum. deinde, Tolle mensas, exerge. Id metuis scilicet ne non possis agri uitam degere. Itaque discite quid sit uiuere instar sanorum: id quæ à seruis & operarijs discito. Præterea quomodo uiuant dediti philosophiæ, & quo pacto uixerit Socrates, qui uitam egit cum liberis & uxore, ut Diogenes, ut Cleanthes, simul uacans studijs & hauriens aquas. Harum rerum si cupidus sis, eas habere ubique gentium poteris, & uitam deges: confidens in eo quo solo confidendum est, nempe id quod dubitationis nihil habet, quod prohiberi aut eripi non potest, id nimirum tua ipsius est uoluntas. Quid opus fuit apparatu tam inutitium, & nihil commodantium rerum ob eas te domo recipere nemo uolet, nemo curare. At uas integrum & utile extrâ proiectum quiuis inuentum tollet, & lucrum esse reputabit: te autem nemo tollet, sed arbitrabitur detrimentum esse, & damnum. Itane uti quidem te aliquis ut cane aut ut gallo gallinaceo poterit? Quid ergo est quod uiuere expetis cum ijs talis? Timet uir bonus (si dis placet) ne deficient ei alimenta, cæcis, claudisque non desunt, & uir bonus his destituetur? Forti militi nunquam deerit stipendij collator, nec mercenario aut futuri, & bono uiro deesset? Itane uerò Deus suorum mandatorum, seruorumque negligens est, atque etiam testium nullam curam suorum habet? Quibus solis utitur tanquam exemplis ad docendum imperitos, quod ipse nimirum sit dominus: & procuracionem uniuersi in manu sua habeat, quodque res ipse humanas curet ita ut bono uiro, nec uiuo, nec mortuo, nec mali quicquam possit euenire. Quid

N. ergo

ergo est, si alimenta non præbeat? Ecquidnam aliud quam signum mihi receptui datum à bono imperatore? Obedio igitur, sequor collaudans ducem, operaque ipsius prædicans. Adueni enim, quum ipsi fuisset uisum: discedo rursus, quando ei placuerit. Atque id munus erat officiûmque meum dum uiuerem, nempe celebrare laudando Deum, idque faciendo cum apud meipsum tacitis cogitationibus, tum coram quouis alio multisque præsentibus deprædicando uerbis. Copiosum & opulentum me esse noluit, quia non uult uoluptatibus deditum uiuere. Sed ne Herculi quidem filio suo magnas dedit opes. Argis enim atque Mycenis alius quidam regnum obtinuit, ipse autem subditus fuit, laborauit, & exercuit se. Et Eurystheus quidem talis fuit qualem fama fert, qui nec Argis, nec Mycenis imperauit, imò ne sibi ipsi quidem. Hercules uerò uniuersam gubernans terram, maris quoque imperium obtinuit, repurgator & uindex iniquitatis, & iniustitiæ, propagator uerò iustitiæ & sanctitatis, quæ faciebat & nudus & solus. Vlysses porro cum naufragium faciens eiectus esset, nonne fregit ipsius animum inopia omnium rerum? Rebus aduersis succubuit? Ut accessit ad puellas rogans, ut subleuarent ipsius inopiã. Sed quid illud facit ad id ut quispiam liber sit, aut seruus? Nihilne tibi unquam ab amica fuit iniunctum quod inuitus faceres? Nunquam adulatus es seruolo? Aut pedes ipsius es deosculatus? Quanquam si quis te cogeret ista præstare Cæsari, nonne iniuriã & tyrannidem esse diceres intolerandam? Num aliud quiddam est seruitus? Noctu discessisti nusquam quo non uelles, nihil sumptuum fecisti, ob eas res à quibus aliqui abhorrebas? Dixistine quædam flens & eiulans, & conuicia tibi dici, itémque excludi te passus aliquando ne es? Quòd si pudet olim ista tibi accidisse fateri, considera

considera quid Thrasonides dicat, & faciat, quem constat tam fuisse bellicosum quàm tu fueris. Nonne is domo egreditur noctu, quo tempore ne seruus quidem Gera audet? Quem si cogeret uociferans obtestansque acerbiter heri sui, egrederetur. Deinde, quid dicit Thrasonides: Pusio me subegit minutus, quem domare hostes nulli potuere. Tu uerò miser, quum sis seruus pusionis, & sanè abiecti, quid te liberum esse dicis, quid tuas nobis pugnas narras? Postea ensem petit: ei que qui non exhibet ob humanitatem, succenset. Quin etiam amicæ sibi infestæ munera mittit, orans atque flens: deinde cum sedatus fuerit, & tranquillius, iterum sese effert: At quemadmodum gerit postea se, ut ne cupiditate flagret, aut ut ne metuat? Considera in animalibus quò respicientes pro liberis ipsa habeamus. Leones in caueis inclusos cicures & mansuetos pascunt, secumque eos nonnulli habent in comitatu. Sed quis est qui talem leonem dicendum liberum existimet? Nonne quo tractatur mollius, tanto minus est animosus? Sensu & ratione præditus quinam cupiat talis esse leo? Ad alia me conferam: uolucres uago uolatu liberè si apprehendantur, & inclusæ nutriantur, quàm miserè habent dum ubique effugia quærunt? Quædam uerò inedia potius emoriuntur, quàm ita inclusæ uiuant, si quæ tamē conseruantur diutius agrè supersunt ac uix, paulatimque postea contabescunt, ac nihilominus patrefacto qualicumque exitu exiliunt, ita sunt prorsus appetentes libertatis naturalis, ut que suo quodam iure & absque coërcione uiuant. Tibi porrò hac in parte quid uideatur, o uolucris esse præclarum? Qualia tu nobis affers? Facultatem, inquires, habeo uolandi quocumque libuerit, sub dió agere, canere quando uisum fuerit, his omnibus rebus tu me spoliás, & rogas quid mali mihi euenerit? Quocirca sola hæc censebimus li-

bera quæ captiuitatem non ferunt, sed simul ut sunt capta, moriuntur? Ita quoque uisum Diogeni, quum alicubi dicat, unicum illud esse perfugium libertatis, ut quispiam promptè moriatur. Idem regi Persarum sic scribit: Ciuitatem Atheniensium seruituti subijcere nō poteris, nihilo magis ac pisces. At eos qui non poteris apprehendere? Prehendes quidem, inquit, sed mox relinquentes te morientur tanquam pisces, qui prehensi uiuere diutius non possunt. Quid his igitur facies mortuis, aut apparatus tui bellici quæ erit utilitas? Vox hæc est liberi hominis, qui rem scilicet illam non oscitanter consideret, & tanquam is qui tesseram inueniat. Si alibi quæras quàm ubi sit, quid mirum, si illud repereris nusquam? Seruus in primis cupit se donari libertate. Quam ob causam? An quia desiderat pro tessera uendentibus argentum numerare? Non: sed quia opinatur hucusque se fuisse impeditum, & minus secunda fortuna usum, quia compos non sit factus tesserae. Quando, inquit, fuero manumissus, statim omnia erunt secunda, neminem respiciam, cum omnibus loquar, ut æqualis, & simili conditione præditus: proficiscar quocumque uoluerō: & undecumque libuerit, discedam. postea manumittitur, libertate donatus deinde non habens quo uescatur, quærit aliquem cui aduletur, apud quem coenet, atque porro etiam flagitiosissima quæque corpore uel agit, uel patitur suo. Quod si quando nactus sit præsepe quoddam, in mediam nimirum se conijcit seruitutem multo quàm prior fuerit, duriores. Quinetiam opulentus si fuerit, homo ineptus & incurdus deperit puellam aliquam, & suam infelicitatem: si ea non fuerit potitus, deplorat, prioremque expetit seruitutem. Quid, inquit, tum mihi erat mali? Alius me uestiebat, alius calceabat, alius præstabat alimenta, alius ægrotū curabat, pro his omnibus mediocri seruitio defungebar,

fungebar, iam uerò quantis obnoxius sum malis miser! Pluribus iam pro uno me mancīpauī. Attamen si ius amborum mihi concederetur, tum demum optimè res meae haberent, essemq; beatissimus. Id quidem ius ut consequatur, his se subiicit quibus est dignus: deinde adeptus, eisdem conflictatur malis. Postea aliò se conuertit, & in militiam si abiero, inquit, his omnibus miserijs liber euasero. Versatur in militia, haud paulo meliore conditione uiuit quàm uerbero quīuis. Secundò itemq; tertio militiæ sacramento se petit astringi: postea si Colophona imposuerit, factusque fuerit Senator, tum primùm efficitur seruus. Ascitus in hoc collegium, pulchriorem multo, imo longè splendidissimā seruitute se quispiam mancīpabit. Nempe quia stultus non sit, opera est impendenda, qua addiscat ea quæ disputauit Socrates: intelligens cuiusmodi res quæque sit, nec temerè primas notitias rebus singulis quispiam applicet. Id enim est uniuersis hominibus causa omnium malorum, quòd uidelicet non possunt communes rationes applicare singulis rebus. Alij porrò opinantur alia: quidam se miserum censeat, quia sit agrotus. At ideo non est, sed quia rationem non ritè accommodat, ideo infelix est, alius propter paupertatem se miserum deplorat, nonnulli quia propitius ipsis non sit Cæsar. Vnum est & solum quòd anticipatas notitias applicare rebus nesciunt. Deinde mali notio cuius animo non est impressa, qua intelligitur scilicet ipsum nocere, ipsum fugiendum, omni modo profligandum. In primis rationibus nulla est pugna, sed in usu & applicatione earū. Si quis roget quid malum, id est, quid perniciosum & fugiendum? respondet, Cæsaris amicum non esse. Discepsit (à regula) in applicatione hallucinatus est, quærit ea quæ ad propositum nihil faciunt; quoniam qui adeptus erit, ut sit as-

*illud enim
tanti est,
quanti est
in unaqua-
quere esse
artificem.*

amicus Cæsaris, nihilo magis id quod quærimus bonum consequetur. Quid ergo est cuius omnis homo est appetens? bono statu esse, atque foelicem agere uitam, omnia ad suum arbitrium facere, non impediri, non cogi. Si Cæsaris amicus sit factus, desijt ne cogi, bene habetne? aut secundis fruitur rebus? Quem potius rogabimus, aut cui facilius credemus quàm ei ipsi qui se factat amicum Cæsaris? Procede in medium & dic nobis, ex eò ne tempore quietius dormiuiſti, quàm antea quum nondum esses ex ipsius familiaribus: Mox audis, per Deos, quæſo desine illudere uitæ meæ. Ignoras quantis crucier malis? propemodum enim somnum capio nunquam, sed modò adest quispiam qui dicat, iam euigilauiſti Cæſar, iam egreditur, postea turbæ, sollicitudines. Suauius ne cornatus modò fuiſti quàm antea fueris? Audi & de hac re differentem is pſumaliquid. Primò, si non uocetur, se angit animo: sin autem uocetur, se ita canare quemadmodum serui soleant cum dominis, sollicitus est nimirum ne quid efferat ridiculum: aut faciat. Præterea quidnam uidetur? Timet ne uapulet tanquam seruus flagris cæsus. Quid uerò est quòd existimas præclare ipsius res comparatas? An quia extra periculi metum est ne quando extremo supplicio afficiatur? Num postea minus lauit turbulentè, quietiorem se præstitit exercendo? Quid opus est uerbis, quam uitam agere malleſ, illamne an priorem? Iureiurando affirmare possum, neminem esse tam insulsum, & tam à uero alienum qui suas deploraturus non sit calamitates: & eo magis: quo fuerit familiarior. Itaque quum nec hi quos nominant reges uiuant suo arbitratu, neque amici regum, quos nam censes pro liberis habendos? Quære, & inuenies, quoniam initia inuestigandi ueri accepiſti à natura. Si ipse non potes his nudis & tenuibus uestigijs ad uerum ingredi,

ingredi, audi ex alijs qui ipsum inuenerunt. Sed quid isti disputant? Videtur libertas tibi esse bonum quoddam? Imò maximum. Potestne quispiam maximi compos boni, aduersis rebus succumbere, aut miserè uiuere? Non. Ergo quocumque uideris miserè agentes, afflictos, lugentes, sine dubitatione affirma liberos ipsos non esse. Censeo equidem. Itaque discessimus iam à conditione libertatis hac quæ describitur emptione & uenditione, similibusque alijs constitutionibus pertinentibus ad possessionem. Nam si ritè quod inueterogauimus confessus es, siue magnus rex miser erit, liber esse negandus est: siue paruus fuerit, siue consul, & is miser extiterit. Esto. Illud porro etiam mihi responde, Magnùmne quiddam & eximium uidetur esse libertas, & quam maximi fieri par sit? Quidni? Potestne fieri ut qui tantam rem sit adeptus, tamque magnam, & prastantem, sit abiectus & humilis? Non potest. Quando ergo uideris quempiam se subiicientem alijs, aut adulantem non ex animi sui sententia, pronuncia non hæsitanter & illum nō esse liberum. Ac non modò si id faciat propter cœnulam, sed etiam si gratia faciat præfecturæ alicuius, si propter consulatum. Verum illos quidem paruos appellabis seruos, qui propter res nihili seruiunt & nullius precij, hos uerò magnos seruos: ita enim appellari merentur. Proinde hæc ita cum se habeant, num libertas tibi uidetur aliquid esse qua sit quispiam suæ potestatis, nec alienis iussis obtemperet? Quidni. Quando igitur cunque est in alterius potestate quispiam, qua uel cogatur uel prohibeatur, illum ne dixeris liberum, nec inspice auos aut proauos, nec an emptus uel uenditus sit sciscitare. Quando audieris aliquem ex intimo pectore atq; affectu prorumpentem in hoc uerbum: O Domine, pro seruo ipsum habeto, Sin audieris querentem quempiam: Miser ego quanta

go quanta patior? pronuncia illum esse seruum. Si tantum plorantem conspexeris indignantem, inquietum, seruum dicito, quamuis prætexta uestitum. Nec dixeris quæquam liberum, qui horum nihil de quibus dictum est in se habeat. Sententias eius considera, num talis sit qui possit cogi, aut qui possit prohiberi, qui obnoxius sit rebus aduersis, quod si talem repereris, nomen ipsi seruum. Si quando licenter & liberè egerit in Saturnalibus, dicito dominum ipsius peregrè profectum: qui si fuerit reuersus, cognosces qualia patiat. Sed quoniam uenit? Omnes utique pro dominis habet, quicunque sua in potestate habuerint eas res quas ipse nancisci cupit, aut quibus, si uelit ille dominus priuari possit. Ita nimirum multos habemus dominos, & his priores sunt res quæ animos nostros afficiunt, & illa quidem sunt plurimæ. Quocirca si cuius sunt in potestate tales res, & ipsos nimirum dominari nobis est consentaneum, quorum in manibus illæ res sunt. Quare propter Cæsarem nemo est qui timeat, sed mortem, exilium, direptionem bonorum, carcerem, ignominiam. Nec uerò amat aliquis Cæsarem, nisi maximi sit precij, sed opulentiam amamus, præturam, ducatum, consulatum. Itaque si amemus ista aut prosequamur odio, uel pertimescamus, oportebit eos qui rebus his ualescunt dominos esse nostros. Quocirca tanquam Deos adoramus illos quoque. Hæc enim impressa nobis est notitia, ut diuinum omne id existimemus penes quod sit potestas maximæ utilitatis. At subsumptum in ratione uitiosum est, quod est: Sed ille potestatem habet magni commodi. Ergo diuinum quiddam est. Si praua sit subsumptio, etiam quod ex ea concluditur, prauum esse oportebit. Quid ergo est quod hominem liberat omnibus impedimentis, atque à seruitute alterius uindicat, asseritque in libertatem? Certè opes id non faciunt,

ciunt, nec consulatus, nec prætura, nec regnum, sed aliud quid inueniri oportet. Quid est quod in scribendo nos faciat liberos & solutos? scientia nimirum scribendi. Quid in pulsando citharam? scientia artis huius. Ergo in uita quoque præstabit idem scientia uiuendi. Vt ergo audisti simpliciter & generatim, sic ista ad singula applicato, & in his ut sese habeant considera to. Potestne fieri, ut qui cupidus est rerum in potestate alterius positarum, uiuat absque impedimento? Non. Vtrum prohiberi qui liber est nequit? Non. Quare nec poterit esse liber. Considera itaque utrum habeamus nihil quod in nostra sit potestate; an uerò omnia, an uerò quædam sint potestatis nostre, nonnulla autem sint penes alios. Quo pacto uis illud intelligam? Integer si uoles esse corpus, in tuane id potestate est situm, an uerò non? Non est in mea potestate. Si sanum? ne illud quidem penes me est. Si pulchrum? ne illud quidem. Viuerene atque mori? Ne illud quidem. Ergo corpus alienum est, & non meum, obnoxiumque cuius robustiori. Esto. num in potestate tua est habere fundum quemcunque aut quantumcunque uelis? Non. Num seruos, num uestes? Non. propria uerò hæc non sunt? Non. Num equi? Horum certè nihil in mea est potestate. Vtrum si uoles liberos tuos uiuere semper, aut uxorem, aut fratrem, aut amicos, num id in te erit positum? Nequaquam. Ergo nihil habes quod in tua potestate sit situm, quod in te solo sit, & quo spoliari nequeas? Id cuiusmodi sit quæso considera. Potestne quisquam te adigere ut falso assentiaris? Nemo potest. Ergo quod pertinet ad assensionem, prohiberi aut impediri poterit nemo? Quid porro, num impellere nolentem quispiam potest ac recusantem, aut uim afferre nolentem? potest: quoniam si mortem aut uincula minetur, impel

O lit me

lit me & instigat, ut inducant in animum. Quid si pro nihilo reputes mortem aut uincula, num est quod cures ipsum? Nihil est. Quare in te est situm, ut mortem contemnas: an uerò id tuum, non est meum? Nonne tuum quoque est conari quidpiam, an uerò nō? finge id meum esse. A' conatu uerò desistere cuius est, nonne id quoque in tua est potestate? Sed quid si ad deambulandum animum applicem, ille uerò me impediatur? Rogo ecquidnam quod tuum sit impediatur, num assensum? num corpusculum? Ita quidem certè. Tanquam lapidem impedit: Esto. At amplius ego non ambulo. Quisquāne dixit tibi ambulare opus esse, quod opus impediri nequeat? Ego enim solum id dixi, nō posse prohiberi quominus uelis aliquid, aut coneris. At ubi corporis opus sit adminiculo, & ipsius ad efficiendum quid, instrumento, in hoc genere iam pridem audisti tuum nihil esse. Quare & his utamur pro concessis. An uerò ut appetas aliquid, quod nolis, cogere quisquam potest? Nemo. Statuere aliquid aut omittere, aut omnino uisis oblati uti, quis cogit? Nemo. Veruntamen quo minus consequar quod appeto, quispiam impedit. Num etiam si quid appetas quod in tua sit potestate situm, quòdque prohiberi nequeat, num hac ratione etiam te impedire poterit? Nequaquam. Quisquāne tibi id affirmare audebit, eum qui appetat aliena, prohiberi non posse? Ergo sanitatis non ero appetens? Non eris, nec ullius rei alterius quæ tua non sit, sed aliena. Nam quod in tua potestate non est ut uel acquiras uel custodias quandoque uoles, nimirum alienum est. Ab his non modò procul abstine manus, sed multo magis appetitum tuum: quòd si non feceris, dedisti te tanquam seruum, subiecisti iugo ceruicem tuam. Si quid miratus fueris eorum quæ tua non sunt, quicquid aliarum rerum quæ obnoxia

obnoxia sunt & caduca animum tuum affecerit. Manus mea non est, pars sanè tua est, natura enim est luttum quod prohiberi possit, quod cogi, cuique robustiori obnoxium sit. At de manu quid loquor? Vniuersum corpus ita comparatum habeas oportet inslar asini cellarij: Feram, inquires, quantum possum, quantum mihi est concessum. Si abducaris in seruitutem, & capiaris ab hoste, mitte, ne pugna, ne ciues; sin secus feceris, uerberibus contusus nihilominus perdes asellum. Quòd si erga corpus te sic gerere debes, còsidera quid in cæteris tibi sit faciendum quæ corporis gratia comparantur. Asellus ille si fuerit, frena erunt paranda, clitella, soleæ, hordeum, pabulum. Et de his non magno pere contendes. dimitte ista citius & promptius quàm asellum. Itaque industria hac te præparans, illòque exercitio te confirmans, aliena discas discernere à proprijs, quæ prohiberi possunt ab his quæ nequeunt impediri: hæc pertinere ad te, illa uerò non spectare ad te, existimabis. In his sollicitè obseruare appetitum, in illis uerò declinationem. Num quid pertimescis? Nihil. quid enim timeres? Sollicitus scilicet esses de his quæ ad te propriè pertinent? in quibus scilicet essentia est boni & mali? At ea eripiendi tibi quis habet potestatem, quis impediendi? nihilo magis obnoxius es atque Deus ipse. An uerò de corpore, de fortunis, de rebus alienis, & nihil ad te pertinentibus, sollicitus eris? Omni uerò studio & meditatione tua cum inciperes philosophari, aliudne egisti quàm ut discerneres tua & non tua, quæ in tua essent & non tua potestate, quæ prohiberi & non prohiberi possent? Quæ res tibi fuit cum philosophis? an ut nihilominus aut nulla aut aspera fortuna afflictus doleres? Hæc sola porro est ratio qua possis metu uacare, & tranquillius uiuere.

Mœstitia enim quid ad te? quorum equidem dum impendent & expectantur metus, obijcitur nobis, eorundem præsentium constat esse mœrorem. Præterea eritne aliquid cuius sis cupidus? Etenim eorum quæ sunt digna ut appetantur, utpote honestis existentibus atque etiam præsentibus, convenientem habes & accommodatam appetitionem: eorum uero quæ sub arbitrium nostrum non cadunt nihil desideras, ita ut locum non habeat expers rationis libido, impellens nos, & ultra mediocritatem nos urgens. Itaque quum in rebus omnibus ita sis affectus, quiste hominum perterrefacere poterit? Homo enim quem terrorem incutit homini siue uideatur, siue colloquatur, siue conuerfetur: non magis certè expauescendus atque equus est equo, aut canis cani, uel apis api: sed res & negotia in quibus quisque uersatur, terrifica sunt. Pro eo enim ut uel ea cōcedere uel eripere poterit aliquis, metuendus uidetur. Sed earum quomodo uenit in deductionem? Non ferro, non igne, sed opinionibus. Enim uero si eam quæ in urbe est arcem expugnemus, num febris quoque munitionem sustulimus, num deuicta etiam castella uenustarum muliercularum, & ad summam, eam quæ in nobis est munitionem, inq̃ ea habitantes tyrannos deiecimusne ac profligauimus? Et hos quidē singulis negocijs quotidie partim eosdem, partim novos atque alios imminētes habemus tyrānos ac dominos. At inde ordiri debemus, demolienda arx est, & eiiciēdi tyrāni. Id fit, si curæ nobis nō fuerit corpusculū, aut membra corporis, non potentia, nec fortunæ, nec fama, nec imperia, aut honores, quin etiam nec liberi, nec fratres aut amici, sed pro alienis ista habeantur omnia. Quòd si inde profligati fuerint tyranni, quid præterea opus erit cingere mœnibus arcē? Quòd ad me

ad me attinet, non equidem laboro: stans enim quid facere contra me potest? Quosnam præterea ejiciam ego satellites? Aut ubinam eos deprehendo? Fasces alijs minaciter præferunt, alijs utique, non mihi, fustes, & gladios gestant. Ego uero prohibitus aut impeditus re fui nulla, cum uellem aliquid; nec ui coactus, cum recusarem. Sed fieri istud qui potuit? Quia subieci uoluntatem meam Deo. Si uolet me febricitare, & ego uolo: si aggredi quidpiam, non defugiam: si appetere quid præcipiat, non respuam: si adipisci, nec ego recusabo: sin uero nolit, detrectabo ego quoque. Si mori libeat, quis contra animi mei sententiam me prohibebit, aut quisnam coget? Non certè magis atque rouem ipsum. Viatores paulo cautiores idem faciunt. Infestari uiam latrocinij si quis illorum audserit, iter solus non ingreditur: sed uel comites operitur, uel legatis se adiungit, aut Quæstoris cuiusdam, aut Proconsulis, quorum cum comitatu incedens tutò carpit iter. Haud dissimile, quid facit in hoc mûdo prudens? Multa passim loca obsidentur à latronibus, multi sunt tyranni, multæ & uariæ tempestates, ac difficultates, interitusque amicissimorum. His uitandis malis quodnam tutum est perfugium, qua ratione ut non incidas in latrones cauebis? Quem comitatum expectabis quotutus transeas? Cuinam te adiunges, num opulento cuiusdam & pecunioso, num consulari uiro? Quid inde mihi est commodi? Si spoliatur ipse, plorat, lugetque: aut si ipsemet, cui me adiunxero, adoriatur tanquam latro, quid faciam? Dabòne operam ut amicus fiam Cæsaris? Ita nimirum consequar ut me iniuriâ afficiat nemo. Sed illustris ut fiam, quanta pati & sustinere me oportebit? Quoties & à quàm multis spoliari? Deinde si fuero, & ipse utique mortalis est, aut si qua de causa

O 3 inimicus

inimicus mihi fiat, discedere aliquò, nònne melius est? In solitudinem scilicet. Agè, dic mihi, num illò febris non peruenit? Quid ergo restat, securum comitatum, fidelem, firmum, non insidiosum reperire ne poteris nullum? Ille quidem noster perpendit secum atque intelligit quòd Deo si sese adiunxerit, tutò sit transiturus.

*Psalmus,
Mihi autè
adherere
Deo, bonu
est.*

Quid uerò est quod appellas sese Deo adiungere? Vt quod ille uolet, ipse quoque uelit: & quod nolit, ab eodem ipse etiam abhorreat. Istud quì poterit fieri? Num secus quàm si consideret quispiam uoluntatem Dei & gubernationem? Quid mihi dedit quod meum esset, ac meae potestatis? Quid uerò sibi ipsi reliqui fecit? Ea quæ cadunt sub arbitrium, mihi pro meis concessit, esse fecit ut mea essent quæ impediri aut prohiberi nò possunt. At corpus ex limo formatum, quì potuit efficere ut non impediretur? Itaque subiecit ipsum dispensationi uniuersitatis rerum, fortunas etiam & instrumenta; demum, liberos, uxorem. Quam ob causam ego pugnarem cum Deo? Quare expeterem non expetenda? Aut quæ etiam si darentur, semper habere tamen non possem? Sed ut ego hæc accipiam? Ita ut dantur, & quoad possum accipere. Proinde qui dederat, idem aufert quoque, quamobrem ego repugnarem? Certè non dico me fore stultum qui robustiori me opponam, sed potius iniustum. A quo enim accipiens hæc ueni huc? Pater scilicet meus ista mihi reliquit? Sed huic quis dedit? Solem quis fecit? Quis fructus procreauit? Vices tempestatum quis instituit? Quis naturalì contagione atque coherentià connexuit atq; deuinxit uniuersa? Deinde cum omnia ab alio acceperis, & temetipsum quoque, indignè fers atque irascèris danti, si quid tibi ademerit? Quis uerò es tu, aut unde uenisti, aut quare? Nònne is te introduxit in mundum? Nònne

*Iob: Domi-
nus dedit,
Dominus
austrulit: sit
nomen Do-
mini bene-
dictum.*

Nōne is ut lumen inspiceres illud concessit? Nōne dedit adminicula & adiutores? Nōne sensus, nōne rationem largitus est? At quānam ut esses te introduxit? Nōne ut mortalem, nōne ut paucilla cum carne uicturum in terra? Obsecuturum uerò suæ gubernationi, scēp ut aliorum conciuem in hoc mundo gerentem, & simul pauculos dies festos celebrantem? Ergo quoad tibi fuerit datum interesse, & concessus spectandi locus pompam ludorum, celebrēque conuentum illum, renuis acquiescere: ac non potius si eduxerit te hinc, spontē abire adorantem, & gratias agentem pro his quæ audisti, & uidisti? Inuitus equidem istud facio, festiuos enim & latus dies celebrare mallē. Quidni mystæ initiari subinde cupiant, nec non alios semper atque alios athletas spectare experant quæ ad Olympiā conuenēre? At festus dies finem habet ac desinit. egredere, hinc discede ut gratus, ut uerecundus, da locum alijs, alios etiā nasci oportet: quemadmodum & tu fuisti natus, posterisque concedendus locus, tradendæ habitationes, & necessaria. Quod si priores non cesserint, qui uacuus erit locus reliquus? Quare insatiabilis es? Quī sit ut satis tibi sit nihil? Quam ob causam angustum esse uis mundum? Veruntamen cupio liberos, & uxorem mecum esse. Tuāne hæc sunt? An non largientis potius atque eius qui te fecit etiā? Deinde non relinques aliena, non concedes robustior? Quid opus fuit ut me introduceret? Si amplius non permittit, egredere, non opus ei est moroso spectatore. his delectatur qui simul hilares festum diem celebrant, qui choreas ducant, & plausu declarent lätitiam, qui numine pleni ferantur, laudibusque prosequantur celebritatem conuentus. Afflictos porro & timidos à conuentu illo abesse libenter uidebit, propterea

pterea quòd ut festiuitatem decet, sese non gesserunt, nec loco & personæ suæ conuenientia præstiterunt, sed iniquè tulerunt, suòque indignati sunt genio, suis fortunis, ijs quibus cum uersantur, dum non sentiunt quæ habeant extrinsecus adiumenta, nec quanta sit in ipsis facultas ad resistendum contrarijs, nempe altitudo animi, eminentia ac fortitudo, ipsa hæc, de qua modò loquimur, libertas. At ista quare accepit? Vt nimirum his utatur. Quousque uerò & quatenus? Vsque dum scilicet ei qui utitur uisum fuerit. Itaque si necessariò ad te non pertinebunt, noli his affici, & profectò non tantum necessarijs cogere. Ne tu tibi ipsi persuaseris, necessaria hæc esse, & profectò non erunt. Hanc meditationem animo uolues, cum primùm surrexeris ad uesperam usque, quam à paruis incipies rebus, in quibus nimirum sit facilima offensio, ab olla scilicet, à poculo: deinde perge ad togulam, ad catellum, equuleum, agellum: postea uerò ad te ipsum, ad corpus tuum, ad membra, liberos, uxorem, fratres, undiquaque circumspiciens reijce abs te, repurga opiniones tuas, ne quid adhæreat tibi eorum quæ extra te sunt, ne quid tibi adnascatur, quo detractò postea doleas. Dum uerò te sic exerces quotidie, ita dixeris (ut apud nos solemus) non equidem quòd incumbas philosophiæ, insolens enim illud est uocabulum, sed quòd pensionarium philosophiæ te exhibueris: id enim reuera est libertas. Hac manumissus est Diogenes ab Antisthene, eaque se dixit amplius à re nulla posse redigi in seruitutem. Ita uerò sentiens quomodo fuit captus, quo pacto usus fuit piratis? Num quem illorum appellauit Dominum? De uocabulo non loquor: in uoce enim nihil est quod metuum, sed in affectu quo exprimitur uox. Nonne reprehensi ab eo fuerunt, quòd captiuos malè tractarent & pasce-

& pascere. Vt uerò diuenditus fuit. Num quem dominum quarebat. Imò potius seruum. At uenditus ut se gessit erga dominum. Confestim ostendit hero suo quo pacto ipse se amicare deberet, ut esset pecunie utendum. De filiis, ut ipsos uitam agere oporteat. Quis uerò istud miretur. Etenim si is ipse herus pædotribam emisset in palæstricis, haud secus eo atque ministro fuisset usus, certè non ut domino. Si medicum, similis est ratio: nec aliò respexisset, si fabrum. Ita in quauis materia & re subiecta, imperito quouis superiore esse peritum omnino necesse est. Quicumque igitur uniuersæ uitæ agendæ scientiam callet, quid aliud hunc quàm dominum esse oportet. Ecquisnam in naui dominus est. Gubernator certè. Quare. Quia poena afficitur qui non obtemperat. At nihilominus in manu eius est ut uapulem ego. Num uerò id facere potest impunè. Ita sanè & mihi uidetur: sed id adeò accidit, quia non impunè, & hanc ob causam in potestate quoque tua non est. Nulli enim impunè est facere iniusta. Sed quæ nam poena irrogatur uincienti suum mancipium. Id ipsum uincire nimirum quod peragit, quodque ipse tu fateare, siquidem id negare in animum non induxeris, hominem scilicet feram bestiam non esse, sed animal mansuetum. At sui negligens quando habebit malè. Quando nimirum contra naturam suam aliquid fecerit. Quando gallus laborat. Conditio similis est, nec aliter sua quædam natura est homini. At quæ natura ipsius est. Mordere proprium ne est, calcibus impetere, conijcere in carcerem, caput amputare. Non: sed bene facere, mutuis officiis respondere, bene precari. Tum ergo malè uiuit aliquis, siue uelis, siue nolis, quando recta ratione non utitur. Itaque Socrates calamitosus non fuit. Non, sed ipsius iudices & accusatores.

P

fatores.

fatores. Etiam non miserè uixit Heluidius Romæ? Non: sed is à quo fuit occisus. Quid loqueris? Quem admodum tu etiam soles, quum prædicas non malè habere gallinaceum, si uictor postea langetur: sed eum qui uincatur, licet non uapulet. Nec magni facis canem nihil laborantem, aut feras non insectantem: sed tum quando sudantem uideris, quando lassum & rumpentem se currendo. Quid uidentur tibi ista non esse popularia, si dixerimus cuiusque rei malum esse id quod ipsius naturæ repugnet? Idem tu consentaneum omnibus in rebus esse negas? Quid causæ est quòd in solo homine id aliter accipis? Nónne quando hominem dicimus natura esse mansuetum, amicitiae cupidum & fidelem, pro absurdone haberi consuevit? Quare nec illud si quis dixerit, non ei noceri si uapulet, si conijciatur in uincula, si plectatur capite. Nónne sustinet illa omnia animose, & lucri inde commodique aliquid reportat? Ei uerò nocetur qui miserrima & turpissima patitur, qui pro homine lupus, aut serpens, aut uespa efficitur. Agè, ueniamus ad ea quæ apud omnes sint in confesso. Homo qui non impediatur, liber utique est, cuius pro eo ut uult expedita sunt negotia. At is qui uel prohiberi, uel cogi, uel impediri, uel inuitus aliquid potest pertrahi, seruus utique est. Quinam uerò est expers impedimenti? Qui alienas res non concupiscit. Quæ nam uerò sunt aliena? Quæ in potestate nostra non sunt, neque ut ea habeamus, neque ut non habeamus, neque qualia sint, aut quo pacto se habentia nos præstare possumus. Ergo corpus alienum, partes ipsius alienæ. Si horum aliquo tanquam proprio afficiare, pœnas lues quas uidelicet æquum est perpeti eum qui sit alienarum rerum cupidus. Via hæc ad libertatem ducit, hæc sola est liberatio seruitutis, ut possis aliquando

aliquando istud proferre ex tota anima:

Quocunque Iupiter uoles me ducito,

Fatulis ac necessitat.

Parebo, quocunque fuero collocatus à uobis ordine, & loco. Sed quid ais Philosophè? Vocaris à tyranno ut dicas aliquid quod te non deceat. Dicturusne illud es, an uerò non? Da cogitandi spacium. Nunc deum deliberandum censes, quidnam faciebas cum es ses in schola? Non considerasti nec meditatus es quæ bona, quæ mala, aut quæ porro neutra essent? Vtique sum contemplatus ista. Quæ nam igitur ex his placere nobis, iustæ & honestæ duntaxat bona esse, iniusta uerò & turpia esse mala? Num uiuere bonum est? Non. An mori malum? Non. Num carcer? Ne ille quidem, sed ratio abiecta & inconstans, amici proditio, adulatio tyranni, qualia uidebantur nobis? Mala. Quid ergo non reputas ista tecum? Aut de his quare non cogitasti aut consilium cepisti? Ea uerò cuiusmodi est contemplatio, siquidem mei est muneris quo possum præstantissimorum compos esse bonorum, mala autem uitare grauissima. Præclara hæc est, & necessaria cogitatio, circumspectumque requirit consilium. Quare nobis sic illudis bone uir? Nunquam talis suscipitur deliberatio. Neque etiam si reuera pro honestis turpia animo adumbrasses aliquando, reliqua uerò tantquam neutra habuisses, unquam huic deliberationi instituisses, imò ne attigisses quidem. Etenim ut primum obiecta sunt, ita euidenter cernuntur animo, ut oculis discernuntur alba, & nigra. Quando deliberaſti unquam utrum alba sint nigra, aut leuia pōderosa? Nōne euidenter apparentibus applicanda duntaxat intelligentia? Qui sit igitur, ut in præsentia, neutra quæ sunt, detestabiliora malis esse iudices? At his opinionibus nō

P. 2 es imbu-

es imbutus, ac uident tibi nec illa esse neutra quæ sunt: & quæ maxima sunt mala, ea non esse censes. Quid uerò tu sentias, nihil ad nos, ita enim initio te assuecisti. At ego ubi sum? In schola, multique mei sunt auditores, disputo cum philosophis. Verum iam sum egressus schola, aufer hinc scholastica & stulta illa. Amicus itaque testimonio premitur, à quo? A philosopho. Est etiam adulator quidam philosophus, est qui operam exhibet mercenariam ex numero philosophantium, nec non aliquis assumitur philosophus in senatum, ac senatorem agit. Et horum quisquam loquiturne aliud quam quæ uulgo uideantur? Interim in animo conscio intrinsecus clamant uera decreta. Tu ergo aliud nihil es quam frigida & inutilis opiniuncula, ex uerborum futilis contexta, è quibus tanquam tenuissimo pilo dependes. Proinde si philosophus es, observa teipsum, fortemque & utilem te præstato, & talem qui exercitatione assidua sacris illis sit initiatus. At tu quomodo nuncium accipis? Non obisse filium tibi narro: unde enim istud tibi? Sed effusum oleum dico, exhaustum uinum. Atque id facio hac de causa, ut sollicito & curis distento tibi quispiam assistentium ad te nihil aliud dicat quam, Philosopho. At, inquires, in schola quid nos decipis? quare te hominem dicis esse, cum sis uermis? Perquam cupio obseruare quempiam istorum mecum familiariter & domesticè agentem, ut uidelicet quem admodum angeretur, & quas uoces emittat, exploratum habere possem, & scire etiam utrum nominis sui non sit oblitus, disputationum quoque quas audit, quas profert ipse, quas legendo cognoscit, & quantum ista ualeant ad libertatem. Profecto alia non sunt (quæ liberos efficiant) quam illa, siue uobis ita uideatur, o diuites, siue aliud iudicetis. Sed quonam teste id tibi est exploratum?

Vnde istud
tibi? id est,
unde tibi istud
tum animi
robore esset?

ploratum? Quinam esset alius quàm ipsi uos qui habetis Magnum illum Dominum ad cuius nutum motumque uiuatis? Quod si quæ uestrum obliquis duntaxat oculis inspexerit, præ metu rigidi estis, Aniculas & senes obsequijs uestris colitis atque captatis. Qui dicitis, Non possum hoc facere, non licet mihi. Quare non licet aut permillum est tibi, nonne modò istud contendeabas affirmans te esse liberum? Verum me prohibuit Aprylla. Ergo quod uerum est loquitor serue, & fugitiuus ne sis domitorum tuorum, ne recuses: imò ne in animum quidem induxeris recusare quo minus te tributarium exhibeas, tot seruitij signis atque indicijs notatus. Proinde si quis amore captus ad faciendum aliquid impellitur præterquam ei uideatur, ac meliora quidem cernens, uiribus adipiscendi hæc destituatur tamen, ad ignoscendum ueniam ei dari multo est æquius, quippe uiolento & quasi diuino quodam uinculo amoris quum coëreatur. Te autem quis æquo animo ferat amore anicularum senumque districtum, dum eos emungis lauasque, & muneribus corrumpis, ægrotos uerò tanquam seruus ministerijs tuis subleuas, & interdum præ te fers tanquam si commori illis cupias, & nihilominus tamen scire libeat ex medicis utrum appareant certæ mortis indicia & notæ? Præterea etiam quum obtinendorum gratia honorum, & magistratuum eminentium illorum atque illustrium, manus alienorum seruorum deoscularis, idque adeò hac de causa facias, ut ne scilicet ingenuorum sis seruus. Postea insignis amplitudine obambulas imperium & consulatum gerens. Verum qualem te præstiteris imperatorem nescio, unde acceperis cōsulatum: quis tibi eum dederit, ignoro. Morì quidem ego satius ducerem, quàm propter Felicionem uiuere, superciliumque ipsius & fremitum seruilem tolerare. Haud enim

Nescio utrū
sit Felix is,
quē prae-
dem constat
fuisse lu-
dæ, liber-
tus Claudij
Cesaris, &
frater Pal-
lantis, de cu-
ius improbi-
tate & ne-
quitia Cor.
Tacitus scri-
bit.

mē latet quā sit insolens seruus successu rerum elatus
(quem plerique secundam fortunam interpretantur) & libidine excæcatus. Tu ergo, inquit, liber es? Cupio scire & id mehercle, deos magnopere rogo. At non dum possum obuerso uultu herum aspicere, adhuc magnifacio corpusculum habere integrum: neque id in postremis mihi est, etiam si omnino saluum & integrum non obtineam. Proinde possum ego tibi liberum ostendere, ut ne deinceps à me libertatis requiras exemplum. Diogenes erat liber. At qua conditione fuit? Non quia erat natus ex liberis (non enim fuit) sed quod ipse à se libertatis acceperat initium, quodque abiecerat à se omnes seruitutis ansas: quibus præcis, nemo accessit ut ipsum in seruitutem conijceret, nec unde arripi posset ansam cuiquam præbuit, omnia fuerunt ei solutissima, habuitque apta ex sese uniuersa. Si quis arreptis fortunis trahere conaretur ipsum, relinquere satius putabat quàm sequi & obnoxium esse propter eos. Si membrum, si corpus totum prehensabat, totum relinquebat, familiares etiam, amicos, patriam. Ac perinde sciebat unde hæc ei esset libertas, & à quo eam accepisset, & in quibus ei usui esset rebus. Etenim maiores ille suos, qui reuera erant, Deos scilicet, suamque patriam deseruerat nunquam, nec in animum induxit ut se à quoque obedientia & obsequio uinci pateretur, nec pro patria tam prompta morte quisquam obisset. Non enim solitus fuit aucupari famam, qua plerisque pro republica fecisse aliquid uideretur opinionis potius causa quàm uirtutis: sed memoria tenebat, quicquid eueniret, id omne ex patria superna proficisci, & fieri gubernatione ipsius uniuersa, nec non à moderatore eius Deo administrari omnia. Itaque considera quid dicat ipse aut scribat. Ob hanc, inquit, causam permittitur tibi o Diogenes

genes pro eo ut tibi fuerit uisum, & cum Persarum, & cum Archidamo Lacedæmoniorum rege loqui. Num istud propterea quod ex liberis fuit procreatus? Profecto uniuersi Athenienses, item Lacedæmonij & Corinthij, propterea quod ex seruis erant pregnati, cum his loqui liberè & ex animi sui sententia non potuerunt, sed metuebant & adulabantur. At qui istud ei licuit? Propterea, inquit, quod corpusculum meum non esse me sum arbitratus, quod nullius sum indigus, quod omnia hæc mihi sunt lex: nec aliud quicquam præterea. Hæc nimirum fuerunt quæ permiserunt illum esse liberum. Proinde ne existimes duntaxat exemplum me habere hominis non occupati & uacui domesticis negotijs, quique nec uxorem, nec liberos, nec patriam, nec amicos aut propinquos habeat à quibus detorqueat aut distrahi potuerit: proferre Socratem libet, quem constat & uxorem & liberos habuisse, patriam quidem sed tanquam alienam, & qua uteretur ut conveniebat & quatenus, & amicos, cognatosque & reliqua omnia subiicientem legi, eiusque legis perfectæ obedientiæ. Quapropter & militem se præstitit quodcumque res postulabat, & primus in castra proficiscebatur, & ad eundis periculis promptissimum se exhibebat. Ad Leontem uerò missus à tyrannis, quod sibi turpe duceret, non assensus est, quamuis moriendum fortè sibi rebus ita comparatis, non nesciret. Aliud enim quid conseruandum incolume sibi esse censuit, non equidem corpusculum, sed animum fidelem & pudicum. Hæc eripi nobis non possunt, nec in ordinem redigi. Postea quum de capite causa ipsi esset dicenda, num propter liberos suos, num propter uxorem anxius fuit & sollicitus? Quid tum faciebat cum ex hauriendum ei esset uenenum? ut sese gerit, cum paterent effugia? Atque

Et ille Archidamus numeratur inter eos qui apud Athenienses lib. 12. Diogenes.

Vide Laertium in uita Socratis. De Leonte, ut sit iniuste occisus à tyrannis triginta Atheniensium scribit Xenophon li. 2. Hellenice.

que etiam Crito dum ei suadet exire de carcere propter liberos, ne destituti necessarijs, cogerentur alienorum opem implorare. At is tanquam immanis leo robore suo confidens perstitit. Quoniam filius? Non honore, non pecunia, non potentia, sed suo ipsius robore, id est rationibus quibus internoscimus ea quæ in potestate nostra sunt, & non sunt. sola enim hæc sunt quæ faciunt beatos, quæ liberos & solutos: quæ ut caput atque cervicem in sublime porrigamus, quum antea essemus humiles & abiecti, quibusque efficitur ut obtueri omnia rectis oculis ualeamus ut tyrannos, ut diuites, id uerò unum philosophi erat munus. Tu uerò discedere hinc recusas confidenter, sed propter amictum & pocula argentea contremiscis. Quam male collocasti tempus, o miser homo. Quid mihi fiet, igitur, si ægrotaro? recte nimirum ægrotabis. Quis uerò me curabit? Deus, amici quoque. Non molli lecto decumbam. Sed ut uirum decet iacebis. Domitium conueniens non habebō. At in conueniente & idoneo ægrotabis. Quis alimenta & uictum parabit? Idem qui alijs. Tanquam Manes eris infirmus, & quoniam erit finis morbi? quàm ipsa morte aliōne quopiam finiretur? Istud uerò ita tecum reputabis, caput illud esse euenientium homini malorum (nempe uacordiae & timoris) non ipsam scilicet mortem, sed mortis metum. In eo capiēda tibi exercitatio est, in id incumbant omnes rationes tuæ, studia tua, lectiones tuæ: quod si feceris, intelliges nimirum hoc solum modo homines in libertatem asseri.

Capita

*Blotus &
Sicis uoca-
bulamanei
piorum sue-
runt anti-
quius, ut
author est
Ruhemus.*

CAPITA QVARTI LIBRI.

- 1 De liberate.
- 2 De conuersatione.
- 3 Quenam pro quibus sint permutanda.
- 4 Ad eos qui in ocio & quiete uiuere cupiunt.
- 5 Ad bellicosos & feros.
- 6 Ad eos qui dum misereantur dolorem capiunt.
- 7 De uacuitate timoris.
- 8 Ad eos qui subito figuram & speciem philosophi assumunt.
- 9 Ad quendam cum ex uerecundo factus esset impudens.
- 10 Quos spernere oporteat, & quibus cum sit pugnandum.
- 11 De puritate.
- 12 De attentione.
- 13 De his qui facile sua effrunt.

De libertate.

CAP. I.



LIBER est, qui uiuit ut uult, qui nec cogi nec impediri, nec uis adhiberi cui aut uiolentia potest. Præterea cuius studia & conatus non retardatur, appetitio non frustratur, declinationes non impediuntur casibus fortuitis.

Quis ergo est qui uelit obnoxius deceptioni & imposturæ uiuere, quis peccando uitam transigere? Nullus certè. Quis falli uult, quis prolabi in uitia, iniustus esse, incontinens, morosus, humilis & abiectus? Nemo. Ergo improbus & flagitiosus nullus est, qui pro eo ut uult uiuit: quare nec liber etiam est. Quis uerò omnium est qui tristis, timidus, inuidens, miserans, appetens frustra, fugiens sine euasione uelit esse? Nullus. Num quem porro habemus ex uitiis illis uacuum tristitia, metu, casibus non obnoxium, & qui appetitione sua non frustretur? Nullum profectò. Quare nec

Q

liberum

liberum. Hæc si quis audierit miser Consul, adtecerisq;
sermonibus his sapientem esse ipsum nec ad eum disputa-
tiones huiusmodi pertinere, ignoscet cerè tibi: sin ue-
ra aperte dixeris, eumq; nihil ab his discrepare manci-
pijs quæ ter uenierint, ipsumq; his non minus seruituti
esse obnoxium, quid aliud quàm uerba expectare te
oportebit? Quo, inquit, pacto seruus sum? Pater fuit
libero statu, itèmq; mater, nec preclo fuerunt à quo-
quam redempti. Quin senator etiã sum, & amicus
Cæsaris, consulatũque gessi ac multos habeo seruos.
Primũ optime Senator, forsan pater quoque tuus ean-
dem seruiuit seruitutem: mater quoque & auus, & an-
tè maiores tui quotquot fuerunt. Et ut illi quidem fue-
rint liberi, quid istud ad te? Quid enim tibi prodest si
nobiles illi fuerunt, tu uerò sis ignobilis: si strenui & for-
tes, tu uerò sis imbellis & timidus: illi temperantes, tu
uerò sis incontinens? At inquies, quod momentum in
his est ut seruus sit quispiam? An uidetur tibi facere
inuitum, coactum suspirantem quidpiam, nihil ad ra-
tionem seruitutis pertinere? Vt istud sanè demus, sed
quis est qui cogere me possit, præterquam qui domi-
nus omnium est Cæsar? Ergo fateris tu ipse unum esse
dominum tuum: is tametsi communis est, non est ut in-
de solatiũ capias: imò sic habero te ex magna domo &
splendida esse seruum. Ita enim Nicopolitæ etiã
acclamare solent, Liberi sumus, ita nos fortuna adiuuet
Cæsaris. Nihilominus si uideatur sic faciendum, omit-
tamus Cæsarem in præsentia. Dic uerò mihi, utrũ ali-
quando amaueris aut puellum aut seruum, aut libe-
rum? Quid ait? Negat. lucrum enim id sibi reputa-
bat esse. Sed unde? prætendit quod decorum & spe-
ciosum est: reliqua non uidet, nec secum perpendit.
At corporis salutĩ, inquit, consulere non uoluit. Ve-
runtamen

runtamen id ei curæ fuit quod iustitia seruetur & auge-
tur, iniustitia uerò deterius sit & aboletur. Socrates tur-
piter non seruetur, quum non calculum fert iubentibus
Atheniensibus, quum despicit tyrannos, quum talia
de uirtute & præstantia bonitatis differit. Is conserva-
ri incolumis turpiter nequit, sed moriens salutem sibi
non fuga quatit. Bonus quoque histrio tum desinens,
quando oportet personam suam tuetur aptius, quàm si
gestum faciat importunè. Sed quid fiet liberis meis?
Num si proficiscerer in Thessaliam, eorum curam su-
sciperetis? Sed quum discessero ad inferos, eos cura-
bit scilicet nemo? Vides ut subsannet & irrideat mor-
tem? At si istud inter me & te ageretur, philosophia
iudice ista damnaveremus, ac statueremus iniustos ple-
ciendos æqualibus pœnis. Deinde si adderent istud
quoque: Si superstes sim, pluribus saluti esse potero,
mortuus nemini prodero. Itaque si per foramen eua-
dere liceat, effugiemus scilicet, alioqui enim quomodo
cuiquam prodesse poterimus? Qui uerò permanen-
di locus erit talibus quales modò sumus? Siquidem e-
ramus superstitibus aliquando utiles, quidni simus etiam
multo magis dum morimur quando & quomodo o-
portet? Et Socrates quidem defunctus uita sua non
minus, aut fortasse plus etiam hominibus prodest,
quoad memoriam post se reliquit eorum quæ dixit aut
fecit. Huiusmodi meditator decreta, tales sermones
animo tuo complectere, talia inspicere exempla si uis li-
ber esse, si cupis te pro rei dignitate gerere. Et quid
mirum, si tantam rem, tot tantisque præcijs redimisc?
At propter illam (quæ uulgo existimatur) libertatem
conseruandam quidam censuerunt ad extremum con-
seruandam dum uoluntario suspendio sibi ipsis uim af-
ferunt, aut semetipsos præcipientes de saxo deiciunt.

*Fortasse
Ceanthes
legendū.*

Sapenumero uniuerſe ciuitates ut libertatem ne admit-
terent, perierunt. Itaque pro uera, cuiquam inſidia
fieri non poſſunt, tutiſſimæque libertate, Deo abſte
requirēti ac repetenti quæ dedit, quid faciendum ſit
non animaduertes: non meditabere ea quæ Plato iuſa
ſit, ac non ſolum mori, ſed etiam torqueri, exulare, ua-
pulari, omniæque ad te nihil pertinentia paratus eris,
ſi repetantur aliquando, reddere? Si noli, ſeruus e-
ris inter ſeruos, etiam ſi ſexcenties fueris conſul: etiam ſi
aſcenderis in palatium, nihilominus eris: ſentiēsque
philoſophos ea quæ diſputant aſſerre quidem in me-
dium non popularia, attamen ut Cathanthes dicere ſo-
lebat, non abſurda aut ab euentu rerum abhorrentia.
Reiſpa enim experiere uera hæc eſſe, & quod ex his re-
bus, quas uulgo admirantur & ſtudioſe ſectantur, iſs
qui eas adipiſcantur, nulla inde proueniat utilitas: iſs
uerò qui compotes earum non fiant, opinio excitetur
talium adeptione rerum ſe omnibus bonis aſſuentes,
beatiffimos fore: quæ ſi obtinuerint, idem aſtus ar-
dorque corporis, eadem iactatio, idem ſtomachus
& ſatiētium, eadem cupiditas rerum abſentium ma-
net. Non enim ſatiēte rerum quas expetieris, com-
paratur libertas: ſed demolitione potius cupiditatis ac
libidinis, ſeruire atque obnoxius eſſe deſines. De quibus
ne dubites quod ſint uera: laborem illum quem adhi-
buiſti in rebus his uitioſis, transfer ad honeſta hæc & re-
cta, & ſentiēs. Peruiſi ſis in eo, ut animus imbuatur
tuus decretis quibus uindicetur in libertatem. Pro opu-
lento & diuite ſene, philoſophum cole & obſerua, con-
ſpicere ad huius fores aſſiſtens, non turpiter te dabis,
ſi uideare: non diſcedes inanis & uacuuſ, ſed cum lu-
cro: ſiquidem ueneris ut oportet; aut ſi non poſſis, ut
deceat,

deceat, accedere, tenta nihilominus istud, etenim experiri etiam non est turpe.

De Conuersatione.

CAP. II.

HOC loco præsertim circumspèctus atque intentus sis oportet, nequando eorum quos olim habuisti amicorum, aut familiarium cuiuspiam ita te accommodes, ut ad eadem te demittas studiâ. Si feceris, utique teipsum perdes. Siquidem te eminentior sit factus amicus, dices: Minus ei uidebor idoneus, nec se ita aduersum me geret ut antea. Cæterum nihil fieri frustra cogitabis. fieri enim nequit ut is qui eadem facit quæ antea, non idem quoque sit, ac similis ei qui aliquando fuerat. Elige igitur utrum malis similiter amari ab his quibus antea fueras charus, conditione hac qua tibi ipsi quoque prius deteriori sis similis: an quoad melior factus, non eisdem atque æqualibus utare amicis. Si melius & potius hoc duxeris, relicto altero huc te conferes, & fac ne distrahatur animus uarijs & dubijs cogitationibus. Nemo enim in utranq; partem claudicans potest proficere. Si unum præposueris cæteris omnibus, si in eo totus esse uis, si omnem conatum impendere, missa facito reliqua uniuersa: quòd si non feceris, anceps huiusmodi dubitatio efficiet horum utrunque, primum ut ne proficias quantum res postulat. Deinde ut ne illa quidem consequare quibus antea facile potiebaris. Prius enim suauiter cum his uiuebas quibus cum tibi erat usus, ac familiaritas intercedebat, dum perfruebare synceris uoluptatibus quas ex rebus nullius momenti capiebas. Fieri nequit, ut utroque in genere omne, ut dicitur, feras punctum: sed necesse est quantum ex uno perceperis uoluptatis, tantum in altero relinquere. Haud potes non componas tam gratus esse

Q 3 potator

potatoribus quibus olim gaudebas genio tuo indulgēs. Constitue utrum malis ebriosus esse, & iucundus illis, an uerò sobrietate & abstinētia ingratus & exosus. Neque quibus cum olim caneas, si non similiter concinas, gratum his te exhibebis, aut amabilem. Et hoc loco quod uisum fuerit elige. Nam si melius est uerè cundum & modestum quàm suauem & festiuum haberi, omitte & respue reliqua, auersare, nihil cum his tibi sit negotij: aut si hæc tibi non arriserint, totum te confer ad contraria, & unus aliquis fias ex mollibus, & effœminatis, ex adulteris, & quæ his consentanea sunt facito, compôsque eorum eris quæ experis, exiliensq; clamoribus saltatorem compellato. Duæ personæ non miscentur. Nō potes Therſiten agere, & Agamemnonem. Si uoles esse Therſites, gibbosum & caluum esse oportebit: si Agamemnon, magnum te ostendes & honoratum, ergaq; subiectos ac subditos bene affectum.

Nemo potest duobus dominis seruire.

Quæ quibusnam sint permutanda.

CAP. III.

IN promptu illud semper habeto, si qua in re externa & fortuita minus te habere uideris, ut cogites loco eius quid accipias. Ac ne maximi quidem si precij fuerit, eo si non potiare, iccirco iacturam te fecisse existimes, nec si lucrum honesta actione, aut si futilium rerum disputationem, quiete & ocio quali conueniat, aut turpiloquentiam uerecundia & pudore permutaueris. Quod si in omnibus rebus istud memineris, personam tuam eo modo quo oportet semper tuebere: sin uerò oblitus fueris, sine fructu omne tibi perijt tempus, atq; uniuersa, quorum studio occupatum temetipsum destines: & quæ discendo colligis, futurum est ut effundas atque euertas. Paucula porrò sufficiunt, quibus omnia percant

pereant & peruertantur, satis enim est si parumper à recta ratione deflexeris. Vt gubernator nauim euertat, haud ei multo opus est apparatu, quanto est, si seruare uelit nauim. Nam si modicè etiam alicui obuenterit uento, perierit nauis, etiam si inuito ipso id eueniat, aut si aliud agente atque cogitante nihilominus perierit tamen. Idem quoque in nostris rebus usu uenit. Si parumper obdormieris, effugient te quæcunq; hactenus studio acquisuisti. Animum igitur aduerte uisis, euigilato. Non mediocris enim est precij quod custoditur: sunt enim pudor, fides, constantia, obedientia, indolentia, securitas, tranquillitas, & ut uno uerbo dicam, libertas. Quanti quæso hæc uelles addicere, considera quanti sint pro quibus uenduntur æstimanda. At nihil cōsequar loco eius quod par aut simile ei possit esse precio. Quinetiam considera, si quid istorum sis adeptus, quid eius loco sis accepturus: ego quidem honestatem, alius præturam, est qui cum imperio ad exercitum mitti propterea uelit. Ego pudorem mihi quæro. Non uociferabor, aut acclamabo alicui, ubi sit indecorum, non assurgam ubi non oportet, liber enim sum & amicus Dei, cui uolens obediam, de alijs sollicitum me nequaquam esse oportet, non de corpore, aut fortunis, aut existimatione, aut dignitate, & omnino nulla de re, propterea quod Deus has res mihi curæ esse non uult. Nam si uoluisset, utique bona mihi ut essent effecisset. At non fecit, quocirca mandatum ipsius transgredi non possum ullum. Cæterum in omnibus tuum custodi proprium bonum: si quid aliorum sit datum, eo contentus utere cum gratiarum actione: si non feceris, infelix eris, calamitosus: coërceberis, impedieris. Hæ sunt à Ioue ad nos missæ leges, hæc precepta, horum interpretem fieri oportet, hisq; obedientem ui-

tem uiuere non Masurij, aut Casij legibus.

Ad eos qui ut in ocio uiuant dare operam solent.

C A P. IIII.

*Salutationes quam
officose
singulis die
bus quidam
obierint, ex
Epigramma-
tis Martia-
lis liquet.*

Memento non solum regnandi cupiditatem, ac diuitiarum, humiles & alij obnoxios efficere, sed etiam quietis, & ocij, & peregrinationis, & eruditionis. Omnino enim qualecunque fuerit quod extra nos est, pro eo ut aestimatur à nobis, ita nos sibi subiectos habet. Quid ergo interest, siue cupias senatoriam dignitatem, siue eius carendi desiderio tenearis, quid, siue præesse, siue priuatus esse concupiueris? Quid retulerit siue ita queraris, Male me habet quod nihil sit quod agam, tanquam mortuus perpetuò libris affixus: siue ita deplores, Miser sum quod ocium mihi suppetit nullum ut legam aliquid. Nam ut salutationes, & magistrastratus in numero sunt externorum, & quæ in potestate nostra non sunt, ita quoque liber est. Aut quæ causa est, ob quam legere cupias? Si enim lectione delectationem aut doctrinam aucuparis, quid ita friges & tepidum ultro ex crucias: sin uerò eò quò decet respexeris, id ipsum quidnam erit aliud quam tranquillitas animi. At legendo eam si nō obtinueris, quid proderit lectionibus terere tempus? Veruntamen eius, inquit, effici-mur, dum euoluimus libros, compotes: & id est quod molestè fero, me abduci à libris. Sed quæ nam hæc est soluta & libera ratio uiuendi quam impedire quiuis possit, non dico Cæsar, aut Cæsaris amicus, sed coruus, tibicen, febris, alia sexcenta. Caterum successus rerum secundarum quo uiuitur ex animi sententia, nihil ita habet proprium atque perpetuitatem, quam non interruptat aliquod impedimentum. Auocor iam aliquid ut faciam aliquid. Sequor, aduertens animum mensuris

furis quas obseruare deceat, uti uidelicet me geram pudicum, cautum, ut appetam, ut declinem, non rem aliquam obseruem extra me positam, ac de reliquo etiam curem homines quæ loquantur, quid agant, & ut moueantur: atque adeo id non faciam maleuolè, aut curiose: nec ea causâ ut contemnam, aut irrideam aliquem: sed ut mihi ipsi attendam, num similiter ego quoque peccem, & quo pacto à peccatis desistam, aut ita cogitem, Aliquando & ego peccabam, nunc uerò desisti, gratia sit Deo. Hæc si feceris, talibusque studiis si deditus fueris, leuius quiddam te præstitisse existimabis mille uersuum lectione, aut totidem scriptione: Si comedis, dolene tibi quod legere non uacat: non satis tibi est si comedas, sic pro eo ut legendo didicisti: Ita quoque si laues, si exercearis: Quid est quod non in omnibus æquabilem te exhibes, siue Cæsarem, siue quemcunque alium accesseris: Itaque si ab affectibus immunem, si impavidum, si castum & moderatum, si intuentem ea quæ fiunt potius quam teipsum spectandum alijs exhibentem, si non inuidentem his quos tibi honoribus præferri uides, si immobilem & incoccum à materia fortunæ te præstiteris, quidnam tibi deerit postea: Libri scilicet. Ad quid, aut quomodo: Etenim ad uitam degendam parati, inde nihil habere possumus. Viuere enim illud nostrum ex alijs quibusdam quàm libris, perficitur. Perinde autem istud sit atque si athleta ingressus stadium, deploret sibi non copiam fieri exercendi se extra stadium. Iccircòne te exercuisti, ad id fuisti usus halteribus, molli brachio peractas luctationes sustinueris, cum colluctatoribus adolescentulis uixisti: Num ista iam quæris, quo tempore non ludicra hæc, sed ipsius operis postulatur executio: Quemadmodum si oblati rerum uisis (loco quo assentiendum illis) quorum

R rum

rum nonnulla sint quæ percipi à nobis possint, quædam uerò non comprehendantur, facultatem discerendi nullam habeamus, nisi prius inspectis libris *περί κατὰ πλῆθος*, quod inde adeò accidit, quia uidelicet nūquam eius rei gratia nos dedimus lectioni, nunquam ad scribendum nos contulimus ut negotijs oblati, prout natura postulat uisorum, in ijs uersemur. Eò cum fuerit peruentum, discere desinimus quæ ratio præscribit. Et aliud quidem est posse interpretari, posse syllogismorum discrimina nosse, aut rationem & uiam hypotheticorum tenere. Itaque studium ubi tuum est, ibidem quoque impedimentum sese offert. Vis te additum his quæ arbitrij tui non sunt? Igitur coercetor, impeditor, & eorum quæ desideras non fias compos. Si libros de appetitu hac de causa legeremus, nō ut intelligamus quid de appetendo disputetur, sed ut honestè ad appetendum incitemur, & item de uitando, ut uidelicet ne aliquando appetitus frustretur noster, aut ut ne fugiendo & uitando ijs quæ reiicimus, inuoluamur, nec secus ea quæ memoriæ prodita habemus de officijs, legamus, memores circumstantiarum, quibus obseruatis, nihil sine ratione, aut contra officium faciamus, utique si à legendo impediremur, haudquaquam indignè ferremus: uerū contenti essemus nostras actiones rite accommodare rebus, recenseremusq; non ea quæ modò numeris persequimur (ut uerbi gratia, Legi ego autscripsi tot uersus hodie) sed ista potius in numero haberemus, Hodie me sic gessi prosequēdis rebus prout philosophi præcipiunt, aut contrà quàm illi iubeant, appetiui aliquid: Adhibui fugam his duntaxat quæ cadunt sub arbitrium nostrum, non obstupui apud hunc, non obmutui præ pudore coram illo, patientiam præstiti, exercui abstinentiam, beneficentiam.

tiam. Ita sanè gratias ritè egerimus Deo, pro quibus
gratos nimirum ei nos esse oportet. Sed quales nunc su-
mus, ignoramus scilicet nos uulgo nihilo esse meliores.
Est qui timet ne non potiatur imperio, itaque quid est,
si tu unà nolis capeßere magistratum, ò homo? Tu por-
rò ut irrides metuentē repullæ, ita tibi ipsi illudito quo-
que abhorrenti à magistratu gerendo. Nihil enim in-
terest siue propter sitim plurimum sitias, atque deside-
res aquam, siue ut rabiosus ab aqua abhorreas. Aut
(sic affectus) quipoteris ita cum Socrate loqui: Siqui-
dem ita uisum fuerit Deo, fiat sanè. An censes Socra-
tem, si cupidus fuisset in Lyceo, aut Academia ociose
uiuendi, ac disputandi quotidie cum adolescentibus,
æquo animo fuisse laturum toties militem se legi, quo-
ties nimirum profectus est in militiam, & non potius
deploraturum, atque gemitibus in has erupturum uo-
ces: O' me miserum, infœlix periclitator ego ibi modò,
cum potuisssem in Lyceo apricari. Num apricari tuum
erat opus, & non potius secundis rebus, & ad uolunta-
tem tuam affluentibus uti? Absque coercione, absque
impedimento uiuere? Qui uerò (ista sic deplorans) po-
tuisset esse, pro eo ut fuit, Socrates? Quo potuisset mo-
do scribere in carcere hymnos atque pœnas? Huius ita-
que fac sis memor, nimirum omne quicquid extra tuam
fuerit uoluntatem, si magnificeris, in causa esse ut liber-
tatem amittas arbitrij tui. Extra te porrò est non mo-
dò magistratus, sed etiam priuatæ uitæ status, non mo-
dò negotium, uerum etiam ocium. At nunc uiuere in
turba atque tumultu necesse est, cum multis conuersan-
dum. Quamobrem molestè illud fers? Quin potius
conuentum illum censebis esse Olympia, statuito solen-
nem esse concionem in qua alius aliud quidpiam agat,
alius in alium incitetur. Etiam in balneis est turba.

R 2

Quil.

Quisquam ne est nostrum qui non huiusmodi delectetur conuentibus, qui que non doleat, si inde ei sit discedendum? Noli indignari, ne stomacheris contra ea quæ fiunt atque accidunt. Putidum acetum est, quia nimis acre, & mel uitiosum: facit enim nauseam, respuo olera. Ita quoque abhorreo ab ocio, quoniam solitudo est, à turba & multitudine quia est insedata, & tumultuosa. Si uersaris ita in rebus, ut uel solus, uel cum paucis uiuere cupias, quietem istud appelles licet: qua frui re quoque si libet, sed ita ut oportet. Tecum ipse loquitur, exerce te in oblati uisibilibus rerum, anticipatas animo notitias ad opus adhibeas. Quod si incideris in turbam, appellabis eam certamen, conuentum celebrem, festiuitatem, qua etiam te festiuum ut exhibeas studebis. Humano enim quodnam incundius potest esse spectaculum, quam hominum frequentes coetus? Equorum aut bouum greges libenter contuemur, conspectu ingentis classis lætitia diffundimur: concionem uero frequentem intuens quisquamne dolorem capit? Sed clamoribus me obtundunt. Itaque auribus tuis impedimentum obijcitur: sed illud quid ad te? Num in ijs facultas est utendi ad arbitrium suum uisibilibus? Quis uero impedimento tibi est quo minus appetitur & fuga prout natura postulat utare? Incitatione et repressione studiorum? Quæ turbatio ad impedienda hæc sat uirium habebit.

Memoria non excidant ea quæ generatim in omnibus ualent considerando: quid meum, quid non meum, quid mihi condonatum, quid me nunc uult Deus facere, quid non uult. Paulo antè uoluit, ut ociosus essem, ut mecum loquerer, ut scriberem, legerem, & ad negotia pararem. Satis ad id temporis tibi suppeditauit, nunc ut certamini te offeras præcipit. Ostende & delara, inquit, quid didiceris, quomodo sis instructus

ctus ad pugnandum. Quousque tandem solus exercebere? Nunc tempus est experiri utrum ex eorum sis numero, qui uictoria potiri soleant, an ex ijs qui obambulantes passim, in orbe terrarum in omnibus certaminibus succumbunt. Quid indignè fers? committi certamen sine perturbatione potest & tumultur. Multos progymnastas habebis, plures acclamatores, non paucos præsides, longè plurimos autem spectatores. Maluissèm uerò in ocio uiuere. Itaque plora & ingemisce pro eo ut dignus es. Quæ nam grauior infligi pœna indocto homini ac diuinis mandatis repugnantipotest, quàm dolere, quàm lugere, quàm inuidere, & ut summatim dicam, quàm calamitosum & miserum esse? His malis non uis liberare teipsum? & qua ratione liberaberis? Nõne audisti sæpenumero solam appetitionem tibi esse asserendam, & fugam esse duntaxat adhibendam ad ea quæ sint arbitraria? Cetera uerò omnia pro derelictis te habere oportet, corpus, fortunas, famam, liberos, tumultum, imperia. Quocunq; enim declinaueris, in eo seruias & obnoxius sis oportet: quoniam prohiberi, quoniam cogi potes, totusq; in aliorum es potestate. Sed quid est quod Cleanthes sempe in ore habuit,

Quocunq; Iupiter uoles me ducito,

Tuq; ô necessitas,

Si uoles Romam, ibo Romam: si in Gyara, proficiscar in Gyara: si Athenas, conferam me Athenas: in carcerem, non recusabo illuc etiam abire. Quando semel dixeris, Si quando Athenas ire perrexeris, perijssis. Nam appetitus hic imperfectus si sit, haud uoti compos tui eris: sin uerò perfectus, omni eo quod tuum est, uacuus eris, cum in his te efferas scilicet quæ in potestate tua non sunt. Rursusq; si impedire, necesse erit te mi-

R 3 serum

ferum esse, quandoquidem incidas in hæc à quibus abhorret animus tuus. Missa igitur fac ista omnia, præclara sunt Athenæ (& similia) præclarius enim multo est, beatè uiuere, affectibus & perturbatione animi uacare, tuæ uitæ rationes non ex alio dependere. Inquieta Roma est, & salutationibus omnia feruent: at rebus pro suo arbitrio uti, præferendum omnibus his molestiis censeo. Itaque quando se ostendit occasio, quare non capessis etiam harum rerum declinationem & fugam? Quis cogit te ut tanquam asinus fuisse uerberandum te exhibeas, ut huiusmodi gestes ponderas? Sin uerò nondum est tempestiuum, considera quo pacto ei sit inseruiendum semper, quod uiam ad exitum tibi parare potest, quodq; impedimento tibi ad omnia esse potest, ei tu tanquam misero & obnoxio adhibeto medicinam. Vna enim uia est ad felicitatem, quam ob oculos ponito tibi cum surrexeris, totoq; die ac noctu etiam in promptu habeas, nempe ut abstineas ab his quæ uoluntati nostræ non subiiciuntur, quorum nihil quod ut tuum & proprium complectare: sed quicquid fuerit transcribito uoluntati Dei, fortunæ, quas istarum rerum gubernatrices causas esse censeo, cum eas ita scilicet Iupiter constituerit. Vni uerò duntaxat te addixeris soli & proprio, quodque prohiberi non possis. Eò respicientem porro euolue re libros, & scribendo audiendoque occupari oportebit. Neque enim impigrum te & laboriosum dicere possum, si audiero istud duntaxat, quod nimirum scribas aut legas, etiam si quis addat totas noctes, non dum assentior tamen, si nesciam quò referas studia tua. Neq; uerò tu etiam impigrum appellabis hunc qui ob pusionem peruigiles durcit noctes, sed ne ego quidem. quòd si istud propter honorem consequendum facit, ambitiosum nomino: si causa

causa pecuniæ, avarum, non industrium. Eundem si sustineat laborem ad excolendum uirtutibus animum, quò nimirum secundum naturam sit affectus, ac uitam optimè transigat, tum demum pro industrio ac impigro ipsum habeo. Ab his uerò quæ in medio sunt posita neminem nec laudaueritis nec uituperaueritis, sed propter decreta quæ complexus est animo, hæc enim cuiusque sunt propria, iisque imbutus quisque facit & exequitur honesta uel turpia. Istorum memor præceptorum latere præsentibus, & acquiesce in his quæcunque obtulerit occasio. Si quæ conspexeris quorum tu disciplinam accepisti, ac in his animaduuerteris quæ tibi sint agenda, alacri & læto fac sis animo. Si malevolentiam animi, si maledicentiam linguæ deposuisti, si minuisi præcipitantiam, turpiloquentiam, temeritatem, & ad irridendos alios procliuatatem, si non eisdem mouere quibus antea solebas, si non ut antea, festos celebraris dies & geniales quòtidie, item quia scilicet hodie gesseris te honestè in quodam negotio, in crastinum uero similiter te sis gesturus in alio, ad facienda sacra quanto potior est causa quam uel adipiscendi consularius uel præturæ facere quæ soles. Illa tu adipiscere à te ipso scilicet & à dijs. Memento igitur à quo acceperis hæc, & quibusnam ista dentur & quas ob causas. Cogitationibus huiusmodi innutritus dubitasne ubinam locorum scilicet esse possis, ubi sis placiturus Deo. Undique æquo intervallo abes à dijs, nonne undique ex omni parte similiter quæcunque fiunt contuentur?

Ad pugnaces & feros.

CAP. V.

Vir eximia uirtute præditus neque ipse rixatur, nec alios sinit cõtendere quoad potest eos prohibens.

Exemplum

*Moses:
Non dices
ascendam in
celum, &c.
ecce in ore
& corde
tuo, &c.
In Epino-
mide Pla-
tonis.*

*In primo vo
luntate apud
Platon. Itē
in Gorgia.*

Exemplum istius rei ut aliarum quoque Socratem habemus, qui non modò ipse à contentionibus abstinuit, sed nec alijs permisit ut altercarentur. Quot apud Xenophontem pugnas dēremit, ut sustinuit patienter Thrasymachum, itēque Polum, & præter hos Callidem quoque, suamq; coniugem, ac filium ab ipso quidem reprehensus & argutijs exigitatus. Enimvero absque ulla offensione animo istud uoluebat suo, principem animæ uim scilicet nemini esse obnoxiam. Aliud ergo uolebat nihil quàm proprium. Illud uerò quoddam est. In id equidem non fuit intentus, ut horum moueret quidpiam aut mutaret, quorum causa efficiens esset natura (id enim non suum, sed alienum arbitrabatur) sed quemadmodum suis illi motibus prout ferebat cuiusque deprauata natura, ita his non impeditus, ipse quoque nihilominus suæ obsecundabat naturæ, uitam transigens suum proprium faciendo officium, dum interea ipsi quoque facerent quod erat illorum consentaneum naturæ. Propositum enim illud est semper insigni uirtute prædito uiro, quidnam? num exercitui præesse? Ita quidem certè, si datum fuerit hac in materia principem uim saluam integrāque custodire. Num ducere uxorem? Non, nisi sit datum & concessum matrimonium, in quo tanquam materia temetipsum bene & secundum naturam affectum exhibeas & conserues. Si filium aut uxorem delinquere non uis, aliud nimirum nihil uoles quàm aliena non esse aliena. Et erudiri id ipsum est, discere scilicet propria & aliena. Quinam ergo contentioni locus in eo quis sit affectus? Nunquid admiratur eorum quæ fiunt? enimvero nouum ei nihil uidetur euenire. An uerò grauius & deterius nihil censeret, ijsquæ eueniunt sibi, conatu improborum posse accidere? Non, quoniam in lucro deputat quicquid

quid citra extremam calamitatem sibi acciderit. Male dixit aliquis tibi & conuicijs proscidit: Bene res habet quod non etiam uapularis. Vapulasti: habenda dijs gratia quod non sis uulneratus: aut si uulneratus sis, non mediocre beneficium est quod non occidit. At ille quando aut ex quo didicisset, hominem esse mansuetum animal, mutuo amore consociatum, magnum esse malum iniusto homini ipsam iniustitiam? Quare quum ista neque didicerit, nec quisquam ei id persuaserit, quidni consecraretur id quod sibi uidetur esse bonum? Coniecit lapides uicinus. Hoc factio tunc peccasti? Fractum aliquid est domi tuæ. Num uerò tu uasculum illud es? Non: sed quod es, id arbitrium tuum est. Datumne tibi aliquid quo te his opponas? num quemadmodum lupo mordendo uindicare morsus debes, aut si uno potitus sis lapide, pro uno illo plures conijcere? Si quæris homini quid sit datum quo se defendat, considera tuum ipsius penum. Perspice quoque quibus præditus facultatibus in lucem sis editus. Num truculentis & feris, num ad uindictam semper euigilantibus? Equus uerò quando miser est? nonne quum naturalibus facultatibus fuerit orbatus, non si cuculi uocem exprimere nequiverit, sed ad cursum si fuerit inhabilis. Canis quoque, non si uolare nequeat, sed feras sectari si non ualeat. Quidni simili cōditione miseriam hominis æstimemus, eumque dicamus infelicem non qui leones suffocare, aut complecti statuas non possit. ut enim id posset, à natura datas sibi facultates nullas affert. Sed tum miser est, si æquitatem, fidelitatem perdidit. Hac miseria oppressum satius erat congressos deplorare, quàm aut natum aut mortuum aliquem. talis enim desolendus non est, sed is cui uiuenti accidit, ut propria amitteret, non paterna, ut agrum, domum, hospitium,

S mancipia,

mancipia, horum enim nihil proprium est homini, sed omnia aliena, mancipata, obnoxia, & quæ prout libido fert dominorum ab alijs in alios transferuntur. At humana sunt & propria quorum notas in animo impressas asserimus. Quales in monetis etiam contemplamur, eisque perspectis approbamus: si non appareant, rejicimus. Cuius effigiem habet quadrans iste? Traiani. Si Neronis, rejice: non enim ualet, ac precij nullius est. Haud longè secus ratio quoque comparata est in præsentis instituto. Decreta istius hominis quibus cognoscuntur notis? mansuetudine, societate, tolerantia, mutua charitate. Agge, probotalem, is mihi ciuis erit: pro uicino, pro eo qui simul nauiget complectar. Vide modò ne effigiem habeat Neronianam, ne sit iracundus, ne excanduerit, ne morosus sit, si ei si quæ appareant, caput ne occurrens aliorum uerberet. Quid uerò est quòd illum hominem esse dixisti? quæque enim res ex figura simplice non est iudicanda, alioqui certum quoque malum pro malo habeas, ipsumque & odorem & saporem mali habere contendas. Figuræ externæ circumscriptio satis non facit, ut rem esse aliquam pronunciemus. Quamobrem ut homo dicatur quispiam, satis non est, nasum & oculos habere: sed tum hominem esse censeto, si ita ut hominem decet, senserit. Aliquis est qui rationem non percipiat, nec castigatus obtemperat, talis nimirum pro asino est habendus, pudorisque sensum deposuit omnem, inutilis est, & quiduis potius quàm homo. Is nimirum quærit aliquem quem calcibus aut dentibus impetat. Quocirca nec alinus est, nec ouis, sed fera quædam & immanis bestia. Quid ergo uis, an contemptui me esse expetis? apud quos? num apud cordatos & intelligentes? at quo pacto contemnent ue-

nnent uerecundum & placidum prudentes: si in istud mihi accidere uis à uicordibus & ignorantibus, quid ad te? Neque enim aliàs curæ est artifici quid fiat ab inertibus. At, inquit, eo magis odio se aduersus me incitabuntur. Quid aduersus me, inquit? Potest ne quisquam arbitrio tuo nocere aut prohibere quo minus decenter utatur rerum occurrentibus uis? Nequaquam. Quid ergo perturbato es animo, aut formidolosum te nobis exhibes? Quin in medium procedis, & præconio quodam denuncias nobis tranquillum & pacatum te esse, nec laborare quid quisque hominum molietur. In primis uerò irrides eos qui se putant te cognoscere. Mancipia ista nec me qui sim norunt, nec ubi meum reposuerim bonum uel malum: quia uidelicet aditus ipsis patet nullus, quo ad mea accedant. Sic bene munitam ciuitatem incolentes isti, obsessores contemnunt suos. Quid, inquit, frustra suam consumunt operam? Septimum moenibus tutissimis, & in longum tempus nobis suppetunt comitatus, aliæque ad tolerandam obsidionem necessaria. His enim efficitur ciuitas bene munita, & talis quæ facile capi non possit. At hominis animam in tuto perinde nihil collocat atque rectæ sententiæ opinionēsque. Enimvero qui murus est tam aheneus, quod corpus tam adamantinum, quæ fortunæ tam stabiles & certæ, quæ dignitas ab obrectatione tam remota: omnia hæc undiquaque mortalia sunt & caduca, in potestatemque alterius facile ueniunt. Quibus etiam si utcumque adhibueris animum tuum, omnino necesse est turbari, dissidere rebus tuis, timere, lugere, imperfectas habere appetitiones, lubricas uerò & impeditas declinationes. Præsidium porro quod unum concessum nobis est confirmare quid dubitamus, ab

hisque caducis & obnoxijis rebus conferre studia nō-
stra ad æterna & ea quæ sunt naturalibera? Nec me-
moriam tenemus, non nocere nec prodesse quēquam
cuiquam posse: sed num istud proueniat, esse cuiusque
de his rebus opinionem, ea enim est quæ nocet, quæ
statum uitæ labefacit, quæ bella & contentiones exci-
tat. Nihilque aliud Eteoclem & Polynicem discor-
des effecit quàm opinio quam conceperant de tyran-
nide, de fuga & exilio: hoc ut existimaretur extremum
esse malum, illud uerò summum bonum. Suapte por-
rò natura incitantur omnia, ut suum prosequantur bo-
num, & refugiant à malo. Itēque eum qui detrahat
ab uno, & adijciat ad alterum, nempe ad contrarium,
iudicare solemus hostem, insidiatorem, etiam si frater
sit, si filius, si pater. Nihil cognatius nobis aut ami-
cius bono. De reliquo si pro bonis ista aut malis ha-
beantur, nec pater filijs amicus erit, nec frater fratri, in
omnibus & undiquaque nobis res erit cum hostibus,
insidiatoribus, sycophantis & calumniatoribus. Si-
quidem uerò talis sit uoluntas nostra qualem ipsam esse
oportet, unicum nimirum id bonum erit nostrum: si
secus sit affecta, unū solumq̃ erit malum nostrum. Qui
locus igitur erit contentionibus aut contumelijs, aut
quibūsnam de rebus? nempe de his quæ ad nos nihil
pertinent: sed ad quosnam? ad eos qui non intelligunt,
ad miseros, ad eos qui decipiuntur in rebus maximis.
Istorum memor Socrates, suæ domi uixit sustinens mo-
rosissimam uxorem, filiumq̃ ingratum. In quo autē hæc
suam exercuit asperitatem? Ut nimirum tantum quan-
tum uellet aquæ capiti eius superfunderet, ut placen-
tam pedibus conculcaret. At quid illud ad me? Si sta-
tuam hæc pertinere nihil ad me, aliud uerò meum esse
opus, quòdque nec tyrannus prohibere meam possit
uolunta-

voluntatem, nec dominus, nec multi unum, nec robustiores imbecilliozem. Id unum cuique mortalium à dijs, quod prohiberi nequeat, concessum est. Huiusmodi decreta domi faciunt amicitiam, in ciuitate consensum, in nationibus pacem, erga Deum gratitudinem, in omnibus confidenter agentem rebus alijs tanquam alienis, tanquam nullius precij existentibus. At nos ita comparati sumus, ut scribere quidem & legere hæc, lectiæque commendare memoriæ ualeamus: sed persuaderi nobis illa ne minima quidem ex parte patimur. Itaque quod in Lacedæmonios olim dictum fuerunt, idem aduersus nos quoque dici poterit: Domi leones sunt, in Epheso autem uulpes. Id ipsum quadrabit in nos quoque: In schola leones, extra scholā uulpes.

Ad eos qui quòd uideantur miserabiles, dolore afficiuntur.

Cap. VI.

CRucior, inquit, miserabilis si uidear. Tuine operis est & potestatis, ut tui misereatur quispiam, an commiserantium? Num in te est situm, ut quando uelis hunc affectum miserans deponat, dic mihi? Quando planum ipsis fecero, me dignum non esse cuius misereatur quispiam, num efficiam ut istud mihi insit propterea me scilicet dignum non esse misericordia, an uerò istud mihi inesse non impetrabo? Haud dubiè sentio. Proinde isti ob hæc misericordes non sunt propter quæ commiserandi erant (nempe propter peccata) homines, sed ob paupertatem, indignitatem, morbos, mortes, cæterasque res similes. Vtrum ergo plerisque persuadere libet harum rerum nullam in malis habendam, sed posse fieri ut pauper, item non honoratus, nec non ignobilis consequatur sclicitatem: aut te non esse pauperem, sed diuitem, & regem demonstrare poteris?

S 3

Horum

Horum posterius insolentis est hominis, inepti etiam & futilis. Quin etiam ostentatio in quibus suscipiatur considera. Famulatio tibi opus erit, & pauca quaedam possidebis argentea pocula quæ in propatulo ostentes, & eadem si fieri possit crebrius, ita tamen ut latere cupias eadem semper proferens, splendide etiam uestieris, & pompam adhibebis. Præterea istud ages, ut à nobilibus honorari uideare, ac illorum adesse coenis, aut saltem ut uidearis adesse dabis operam. Corpori quoque cultum adhibebis prauæ cuiusdam elegantiae, quo uenustior aut plus dignitatis tibi inesse, quam reuera sit, uideatur. Talia te moliri oportebit, si quidem altera uia hac cupias incedere, qua nimirum uitare uelis ut ne uideare miserabilis. Prior uerò illa quam peragere aliquis non possit, & admodum longa est, nempe persuadere id hominibus quod præstare ne Iupiter quidem ualeat, ut intelligant quæ bona sint aut mala. Ut enim illud possis præstare, nequaquam est concessum. Id permissum duntaxat tibi est, ut tibi id suadere possis, & cum nondum tibi istud persuaseris, me hanc operam tibi dare uis, ut alijs tua causa hoc suadeam? Ecquis tantum temporis habitauit tecum, aut magis domesticus fuit quam ipse tibi? Quis porro ad persuadendum tibi aliquid maiorem habet facultatem quam tu ipse? quis beneuolentior aut familiarior quam ipse tibi es? Quid causæ est, quòd non suaseris tibi istud discendum, ne susque deque iacteris. In eo scilicet studium ita posuit tuum, ut disceres uacare tristitia, non perturbari, non deijci animo, libertatem tueri? Ad hæc perueniendi nonne uiam duntaxat unam proponi audiuiisti? Ea uerò est, ut missa faciamus quæ arbitrij nostri non sunt, eisque cedamus, fateamurque illa ad nos non pertinere. Proinde si quam de te concepit existimationem
alius.

alius quispiam, cuius istud generis erit? Nonne id pertinere ad non voluntarium, & quod in potestate nostra non sit situm? Igitur nihil ad te? Nihil. Quamobrem quum mordeant animum tuum, talibusque perturbare rebus, censes nihilominus te fecisse fidem tibi de bonis rebus, item que malis? Quare non omisis alijs ipse tibi discipulus pariter, & magister esse incipis? Alij de se uiderint, utrum conducat & utile sit ipsis contra naturam habere & uitam agere: nemo propior mihi est quam ipsemet mihi. Quid ergo est cogitandum? Nempe auditas à me fuisse disputationes philosophorum, eis que me fuisse assensum, re uerò ipsa nihilo factum expeditiorem. Sum'ne tam indocilis? At in alijs addiscendis tam hebeti ingenio non fui. Nam & literas citò didici, nec tardum me prastiti luctando, aut discendo Geometriam, syllogismorumque rationibus cognoscendis. Quid factum est, ut ratio mihi non persuaserit, quum tamen iam inde ab initio tanti nihil fecerim aut maiore studio amplexus sim? Quin etiam nunc de his audio differi, semperque lego ac scribo hæc, quibus aliam firmiorem aut neruosiorem nullam adhuc accepimus rationem. Quid igitur restat, aut reliquum est mihi? Vide ne contraria non sint penitus exemptæ opinioniones, ne quas tu probas exercitatione non sint confirmatæ. Opera ipsa aggredi non sumus assueti, sed tanquam arma seposita, & rubigine consumpta aptare corpori meo non possum. Tametsi neque luctando, nec scribendo, nec legendo contentus sim didicisse aliquid, sed susque deque uerso propositos syllogismos, aliosque super alios necio, idemque facio in his quos appellant metapiptontas. Cæterum necessaria illa Theoremata, quibus instituitur aliquis, ut tristitia, metu, affectibus uacet, ut à nullo prohibeatur, ut sit liber non

ber non meditor, neque debitam his adhibeo exercitationem. Deinde curæ mihi est, quid alijs de me loquantur, ut ipsis uidear alicuius precij, ut beatus & foelix. Miser, non intelligis quid tu ipse de te sentias, quis tibi ipsi uideare, quæ sint opiniones tuæ, ut appetas, ut fugiendo declines, qualis sis in studijs, in aggrediendo, in administrando, cæterisque negotijs quæ hominibus sunt obeunda, & curanda uniuersis. Tibine curæ esse sinis, siquidem alijs misereantur tui? Ita uerò, At miseret me tui cōtrā quàm meritum tuum ferat, num propterea doles? Nonne qui dolore afficitur, miserabilis est? Certè. Quid ergo est quo possis dicere immeritò tui quempiam misereri. Iis enim ipsis quibus iniquè fers misericordia aliquem in te affici uerbis, declaras te miserabilem esse, dignumque misericordia. Quid Antisthenes dicat nunquam ne audisti? Regium est, ô Cyre, benemereri de aliquo, malè uerò audire. Vegeto sum & bene ualente capite, at plerisque uideor eo laborare & dolere. sed quid illud ad me? Non febricitò, & perinde ac si febricitarem, dolorè ex me capiunt.

Miser, quí fit ut tam diuturna labores febre? Assentior ego quoque tristi toruòque aspectu annuens. Multum, inquam, temporis profectò effluxit ex quo admodum malè habeo. Quid porrò futurum censes? Fiat quod uisum erit Deo. Simul subrideo eos qui sic mei misereantur. Quid uerò prohibet quo minus etiam hoc loco faciam idem? Pauper sum, at rectè sentio de paupertate. Quid ad me, si propter paupertatem miserandus uidear? Non gero magistratum, alijs gerunt: ad quod sentiendum id sentio de imperando & non imperando, cætera uiderint quibus ego uideor miserandus. Ego nec esurio, nec sitio, nec algeo: sed quibus causis ipsi esuriunt sitiuntque, eisdem me quoque putant.

putant. sed quid his facerem? Obambulans deprædico & monebo: Ne erretis homines, res meæ bene habent, non curæ mihi est paupertas, non priuata & ignobilis uita, nullius denique alterius rei quam uerarum opinionum: quas prohibere nemo possit: de nulla alia re præterea sum sollicitus. Sed quæ tandem futilitas hæc est? Quo pacto mihi sumo ego ueras & rectas opiniones, si non libeat mihi esse quod sum? Si ambitione obstupescam, ut uidear esse alius? Sed, inquit, opulentiores isti erunt, & honoribus mihi præferentur. Quid quæso magis consentaneum, quam in eo plus aliquem consequi, in quo plus etiam studiū collocauit? Alij adipsiscendis imperijs nauarunt operam suam, tu colligendis rectis opinionibus. Quidam quærendis opibus incumbunt: tu uerò ut rectè utaris uise. Considera iam utrum in eo plus possint in quo tu elaborasti, eius uerò ipsi sunt neglectores, utrum uerò magis adhibeant indicando naturales regulas, utrum expetant minus frustrati, declinentque paucioribus calibus obnoxij, utrum in aggrediundo, constituendo, conatibusque, certiore coniectura rebus sese accommodent: utrum magis decorum seruent tanquam uiri, ut filij, ut parentes, similiter in reliquis cognationum officiorumque respectibus. Si potiuntur regno illi & imperijs, quin tu ueras tibi ipsi proponis rationes, quibus te sic alloquare: primum te regnandi causa nihil facere, ab his uerò omnia suscipi ut imperent. Longe uerò absurdissimum, eum qui curam alicuius rei in se suscipiat, minus consequenda ea posse, quam qui eius studio non teneatur. At ego quum rectas rationes mihi curæ esse patiar, iccirco consentaneum est me esse superiorem & regnare. Cui tu quæso studio additus fui-

T

lli: Sa

si: Sanarum opinionum. Nonne in quo alij plus opera & diligentia posuerunt, in eo te ipsis cedere æquum est? Perinde autem res comparata est atque si rectis rationibus imbutus, propterea uelis aut sagittam mittendo certius attingere scopum: aut fabrile opus tractando, in eo superior esse fabris. Quod si ita es animatus, omitte studium rectitudinis: & ad illa te conuertere quorum cupiditate deuinctus est animus tuus, habereque ea expetis. Et tum sanè deplorato, si consequi nequeas, & non ex animi sententia res tibi processerint. Idoneus enim es qui desleas talia, si ita sis affectus. Sed modò in alijs uersari te studijs, alijsq; occupatum teneri laboribus affirmas. & rectè istud etiam à multis dicitur, diuersa studia non coire aut coalescere. Est qui primùm, ut surrexerit domi suæ, querit quænam domo egressus salutet, cuiam gratum afferat blandumque sermonem, quem munusculo aliquo demereatur, ut se commendet saltatori, ut flagitiose calumnians iniurias alterius, aliquem exhilaret. Quando orat, pro his consequendis orat: quando sacra facit, pro his nimirum impetrandis sacrificat. adeoque Pythagoræ dictum illud, Mollibus ante oculis capias ne fortè soporem, applicant quisque ad studia sua. Quidam sic: Nunquid neglexi eorum quæ pertinebant ad adulationem & blanditias? Ecquid irrisi, nunquid feci ut liberum hominem & animosum decet? Si quid fortè tale deprehenderit, semetipsum coarguit & uituperat. Quid tua, inquiunt, intererat istud dicere? Nonne potuisti mentiri, ita philosophi sentiunt etiam nihil uetare quo minus aliquis mendacium dicat. Veruntamen tu, siquidem reuera studiosius nihil hætenus egisti, quàm ut rectè uterere uis: manè cum primùm surrexeris considera apud te quid

quid tibi desit ad uacuitatem affectuum, ad tranquillitatem animi. Quid sum? Corpusculumne, an possessio, an fama? Nihil horum sum. Sed quidnam? Rationis compos animal. Huc si respicias, quæ culpæ potest esse expositio? Quid feceris, tecum perpendito. Nūquid neglectum quod ad successum pertinebat tuum: quid commisi, quod uel esset odiosum uel aduersus societatem hominum? In his quid fieri debebat quod tamen à me factum non sit? Tanta igitur discrepantia cum sit sacrificiorum, studiorum, uotorum, adhuc eo animo es ut eadem quæ illi consequi uelis: quibus acquirendis quidem isti studium operamque suam impenderint, tu uerò causa illorum nihil laborandum esse duxeris. Postea miraris, si miserandus illis uideare, ac indignè fers: hi uicissim non indignantur, si tu ipsorum misereare. Quæ causa est? Quia persuasum sibi habent se potitos bonis: tu uerò contentus non es bonis tuis, sed præterea cupidus es illorum quoque bonorum. Contra isti non appetentes sunt tuorum, contentique sunt suis tantummodo bonis. Quòd si reuera persuasum id tibi esset, te competentem factum tuorum bonorum, ad quæ peruenire propter errorem alij nō potuerint, haud sollicitus fuisses certè quidnam isti de te loquerentur.

De uacuitate timoris.

Cap. VII.

Quidnam est quo tyrannus terrorem nobis incutit? Stipatores, inquit, & gladij quibus accincti incedunt, præterea qui præfecti sunt custodiæ cubiculi, arcent que ingressuros. Quis sit autem ut pulchrum, si adduxeris ad tyrannum, talibus stipatum

T 2 militi-

militibus, non ob id expauescat tamen? An istud eò accidit, quia uidelicet puer cuiusmodi hæc sint non intelligit. Itaque si quis armatos illos custodes, ac gladijs accinctos hac de causa accesserit, uolens propter casum aliquem mortem obire, num expauescere is conspectu illorum uidebitur? Subire enim id non recusat, gratia cuius ista præsertim uidentur terrifica.

Quando igitur quispiam hoc animo sit, ut nec mori nec uiuere uelit pertinaciter, sed pro renata illuc accesserit, proque eo ut res postulat, quid uetat quominus sine metu accedat? Nihil. Si quis eodem modo sit affectus, eundem que animum habuerit in opibus, quem is habet respectu corporis sui, ac similiter erga liberos uxoremque afficiatur, & omnino tantquam furore quodam & insanía correptus, hac sit mente, ut pro nihilo habeat siue possideat huiusmodi res, siue spoliatur ijs, sed ut testulis ludunt puelli, ac de uictoria ludi, non de lapillis certandum sibi putant: sic ille noster etiam materias rerum nihili faciens, ludicrum duntaxat gestumque obseruet, accuræ sibi esse patiantur, quis quæso huic tyrannus terrori esse poterit? Qui stipatores hunc, aut qui enses perterrefacient? Affici porro sic animo possunt per insaniam

Galileos quandam, & propter consuetudinem Galilæi: ratio
appellat & uis scientiæ in nobis tantum non ualebit, ut disca-
Christia- mus à Deo condita esse omnia, quæ mundo conti-
nos. ita e- neantur. Vniuersum uerò mundum ipsum uacare
nim eos lu- omni impedimēto, atq; ipsum ex sese esse perfectum,
lianum quo- partes uerò ipsius sese adplicare, ad usum uniuerso-
que appel- rum. Cætera porro omnia huius facultatis sunt exper-
tare fuit so- tia, qua ualeant administrationem ipsius intelligendo
litus, ut ex assequi: uerum rationis compos animal hac indole est
ueterum præditum,
Theologo-
rum scriptis perspicuum est.

præditum, ut cogitare & ratiocinari ista possit omnia: & quod pars sit totius quædam, deinde etiam quomodo se habens pars, item quod partes totis cedere debeant pro eo ut convenit rectè ac decenter. Quò accedit etiam, quòd nescit à natura procreatum se generosum, magnanimum, & liberum, quia uidelicet intelligit quæ suæ sint moderationis, esse sic comparata quædam, ut prohiberi aut impediri non possint: nonnulla uerò impedimentis obnoxia, & non in sua potestate posita. Extra uim alienam quæ sint, ea esse uoluntaria, & quorum descriptio sit ab arbitrio nostro: mancipata uerò, & obnoxia impedimentis, non esse arbitrij nostri. Quapropter si in prioribus solis suum posuerit bonum, suumque commodum metiatur his quæ impediri non possunt ac sua sint in potestate, liberum se præstabit, securum, beatum, innoxium, magnanimum, pium, pro omnibus rebus gratias agentem Deo, pro re nulla cuiquam irascentem, nihil accusantem eorum quæ sibi euenerint. E regione si in externis & arbitrio nostro non subiectis rebus bonum collocarit, necesse erit ut prohibeatur, ut impediatur, ut seruiat his penes quos talium rerum est potestas, quæ miratur ipse, quæ timet: nec impietate carebit, dum uidelicet opinatur noceri sibi à Deo, & ab ipso iniquè tractari & haberi, nec non in omnibus rebus plus quam deceat sibi uendicabit ipsi. Quamobrem oportebit illum quoque abiecti & angusti esse animi. Hac discernentem, quid prohibet placidè, tranquillèque uiuere? omnes casus æquo animo expectantem, præsentem autem sustinentem non perturbari? Vis me tolerare paupertatem? Itaque cognosces quid sit paupertas nacta eum qui personam eius gerere & tueri

prædare possit. Vis defungi me aliquo magistratu, perpeti dolores, quin etiam extorrem patria fugere? Quocunque uenero, ibi bene habiturus sum, quem admodum hic etiam. Non enim propter locum bene uiuo: sed quia his sum imbutus decretis quæ quocunque me conferam, mecum porto. his enim nemo potest me spoliare, quum hæc sola mea sint, & eripi mihi non possint, præsentibusque duntaxat contentus sim, ubicunque fuero, & quicquid fecero. At moriendi necessitas iam instat. Noli rem istam tristibus exaggerare uerbis, quin potius eam ut reuera est comparata, ob oculos ponito: & eam sic exprimito uerbis ut est, nempe in eandem materiam, ex qua est concretum corpus, dissoluetur. in eo quid horrendum, ecquid eorum quæ sunt in mundo perire, nunquid nasci quod antea non fuerit nouum, aut aliquid contra omnem rationem euenire potest? Ob hæc nimirum tyrannus quoque metuendus est, ob hæc sunt armati stipatores grandibus & acutis gladijs? Apud alios apparatus ille momenti aliquid habet: mihi uero de his omnia sunt perspecta & cogitata, aduersus me nihil est potestatis, cuius uindicta diuina liber sum factus, nota mihi eius sunt præcepta, non in seruitutem retrahere poterit. Habeo qui facultatibus quibus oportet me sustentet, uxor iudiciis mihi congruentibus? Nonne corporis tui mei dominus es? quid illud ad me? Nonne in potestate tua sunt exilium & carcer? Permitto tibi ista omnia, cedo etiam corpus ut eo facias quod uisum fuerit. Adhibe potestatem tuam, & cognosces quantum ea præstare possit. Quisquam ne igitur est qui mihi sit reformidandus, an pertimescendi cubiculo præpositi custodes, ne me scilicet excludant? siquidem
reper-

repererint conantem ingredi, excludant. Et quamobrem igitur accessisti ad fores? Quia durante ludicro, istud convenire mihi sum arbitratus, ut nimirum colluderem. Quare non das operam ut ne excludere? Quia si quis me non receperit, ne ingredi quidem cupio. eo enim quod accidit semper acquiesco. melius enim est quod Deus vult, quam quod ego volo. Adsum ei servus & minister adeoque pedisequus, ad eadem contendo, nec alia expeto, idemque quod ipse, volo ego quoque & sentio. Exclusio mihi non accidit, sed his accidit qui repelluntur vi. Quæ causa est quod vi non inde repellar? Scio enim internum bonum ingredientibus non dari: sed quum audiero quempiam ex his quos pro beatis habent, à Cæsare honorari, quero quidnam ei euenerit, num sentiat ita quemadmodum deceat ipsum sentire? Si nactus sit præfecturam, utrum præesse, prout postulat officium illud, possit? Sed quid est quod propellor ego? Ficubus mixtas nuces spargit quispiam, pueri omnes diripiunt concertantes inter se, quod non faciunt grandiores natu: haud enim magni ista faciunt. Si quis conchulas proiecerit, ne pueris quidem certatim rapiendæ videntur. Distribuantur præfecturæ, respectus habebitur puerorum, diuidentur pecuniæ, iidem respicientur, proponuntur imperia, consulas, tanquam in medium coniecta diripiantur à pueris, exclusiones fiant, verbera infligantur, exosculetur manus dantis, adeoque seruorum. Mihi hæc omnia erunt instar mixturæ cuiusdam ex ficubus nucibusque. Ne cures, si dum proijciuntur, nihil arripueris, si quæ in sinum tuum fortè ficus inciderit, arreptam comede: tantisper habere rationem ficus poteris. Sin celaro, aliumque supplantaro, aut ab alio supplantor ego, adu-

go, aduler ingredientibus, haud tanti precij erit fucus, nec quicquam aliorum bonorum: quæ ut probonis non habeam, philosophi suaserunt. Ostende mihi stipatorum enses, en quàm sint multi & præacuti? Quid sit istis tantis & tam acutis ensibus? Interficiunt scilicet. Febris scilicet id non potest, aut aliarum quæpiam rerum: num regula non perimit? num præterea nihil est quo interfici quispiam possit? Vis ergo omnia hæc admirer & adorem, & tanquam servitio additus obambulem? Nequaquam. At semel cum didicerim quicquid natum sit, id interficere etiam oportere, ut scilicet mundus consistat, ac non impediatur, nihil moror, quod ad me attinet, siue febre, siue regula, siue militis manu interficiar. Quod si comparare hæc inter se licet, haud nescio & faciliorem & celeriore esse mortem quæ offeratur à milite. Itaque si non metuum ea quibus ab ipso affici possum mala, si non expeto quæ præstare potest & mihi exhibere, quid præterea restabit quo admirandum illum mihi existimem? aut obstupescam eius conspectu? quam obrem stipatores expauescam? quid gaudeam aut læter, si alloquatur benignè, si admisserit? alijs indicem ut mecum sit locutus? num Socrates est? an uerò Diogenes ut pro testimonio sit arripienda ipsius commendatio? num mihi mores ipsius affectusque animi proposui imitandos? Proinde in ludicro illo quid deceat observans, ita accedam & scenæ servitum, usque dum nihil improbum aut flagitiosum imperarit, aut huiusmodi quod personam meam non deceat. Si iusserit ire, & Leonta Salaminiū adducere, respondebo sanè ipsi: Quære alium, ludo indulgere ultra non libet. Iube duci illum: sequor prout ludicrum hoc postulat, At præcideretur tibi caput. Num ipsius semper manebit.

*suprà de
illo monui,
qui fuerit.*

manebit saluum caput, & uelstrum qui eius iussis obtemperatis: Inhumatus proijciere tu. Siquidem ego aliud nihil sum quàm cadauer, abijciar sanè: sin aliud, qd tum: commodius nobis res illas exprimito uerbis, & noli mihi terrorem obijcere: talibus enim pueri terrenè & stulti, aut si quis in philosophi scholam semel ingressus, non intelligit quid sit is, nimirum dignus est qui paueat, & ei aduletur cui fuit antea adulatus. An uerò nondum dicit se neque carnem, neque ossa, neq; neruos esse, sed illud quod his omnibus utatur, quod gubernet assequaturq; uisa rerum? Ita sanè, uerumtamen huiusmodi rationibus imbuuntur homines ad contemptum legum. Quæso autem quannā disputationes magis instituunt ad obedientiam legum quàm illæ ipsæ, si quis eas ad usum accommodet? Lex non sunt quæ censet stultus. Ac nihilominus considera ut cum his etiam stultis & uacordibus eo quo decet modo conuersari ualeamus, qualibus præceptis erudiamur, quum uidelicet docent nos contendere cum illis, de his rebus quibus nimirum ab his uinci possumus. Si res agatur de corpusculo, cedendum: si de liberis, parentibus, fratribus, omnibus cōcedendum: relinquenda omnia, solis exceptis sapiētiae decretis, quæ Iupiter quoque singulis hominibus eximīa esse & sola eligenda præcepit. Quæ nam hoc loco aduersa legibus, aut malitiosa defenditur disciplina? Qua parte præstas, & ualidior tu es, ea tibi cedo: qua uerò ego te uinco, ea tum mihi uicissim concedito, quum uidelicet mihi sint meditata, tibi uerò non sint. Tibi curæ est, ut strato structioq; faxis quadratis habites solo atque ædificio, ut liberi seruicq; famulentur & ministrent, ut amictu ornato & splendido sis in admiratione, ut uenatores multos habeas ci-tharæodos tragædosque. Num de his rebus mihi tecum est certamen? Meditatiue habes aliquid de decretis sapientiae?

pietia: exploratione quid habes de ratione, ex quibus ea partibus sit constituta nostri: quibus concludatur, quæ sit eius distributio, quas & quales habeat vires: Quid igitur ægrè fers in histe uinci ab eo qui studiosius se exercuerit: Hæc uerò sunt longè maxima. & quis prohibet quo minus in his uersere, & in his exercitationem capias: Cui librorum maior copia, quis magis abundat otio, quo uacare rebus & studijs utilibus possit: tantum affer uoluntatem propensam, impende non nihil temporis principatui rationis tuæ ad excolendū ipsum. Considera quidnā habeas, & unde istud habens ueneris, quod nimirū rebus omnibus uti possit, quod æstimare omnia, eligere, secernere. Quoadusque igitur uersabere in rebus externis, ea scilicet habebis qualia habet nemo alius: Verū id de quo loquimur, quoniam pacto affectum habere uis: sordidum scilicet & culturae expers.

Ad eos qui celeriter ad personam philosophi profiliunt. Cup. VIII.

OB cōmuniū rationum intelligentiam neminem nec laudaueritis, nec uituperaueritis: nec si quis eas cognouerit, propterea uel artis ei notitiam uel ignorantiam attribuetis: quod si feceritis, simul temeritatis uitium, itemq; maleuolentiæ à uobis amoliemini, Is lauratur citò. Num malè istud facit: nō equidem omnino malè: quid si lauet celeriter, num propterea rectè ei habebunt omnia: Nequaquam. A rectis enim quæ proficiuntur rationibus, bene fiunt: & quæ à prauis, malè. Tu uerò donec exploratum tibi sit qua sententia sit quispiam præditus, qua ratione faciat singula, nec laudaueris quenuquā, nec uituperaueris. Quid sentiat quispiam, rebus externis nō declaratur. Ille faber est. Quare: quia terebro utitur. Quid ille: Musicus: canit enim. Philosophus

phus hic est. Quamobrem? Palliatus enim & coma demissa incedit: Quid præstigiatores aut circulatores signi habent? Itaque si quis indecorè se gerentem quempiam uiderit, protinus: Ecce philosophus istud, inquit, facit: quum propter ineptias dicendus esset potius non philosophus. Nam si animo sic adumbres philosophum, eiusque hæc sit professio, habere scilicet pallium, & demissum capillum, haud perperam sic ipsum appellaris: sin uerò philosophus sit is qui iudicio suo non peccet, quid causæ tandem est, quod tum demum professionis titulum non detrahunt, si talia non præstent? Aliarum artium non secus comparata est ratio. Si quis securi ad secandum malè uti conspiciatur, nemo dicit: Quis usus est artis fabrilis? en quanta faciunt mala fabri? contra potius sic inquit: Ille faber non est, quum bene uti non possit securi. Haud aliter si quem malè canentem audierit, non sic ait, En quàm malè canit musicus: sed potius sic inquit, Ille non est Musicus. Istud in philosophia una committitur, ac fit ut si quem uiderint facientem quod non deceat philosophum, hanc nihilominus ei non detrahunt appellationem: uerum dum uerbis & opinione ipsum statuunt esse philosophum, si qua in re indecorè se gesserit, in philosophando nihil esse commodi concludunt. Quæ causa est? Quod nimirum curæ nobis esse patimur notitiam fabri, musici, similiter reliquorum artificum: philosophi autem nemo habet notitiam, nisi si quæ confusa est & incerta. Nam à rebus externis duntaxat eam definiemus. Cuiusquàm ne alterius artis indicia sumuntur ex figura & capillo? An philosophia nullam rem contemplatur, nec materiam, aut finem sibi habet propositum? Quæ materia porro philosophi est, num pallium? Non. sed recta & conueniente uti ratione. Cuiusmodi contemplatur? an id ut intelligat qua scilicet ra-

tione promissioſiorem faciat barbam, aut denſiorem capillum: quin potius cognoscit quid Zeno dicat, quæ munimenta & tanquam mœnia ſint rationum. item quomodo inter ſe congruant: quæ quæ quibus ſint conſentaneæ & conſequentes. Non uis primū perſpicere utrum indecenter gerendo ſe profeſſionis nomē uſurpet iſtius, ac dedecore impleat, poſtea criminando ipſam exagitare profeſſionem: Hunc ipſe tu quando pro circumſpecto te geris, ſi quid ipſum delinquentem uideris, protinus, Ecce, inquis, philoſophum: tanquam ſi deceret hæc facientem appellare philoſophum: & contemptim ſubinde, Quam philoſophicum illud eſt, aïs. At quādo ad alterum fabrum uideris aut liguritorem, non ſic loqueris, En fabrum: neque, En aſpice muſicum. Ita quantumcunque illud eſt quod tu de ſtudio & profeſſione philoſophi intelligis, in eo ipſo laberis, & confunderis incuria meditationis. Quin ipſi etiam qui appellantur philoſophi, quod ad communia hæc & uulgaria duntaxat attinet, ſtudium ſuum profitentur, ſtatim arripientes pallium, & barba promiſſa ſe oſtendentes, inquirunt, Philoſophus ego ſum. At nemo eſt qui propterea muſicum ſe eſſe dicat, ſi plectrum aut citharam emerit: aut fabrū ærarium, ſi pileum imponat, aut perizomate cingatur: ſed hoc agit, ut habitus & figura congruat arti, ſibi uerò nomen ab arte, non à figura uſurpant. Quamobrem dixiſſe illud Euphratem rectè conſtat, quum aïs ſæpenumero ſe tentariſſe ut philoſophum ſe eſſe homines nescirēt: quod ipſum quoque mihi fuit perutile. Primū enim noſcebam quæcunque facerem, decenter ea me non facere propter inſpectores, ſed ppter meipſum. Mihi ſanè ipſi comedebam frugaliter, mihi moderabar oculos, inceſſum: omnia mihi faciebam & Deo. Et ut ſolus in certamen deſcendebam, ita ſolus quoque pericula ſuſtinui.

Nec

*De eodem
ſuprà nominatus.*

Nec philosophia est periclitata facienti mihi aut turpe, aut indecorum quidpiam: nec ex me offensi sunt multi, dum sub titulo philosophi à me peccaretur. Hæc ob causam hi qui nesciebant, cui rei intentus ego essem, mirabantur quid fieret ut ego dum omnibus uterer philosophis, simulq; uiuerem, non simul etiam idipsum profiterer. Ecquid uerò in eo est malum, si in eo quod agebam, operam dedi ut agnoscerer philosophus, signa uerò & indicia neglexi? Vide ut comedam, ut bibam, ut dormiam, ut sustineam, ut abstineam, ut alios adiuuem, ut appetitu utar, ut declinatione: quomodo obseruem res specus naturales, itemq; aduentitios: ut me geram absque confusione, absque impedimento. Inde ferto de me iudicium, si libet, & potes: sin ita surdus & cæcus es, ut nec Vulcanum fabrum ingeniosum & solertem opinere, nisi uideris impositum capiti pileum, quid oberit à tam stulto iudice me ignorari? Sic latuit apud multos Socrates, adq; ipsum uenerunt qui peterent subinde ut se commendaret philosophis. Num ut nos solemus, propterea excanduit? num dixit: Ego ne tibi non uideor philosophus? quin apage & commenda te cuiunque uoles. Vno contentus illo fuit, ut esset philosophus: eoque præsertim lætabatur, quod quum non uideretur esse, nullam molestiam capiebat animo. Sui enim studij meminerat, itemq; quod opus esset boni & honesti uiri. An id erat, multos habere discipulos? Nequaquam. Conspicui sunt in eo qui operam suam ponunt. An, quæstiones difficiles pertractare atque excutere? Talibus alij quidam sese ostentabunt. Vbinam igitur locorum Socrates fuit, aut quis non uideri, sed esse uoluit? Illic nimirum ubi nocumentum & utilitas. Si quis, inquit, nocere mihi poterit, ego sanè nihil effecero: si operior alium ut mihi prosit, utique nullus ego sum: si eius quod uolero

luero non fiam compos, quid ni pro infortunato habear? Ad tale septum prouocabat unumquenk; & haud cuiquam in eo uidetur cessisse preliens. De se uero ipse quid gloriatur, aut dicit? Ego talis sum uir? Nequaquam. At quum esset talis, num sic dixit (sed ne illud quidem uanitate caruisset & stultitia) ego affectibus careo & perturbatione, ut ne ignoretis, o mortales, uobis fluctuantibus & tumultuantibus in rebus nullius precij, solus ego uacuus sum omni perturbatione. Ita ne tibi satis non est non dolere, nisi praconis istud uoce proclames: Adeste omnes qui podagra, qui dolore capitis, qui febris laboratis, quicumque claudi caciq; estis, & uidete me ex omni parte sanum ac integrum. Nonne friuolum illud & nugatorium si non protinus, ut Asclepius, ostendere modum possit, quo curari liberariq; morbis possint homines, & eius operis exemplum proposueris sanitatem tuam. Talis est Cynicus, quem scepro & diademate Iupiter dignatus est, qui sic dicat: Ut intelligatis, o mortales, uos non illic ubi sit, quærere felicitatem & tranquillitatem, sed ubi non sit: en ego pro exemplo uobis à Ioue sum missus, nihil possidens, nullam habens nec domum, nec uxorem, nec liberos, nec stratum, nec uestem, nec uas, & ut ualeam spectate me, & tentate etiam: si deprehenderitis me tranquillum, ex me cognoscite medicinam, & ea quibus sanatus fuerim. Istud demum & humani est & generosi animi. At considerate cuius id sit opificium, Iouis scilicet: & eius quemcunque dignum ipse iudicarit hoc famulatu opus illud est, ut se nusquam ac nulla in re perperam multitudini nudet atque aperiat, quo nimirum testimonium, comprobans quæ secundum uirtutem suam agit, & detestandis ijs quæ extra nos sunt rebus accommodandum, non faciat infirmum & irritum, dum uel coloris bonitatem pallore

pallore infuscat, uel lachrymulas de palpebris detergit. Nec ista duntaxat fugiat, sed etiam ne quem desideret aut requirat uel hominem, uel locum, uel conuersationem & familiarem usum, quemadmodum sunt cupidi pueri autumnii uel feriarum & uacationis. Sit omni modo pudore & uerecundia ornatus, sicuti septi quidam custodiunt muris, ianuis, atque etiam ianitoribus. Sed nunc aliud nihil fit quàm ut admoveatur philosophiæ, ut hi qui infirmo sunt stomacho, ad escam aliquã quam paulo post iterum euomant. Festinant ad sceptrum, ad regnum: demisit comam, accepit pallium, humerum ostentat nudum, cum obuijs rixatur, etiam si quem lacerna indutum conspicatus fuerit. Rebus aduersis primùm te exerce, tuos observa appetitus, ne sis affectus, ut hi qui imbecillo sunt uentriculo, uel ut mulierculæ grauidæ prauum habeas appetitum. Da operam primùm ut qui sis ignorere, aliquantulo tempore tecum ipse philosophare, ita efflorescet fructus. Semen primò recondi oportet, & aliquandiu sub sulcis occultari: deinde paulatim succrescere, donec ad maturitatem perueniat. Quòd si spicam culmo nondum geniculato proferat, imperfectum scilicet est quod nascitur, & specie magis delectat quàm fructu, ut sunt ex Adonidis horto petita. Huiusmodi plantula tu quoque es: citius enim quàm oporteat effloruisti, hyems te perimet. En de seminibus, ut loquuntur agricolæ, si calores ante tempus efferbuerint, ipsæ neluxurient, semina metuunt. Deinde si semel pruinæ infestari, uigorem affuisse nullum ostenditur. Idem ne tibi accidat, considera, ô homo. Petulans es, & fretus opiniuncula quadam, protilis ante tempus. Videris tibi aliquis esse, stultus scilicet inter stultos frigore concreasces, tametsi multo antè congelaris infernis radicum fibris, superiore parte aliquantulum adhuc florens, & ob
id uis

id uideris tibi uiuus adhuc floridusq[ue] esse. Permite nobis ut ad maturitatem secundum naturam adolescamus. Quare nos refugis? quamobrem uim affers? nondum ferre possumus aerem: sine prius radices confirmari, deinde quod nascitur geniculato culmo erigi, item secundum deinceps tertiumque nascendo fieri, ad extremum tandem fructus erumpet, natura sic prouehente, quantum uis nolim atque recusem ego frugem profundam. Quis enim est qui pragnans & plenus si fiat, his sapientiae decretis tam praestantibus non sentiat se his imbutum & instructum esse, & non ad consentanea his atque connexa uicissim opera incitetur? Proinde taurus naturam suam non ignorat, nec ut sit à natura institutus nescit, si quando feram conspexerit, nec operitur donec excitetur à quopiam. Ita nec canis, si conspiciatur bestiam. Ego uero boni uiri habitu fretus scilicet, expectabo donec me instruas, adhibeasq[ue] ad proprii muneris functionem? Sed mihi crede, ut id possim, nondum satis sum instructus. Vis ne ut ante tempus marcescam, quemadmodum tu nondum maturus exaruisisti?

Ad eum qui impudens erat factus.

Cap. VIII.

SI quempiam gerere magistratum uideris, eo scilicet te oppones ipsi, quod nimirum magistratu tibi opus non sit: si quem opulentum, considera quid tu loco diuitiarum habeas. Nam si nihil habeas quo compenses, miser utique es: sin obtinueris istud ut tibi ijs opus esse nihil intelligas, censeto te plus habere, & rem longè maioris precij. Est cui sit formosa mulier, tu istud habes quod non sis cupidus pulchre mulieris. Num parua hec tibi uidetur esse? obsecro quanti istud facerent qui opes habent, & magistratus gerunt, itemq[ue] qui cum formosis uiuunt mulieri-

mulieribus, ut pro nihilo habere & opes, et imperia, mulierculasque quarum depereunt amore eas nacti, possent. Nescis quid sitis sit febricitantis? ea nulla ex parte sanorum est similis. Sanus si bibat, sitire desinit: febricitans pauxillo tempore recreatur, postea nauseat, & aqua in bilem mutatur, uomit, torminibus uexatur, uehementius sitit. Huiusmodi quiddam est possidere cum avaritia opes, regnare inflammatum cupiditate, ardentem libidine, accubare mulieri. Illic enim est æmulatio, metus amittendi, turpes sermones, & foedæ cogitationes, actiones plenæ probris. Et interim sic periclitans quæris, quid, sic affectus, perdas? Fuisti olim uerecundus, nunc non es, num censes te nihil amisisse? Loco Chrysippi & Zenonis Aristidem nunc & Euenum legis. Num sic mutatus perdidisti nihil? Loco enim Socratis & Diogenis, admiratus es eum qui & deprauare & corrumpere mores plurimorum potest. Bonus esse uis, & id præ te fers, quum tamen non sis. Vestem splendidam ostentas, ut in amorem tui mulieres illecentes, uideris tibi perbeatus esse, si potiùs unguento. Istorum nihil desiderabas antea, sed curabas sicubi audires scitam orationem, ut cum uiro esses alicuius precij, consilijs uterere prudentibus & fortibus. Itaque requirebas à te, num domisses ut uirum decet, itemque sic progressus esses, præterea usus ne fueris amictu uirili, sermones protuleris dignos bono uiro. Quæ secus quum modò abs te fiant, nihilo minus dicis, Nihil amisi. An uidetur tibi homines aliud perdere nihil quàm lucrum? uerecundia non amittitur? decus non perditur? an poena ei irrogatur nulla qui hæc amittit? Forsan iacturam amittendis his te facere nullam censes, quum tamen ante hæc tempora id unum pro damno & iactura reputaueris: quum esses sollicitus scilicet & anxius nequis, ne quis animo huiusmodi

X dispu-

disputationes tuo excuteret, aut talibus actionibus dimoueret. En discussæ sunt illæ non ab alio quopiam, sed à temetipso, *Pugna tecum ipse*, teipsum pertrahe ad decus, ad uerecundiam, ad libertatem. Si quis olim de me narrasset ista tibi, quod nimirum esset qui me adulterium committere cogeret, qui ueste ornari tali, qui stulta facere, nonne ultro adueniens manum attulisses ei qui me sic adigeret, atque ad ista abuteretur? Nunc uerò tibi ipsi abnuis opitulari, & quanto opem ferendi hæc est expeditior ratio? Non est necesse ut contrucides aliquem, non uinciendus, aut iniuria afficiendus quisquam, non progrediendum in forum: sed tute tecum loquaris oportet, tibi met præsertim obtemperaturus, quum aptius persuadere nullus quam tu tibi ipsi quicquam possit. Primum itaque damna quod non sit aliquid rectè commissum: quo facto, ne propterea despondeas animum, ne id tibi accidat quod timidis solet, qui quum semel remiserunt, abijciunt se totos, & tanquam fluctibus quibusdam abripiuntur. Vsurpato illud quod prædottibz solent: Cecidit puellus, resurgens capesse, inquit, denuò pugnam, donec nec robur acquiras. Ita tu quoque sis animo tuo affectus. Nosti enim anima hominis nihil esse flexibilius: tantum uelle oportebit, & factum erit, nec prauitati erit locus. Si rursus obdormieris, quæ fuit rectitudo perijt. Intra te est interitus & salus. Deinde quæris, *Quid mihi conducit?* Nunquid maius illo quæris? Ex inuerecundo mutaberis in uerecundum, ex incomposito in moderatum & ornatum, ex infido in fidelem, ex incontinente fies continens, si quæ maiora quærenda tibi existimas, ea uide-

delicet facito, quæ facis: sed hac ratione

ne Deus quidem auxilio

tibi esse poterit,

terit,

Quæ nam

Quæ nan despicere oporteat, & quo cum sit con-
tendendum. Cap. X.

Propter res externas hominibus difficultates & im-
pedimenta obijciuntur. Quid faciam, inquiunt, ut
id fiat, ut istud eueniat, ut ne illud accidat, aut hoc? O-
mnes illæ uoces emittuntur ab his qui ea quæ sub arbi-
trium nostrum non cadunt, curæ sibi esse patiuntur. Ho-
rum enim quisquam ne est qui dicat, Quid faciam ut ne
assentiar falso, ut dissentiã à uero? Quod si hac tam præ-
clara erit indole, ut de his rebus sit anxius, commonefa-
ciam ipsum, ut ne sit sollicitus. quod quæris, in tua est po-
testate, extra periculum es. Ne priusquam adhibueris na-
turalem canonem, prosilias ad assensum. Si quid expe-
tis, ne sis anxius de appetitu, ne sit imperfectus, aut ne
frustratur, neque etiam de fuga, ut ne in aliquod incidas
malum. Itaque amplectar illum primò, quod uidelicet
relinquit ea in quibus reliqui obstupefunt: nec metu il-
lorum perhorrescit, sed suarum rerum curam gerit, ubi
solus ipse est. Postea sic cum ipso loquar: Siquidem no-
lis uel appetitu frustrari tuo, uel fuga uitandis rebus im-
plicari, fac ut nullius alienæ rei desiderio capiare. Nulli
rei quæ in tua potestate non sit, te impendito: si non fe-
ceris, & frustrari & offendere te oportebit. At hoc loco
quæ difficultas est? num his utendum sermonibus: Vt
ista fient? Vt poterunt euenire? Modò ne quid secus
accidat. Euentus nōne in potestate tua non est? Cer-
tè. Substantia porrò boni & mali, nōne in his est quæ
sub arbitrium cadunt nostrum? Equidem. Vūne quoa-
libet euentu, prout natura postulat, potes? num quis te
prohibere potest? Nemo. Ne igitur mihi dixeris: Illud
quomodo erit? Nam utcunque euenierit, bene tu ipsum
collocabis, eritq; euentus iste prosper quidam successus.
Pro Hercule quisquam ne est habitus qui diceret: Quid
X 2 faciam

faciam ut ne leo se mihi offerat, aut ne ingens sus, aut ne
feri homines. Ecquid curas, si ingens appareat sus, cer-
tamen erit malus atque præclarius, si fuerint improbi
homines, liberabis terram malis. Quid si succumbens
sic peream? utique homo integer & bonus obibis, dum
peragis eximium quoddam opus. Quandoquidem mo-
riari prorsus necesse est, ita ut reperire alicui deditus
operi ac studio. Nam obire mortē oportebit, uel agros
colentem, uel fodientem, uel mercatus sectantem, uel
consulatur defungentem, aut cruditate uel laxitate alui
laborantem. Quid ergo est quo occupatum te letho oc-
currenti offerri uelis? Quod ad me attinet, ego quidem
humani operis moliens aliquid, moriens inueniri cu-
piam, dum beneficentiā exerceo, dum publicè profum,
dum facio aliquid fortiter & strenuè. Si uerò talia agens,
fieri nequit ut inueniar, id tamen prohibere quin faciam
nemo potest, & quod in mea solius sit potestate, nempe
meipsum dirigere, facultatem uilis utentem excolere,
ad uacuitatem affectuum consequendam operam im-
pendere, cuique debitum exoluere officium. Vel etiam
sic bene habebō, si tertio in loco consistam, ac indican-
dis rebus non fallar, aut halluciner. Si uersantem talibus
in actionibus mors me arripiat, satis mihi erit, si porre-
ctis ad Deum manibus, sic loqui ualeam: Quas a te ac-
cepi facultates, quibus percipere possem tuam adminis-
trationem, eiq; me obsequentem exhibere, eius sanè stu-
dij ego cultum non neglexi, Quantum in me fuit, igno-
minia te non affecti. En aspice ut fuerim usus sensibus
meis, ut anticipatis notionibus. Num aduersus te fui ali-
quando impatiens, num agrè tuli quicquam quod mihi
accidisset, aut secus ut fierent, optaui? num quos respe-
ctus officiorum sum transgressus ad quos tu me genui-
sti? Pro his quæ dedisti mihi, gratias habeo, satis mihi est
quoad

quoad his usus sum, restituo rursus hæc tibi quocunque
 usum fuerit loco reponens: tua enim fuerunt omnia ista,
 quum abs te dante acceperim. Nō satis est sic animo af-
 fectum ē uita migrare: aut quæ uita melior decentiorq̃
 quàm eius qui ita se gerit: aut quinam discessus ē uita
 beatior: Vt autem potiamur his non contemnendis bo-
 nis: non interim minora hæc propterea consequi non li-
 cebit: Profecto non poteris simul consulatum gerere,
 & nihilominus his intentus esse, nec fundis curâdis anis-
 mum adhibere, & his studijs etiam detineri, nec sollici-
 tus esse de seruis potes, ac simul tui ipsius curam gerere:
 sed quàm primum alieni quid expetis, confestim quod
 tuum est amisisti. Hæc natura est rei ut frustrâ nihil fiat, *Job: Nihil*
 & quid quæso mirandum: Si adipisci consulatum ue- *est sine cau-*
 lis, ambire oportebit, deosculari manus, ad fores alterius *sa, & de hu-*
 cõtabescere, multa loqui, ac facere illiberaliter, dona mit- *mo egredie-*
 tere multis, munuscula quotidie nonnullis, & pro his *tur dolor.*
 omnibus quod nam operæ precium consequeris: Duo-
 decim fascēs baculorū, ut ter aut quater in rostra ascen-
 das, ut Circenses ludos exhibeas, ut ferculis opimis in-
 structam cœnam ineas. Quod si quid præterea est, osten-
 dat & proferat quispiam. Ergo ut sis uacuis affectibus,
 ut tranquillo sis animo, ut quum somno te dederis, uerè
 dormias, & expergefactus, ritè euigiles: ne quid timeas,
 ne sis aliqua in re anxius: impendij nihil facere uis, ni-
 hil laboris suscipere: aut si quid aliarum rerum perierit,
 aut his consequendis inutiles feceris sumptus, aut non
 sic successerit pro eo ut sperabas successurū, quidni pro-
 tinus mordeare rebus sic aduersis: Quin potius com-
 pensationes oppone, & quid loco illorum acceperis, co-
 gita quantum pro quāto, num frustrâ ac sine precio tam
 grandia bona redimere uis: & quonam id pascio pote-
 ris: opera hæc inter se non cōmunicant, nec simul per-
 aguntur.

aguntur. Fieri nequit ut simul impertias curam rebus externis, & excolas principem facultatem animæ tuæ. Si uoles illa, omittito istud: si nolis facere, carebis utriusque, dum ad utraque distraheris. Sin placeat tibi cultus animi, missa facies ista. Effundetur oleum, frangentur uascula, at ego non afficiar. Incendium me absente oborietur, & libri flamma consumentur. At nihilominus utar ego uilis prout natura postulat. Deerunt alimenta, si affligar, hoc modo portus mihi erit mors. Portus omnium miseriarum ac receptus quidam est mors: iccirco in uita difficile & arduum est nihil, si modò uelis. Egressus fuisti, quamobrem fumus tibi molestus non erit. Quid anxius es, quamobrem insomnes ducis noctes? nonne mox animo definisti tuo, bonum ubi tuum sit, itémque malum? In tua potestate dicis utrumque esse, nec esse quenquam qui te spoliare possit bonis, aut inuito obtrudere mala. Quid in utramque, ut dicitur, aurem dormiã, quum mea sint in tuto? de alienis uiderit qui acceperit pro eo ut data fuerint ab eo cuius sunt in potestate. Quis uerò ego sum, qui cōditiones ita uel secus habendi uendico mihi, quum permissus mihi nō sit delectus talium, quum dispensatorem met alium nemo fecerit. Satis mihi faciunt quæ in potestate mea sunt: quæ ut quàm rectissimè mihi sint constituta, meditandum est. Quod attinet ad cætera, fiant sanè prout uisum huic fuerit, penes quem erunt. Qui ob oculos ista tibi ponit, utrū somnum capere nequit? & insedatus huc illucque sese iactitat, quidnam expetens aut desiderans? num Patroclum, num Antilochum, aut Menelaum, num quem suorum amicorum arbitratus est immortalem? Quando enim non obuersatum id ei est ante oculos, aut cras aut perendie, aut se, aut aliquem amicorum obiturum mortem? Ita sanè est: sed sperabam ipsum mihi fore superstitem, meoq̃

meoq; filio præsidio futurum. Fuisti certè stultus, qui tam incerta lis opinatus, quare te ipsum non accusas potius? Iam plorans instar puellarum assides. At, inquis, mihi præbuit ille uictum. Tum scilicet quando uiuebat: stulte, nunc uerò amplius non potest, sed Automedon quispiam præbebit: sin Automedon quoque obierit, alium reperiēs. Si diffracta fuerit olla, in qua decoctæ tibi fuerūt carnes, num propterea fame perire te oportebit, quod consuetam ollam non habes? nōne mittis qui aliam et quidem nouam emat ollam? Ne posthac, inquis, deterius perpeti me cōtingat. An malum istud tibi fuit? Deinde dum ipsum ex animo euellere cessas, matrē accusas, quòd tibi istud non prædixerit, ex quo lugens animi dolorem caperes. Quid censetis, num de industria non scripsit hac Homerus, quo nimirum constaret nobis generosissimos, robustissimos, ditissimos, pulcherri-
mos, siquidem his non sint opinionibus imbuti quibus oporteat, nihil prohibere quo minus sint omnium miserrimi atque infelicissimi.

*Impatientia
Achillis apud
Homerum eleganti-
ssimè describitur.*

De puritate.

Cap. XI.

Ambigunt quidam, utrum in natura hominis contineatur communicandi cum alio propensio, qui tamen de eo mihi dubitare non uidentur, puritatem scilicet quandam eius naturæ insitam, & si quo alio, certè illo à reliquis differre animalibus existimatur. Si quod igitur reliquorum animalium semetipsum purgans uidemus, admirantes dicere solemus ipsum tanquam hominem istud facere. Et rursus si quis accuset, mox ei patrocinamur hac ratione, qua constet nimirum ipsum nō esse hominem, eius sublimitatem primū à dñs describimus. Nam hi quum sint natura puri ac sine omni labe, quo magis rationis facultate homines appropinquant
his,

his, eo puriores sunt ac magis participes puritates. Quandoquidem autem fieri nequeat, humanam naturam omnino prorsus labi esse expertem, ex huiusmodi materia constitutam, nihilominus ratio & intelligentia, quoad eius fieri potest, naturam efficere puram & sinceram tenet. Summa uero eminentissimaque puritas est hæc, cuius anima est particeps: itemque impuritas & foeditas. Haud uero similem corporis reperies esse animæ spurcitiam. Sed quænam alia sit animæ impuritas, quam qua fiant opera ipsius spurca? Opera porro sunt appetere, auersari, incitari, declinare, aggredi, animum intendere. Sed in his operibus quidnam est quo sordescat & fiat impura? Opiniones scilicet peruersæ. Ergo puritas est rectitudo decretorum, si ea informetur. Pura enim est, si ita sentiat de rebus quemadmodum sentiendum est: sola enim est quæ suis in actionibus non confunditur aut inquinatur. Haud absurdum ad ipsius rationem accommodare quandam similitudinem à corpore sumptam, quo illud quod dicimus, rectius intelligatur. Nullo modo fieri potuit pituitas è naribus non fluere hominis, quæ hoc temperamento corporis esset prædita. Idcirco natura manus homini largita est, ipsasque adeo nares quibus tanquam tubis excrementum illud pituitosum efflueret. Si quis itaque resorbeat illa, nego hunc opus facere naturæ. Luto inquinari pedes necesse est: fieri enim nequit ut prorsus non contaminentur luto, quandoquidem talia nobis perambulanda sint loca. At parata nobis est aqua ob hanc causam, & manus addita. Quin etiam quominus comestione adhæresceret aliquid sordium dentibus, fieri non potuit. Ob id iubet nos lauare dentes. Quæ obrem? ut homo sis, & non bestia, aut sus. Ita quoque non potuit non sordescere corpus propter sudores & usu uestitum, quas tamen proluere & detergere sordes oporteat.

teat, Et hac de causa sunt parata nobis aqua, manus, lin-
tea, strigiles, nitra. Nam omnia reliqua instrumenta ad-
hibentur ad purgandum corpus: Nequaquam. Sed fa-
ber ærarius rubiginem purgando tollet, & huic præpa-
rata operi habebit instrumenta. Præterea tu quoque ta-
bellam lauas, si quando comedis, nisi prorsus sis impu-
rus & sordidus. Corpuseculum nō lauas: aut sordes non
detergis: Quamobrem: Rursus dicam tibi. Primum,
ut hominis officium facias, deinde ut ne sis molestus his
qui te conueniunt. Tale quiddam peragis quoque hic,
nec sentis tamen. Dignum te censes qui foeteas. Esto, ac
sis sanè dignus. Num absidentes quoque, num simul ac-
cumbentes, num qui complectuntur osculo: Aut potius
discede aliquò in solum locum (quo dignus quoque es)
siquidem tua duntaxat causa uis foetere. Aequum enim
est te solum perfrui tuis sordibus & inquinamentis: at in
ciuitate uersari tam inconsideratè, tamq̃ insipienter, cu-
iusmodi hominis esse existimas: Si natura tibi commen-
dasset equum, num ipsum strigosum & neglectum relin-
queres: In præsentia sic habeto, corpus tibi datum, tan-
quam equum tuæ curæ cōmissum esse, quare laua ipsum,
& sordes deterge, ut ne quis te auersetur, aut abomine-
tur. Quis enim non auersatur sordidum, olidum, non
bene coloratum, multo magis quàm fimo conspurca-
tum: Foetor enim oleti externus & aduentitijs est: ille
autem ex negligentia situs prouenit, internaq̃ ipsius est
causa, qua putridus aliquis putidusq̃ fiat. At Socrates ra-
rò lauabat. Quin et ipsius quoddam fuit corpus tam gra-
tum & iucundum, ut præsertim ab adolescentibus ama-
retur, longè pulcherrimis atque genere splendidissimo
prognatis, cui accubare etiã magis desiderabãt, quàm
alioqui formosissimis. Verùm si uisum ei sic fuisset, po-
tuisset abstinere prorsus omni lotionē & lauacro, & il-
Y lud

In Nebulis.

lud quum faceret infrequentius, permagnā habuit uim. Quinetiam permittitur tibi, si calida nolis, ut frigida utare. Attamen sic loquitur Aristophanes: De pallidis his & nudipedibus loquor. Præterea dicit Socratem per aerem ascendere, & ex palæstra surripere uestes: quum tamen omnes qui memoriæ prodiderunt aliquid de Socrate, contraria scribant ac testentur, ipsum scilicet non modò auditu, sed uisu etiam fuisse iucundum. Eadē quoque scribunt de Diogene. Etenim non decet à philosophiæ studio multos specie corporis absterrere, sed ut alijs in rebus benignum se quis & sedatum exhibet, ita à corporis quoque habitu conspicuū se facere. Intuemini me, o homines, quum nihil habeam, mihi tamen deficit nihil. Videte ut sim nullarum ædium dominus, ut nullius urbis ciuis, ut etiam extorris, si ita res ferat, & omnium conuictu exclusus, nihilominus tamen omnibus patricijs opulentisq; securius placidiusq; uitam transigam. Quinetiam inspicite uestem, quàm hæc non sit aurita austeritate quadam cōsuetudinis tristioris uitæ. Quòd si quis ista mihi dixerit, habitum uultumq; nocentis ac damnati hominis habens, ne dijs quidē suasoribus accessero, ad philosophiam si quidem tales ipsa fecerit. Nequaquam. Ac ne si sapiens quidem esse possim, hac ratione esse uelim. Ego quidem per Iouem, adolescētem qui primū se ad philosophandum dederit, malo ut ad me accedat exornatus & comptus, quàm crine impexo & sordidus. Elucet enim in tali adolescente honesti quædam species, desideriumq; concinnitatis: quam ubi esse eam retur, illic etiam studium & solertiā suam adhibet. Quod præterea restat, indicare & monere ipsum oportebit. Adolescens quod pulchrum & honestū est, quæris, & rectē quidem istud facis. Proinde scito istud nasci non alibi, aut efflorescere, quàm in ratione qua præditus es, ibi nimirum ipsum

ipsum quæres, illic est ubi appetitus tui sunt & declinationes, quod in temetipso unum & solum habes extremum. Corpusculum uero natura lutum est, quid frustra in ipso excolendo laboras? Si nihil argumenti admittis, tempus certe ipsum declarabit ipsum esse nihil. Sin uero aduenerit conspurcatus ac sordidus, promissa ad genua usque barba, utique nihil erit quod ei subiiciam. à qua enim similitudine arcessam aut deducam orationem? Nam quid est in quo elaborarit, quod similitudinem repræsentet pulchritudinis, qua ipsius animum conuertam aliò, & dicam: Pulchritudo in his non est uera, sed in illis? Num sic alloquar ipsum? In cæno & sordibus pulchritudo non inest, sed in ratione. Num desiderio pulchri tãgitur, aut insigne quoddam in ipso cernitur? Abi igitur, dices, & suem ne in sterquilinio se prouoluat, monebis. Quapropter Polemonem affecerunt Xenocratis disputationes, De quo a-
 quum esset mundiciarum atque elegantiae studiosus ad-
 olescens. Ingressus enim habuit rudimenta ac tyrocinia
 studiij quod uersatur circa pulchritudinem: attamen in
 alio quam conueniens erat, id ipsum collocabat. Proinde
 quæ usui nostro domi inseruiunt animalia sordibus
 oblita nequaquam esse uoluit natura: nec in cæno se
 equus uolutat, aut generosus canis, sed sus tantum, & puti-
 didi anseres, uermiculi item, & aranei, quæ procul sunt
 remota à conuersatione hominum. Tu quum homo sis,
 ne ex numero quidem esse uis animalium eorum quæ
 nobiscum degunt, sed potius uermis & araneus? Non pro-
 libitu lauabis aliquando? non abluere uis sordes tuas?
 nunquam aduenies purus & lautus, ut tuo congressu gau-
 deant qui te conueniunt: uerum ad sacra nostra sic ac-
 cedis nobiscum spurcus & sordidus, in quibus ne expue-
 re quidem fas sit, aut emungere, ut tu totus alius sis nihil
 quam sputum & mucus. Ergo elegantiae studiosus ali-

De quo a-
 pud Horat.

Y 2 quis &

quis & lenocinij esse debet? Nequaquam. Aut si uelit esse, non in aliud certè impendet hanc operam lenocinij & plurimi cultus, quàm id quo præsertim formosi esse debemus: nempe exornanda ratione, opinionibus, actionibus. Corpori tantum detur, ut sit purum: in quo tamen ne nimium profeceris. Sed si quando audieris, Amiciri nō decet purpura, turpallium tuum conspurcato fimo, & scindito. At unde mihi acquiram pallium elegans & scitum? Bone uir, aquā habes, qua lauato ipsum. En adolescens amabilis. Ecce senem dignum atque idoneum qui amet, uicissimq; ametur, cui quis filium suum tradat ad erudiendum, cui filias, quem adolescentes accedent, si ita contingat, ut in fimeto docenti ipsi adsint. Istud ne cōmittatur quod alienum sit ab hominis natura, quum constet finitimum illud esse ei quò humanum aliquid esse negatur.

De attentione.

Cap. XII.

QUum remiseris parumper diligentiam, ne istud animo tuoingas, id quod neglexeris, quando cunque libuerit posse recuperari: uerum illud in promptu habeas, quòd si peccatum abs te sit aliquid hodie, in posterum quoque deteriore statu & conditione fore res aias. Primum perniciosissima consuetudo hæc est, nullam adhibere diligentiam, deinde procrastinare ipsam ac differre: quam tum demum in aliud atque aliud reijciamus tempus, dum dimittimus quietam, decentem, naturæ consentaneam uitam traducere. Si procrastinatio talis conducibilis est, quidni cōducibilis sit, si quis omnino abstinerit? Quod si non prodest differre, quamobrem perpetuam non adhibes diligentiam? Hodie indulgere uolo ludo, num istud facere oportet nō attentum? canere etiam uolo, quid prohibet quo minus id faciam diligenter?

diligēter? Nulla enim pars uitæ excipitur ad quam non perueniat animi attentio & diligētia. An deterius sit ali- quid, si quis id faciat diligenter: melius uerò si non ani- maduertens & oscitanter agat? Num architecton nihil obseruans minus hallucinat administratione operis sui? Leuiorēs ne opere dum negligēter obeunt, in perficien- do minus habent offensionis? Non sentis animi inten- tionem, si semel relaxaris, eam ut reuoces non amplius in tua esse potestate? nō enim restituitur decorum, non pudor, non libidinum refrenatio recuperatur: sed quic- quid inciderit, id facis, cupiditatibusq; tuis obsequeris. Proinde quibus rebus me attentū esse oportet? Primum his communibus, deinde in promptu habere, nec sine his aut cubitum ire, aut resurgere, non edere, non bibe- re, non congregi cum hominibus. Præterea quod arbi- trij alieni dominus nemo sit, in quo solo sit collocatū bo- num, itemq; malum. Nullius ergo in potestate aut domi- nio est, ut bonum mihi cōferat, aut in malum conijciat, sed respectu horum à meipso potestatē habeo solo. Quæ si mihi fuerint integra, utique nihil erit quo perturber in rebus externis, qualis tyrannus metuendus, qui morbus aut quæ egestas, quiue casus uiolentus? At cuidam displi- cui. Num is meum est opus? num meum iudiciū? Non. Quid ergo ipsum curarem? Sed uidetur esse alicuius pre- cij. Ipse nimirum uiderit, & hi quibus talis uidetur esse. Ego habeo cui oporteat placere, cui obedire, cuius ius- sis obtemperare, Deo scilicet, & his quæ sunt secundum ipsum. Is me commendauit mihi metipsi, meumq; arbi- trium mihi soli obnoxium fecit, exhibens regulas, ut eo uti ritē possem: quibus si fuero obsecutus ratiocinando, nullius cura anxius sum syllogismi, quo in diuersum pro- bari aliquid consuevit, ac neminem præterea hominem respicio. Sed quam ob causam grauioribus ac maioris

momenti in rebus me cruciant contemptores, quæ causa est istius perturbationis. Nulla certe est alia quam quod in hac parte exercitatus non sum. Quandoquidem scientia quæuis contemptrix est ignorantie atq; indoctorum hominū: ac non solum scientiæ, uerumetiam artes. Quem cunq; uoles productito coriariū, is fretus cognitione sua quātumuis multos irridet. Ita etiam quem uoles fabrum nobis proponito. Primū itaq; est, ut in promptu hæc habeas, ac sine his agas nihil: sed intendas omnem uitæ tuæ conatum, ac dirigas ad illum scopum, absq; eo ut rem ullam persequare externam, præterquā ut is præscripserit penes quē est potestas. Euigiles atq; elabores omni tempore in uoluntarijs, in externis quatenus & quoad fuerit datū. In his meminisse oportet qui simus, & quod nomen sit nostrum, et pro modo circūstantiarum conari ut officia ritē accomodemus ac dirigamus. Considerandum quæ occasio cautionis, quæ doctrinæ, quibus præsentibus fiat aliquid, qui sit euentus futurus suscepti negotij, ne quid cōmittamus, ut irrideamur à præsentibus, aut nos contra ipsos. Quando etiam & in quos dicaces esse debeamus, & quos item irridere. Præterea quo in negotio uersemur, & cum quo res nobis sit, deinde quæ ad mutuum usum pertinent reliqua. Vt quod suum est, cuique sit custodiendum. Vbicunq; enim discesseris, ab horum quopiam poena consequitur, non inflicta aut irrogata extrinsecus, sed ab ipso quod ppetras opere. Quid igitur tandem est, quod expers peccati esse possit: Nequit id fieri, sed illud potest consequi aliquis, ut perpetuò ac sine intermissione nō sit intentus ad peccandū. Contenti enim eo esse debemus, si nulla remissione attentionis quā minimum à nobis peccetur, & extra culpam simus paucorum quorundam delictorum. Quando autem dixeris, In crastinum adhibebo diligentiam: id abs te dici

te dici scito, quòd nimirum uelis hodie impendens importunus, abiectus esse. Item, In potestate erit alterius ut me afficiat ægritudine animi, hodie excandescam, inuis debo; cōsidera quæ mala in te admittas. Sed cras, ais, melius habebo. Quanto melius si hodie quàm si cras coeperis? plus conducet si hodie incipias, ut id nimirum in crastinum quoque præstare possis, ac non in tertium quoque reijcias diem.

Ad eos qui sua facile produnt.

Cap. XIII.

SI quis simpliciter & candidè de suis rebus & negotiis differuisse uideatur, aliquo modo et nos adducimur, ut nostra quoque proferamus, quæ tacita potius habere conueniebat; & istud candoris ac simplicitatis esse arbitramur. Primum enim uidetur quod paria nō faciamus, si ei qui sua nobis aperuit, uicissim de nostris rebus nihil dixerimus, & quali reddiderimus. Deinde opinionem haud candidorum & simplicium hominū de nobis præbere censemus, si reticeamus nostra. Quinetiam sapienter huiusmodi utuntur oratione: Ego tibi omnia mea ostendi, tu uerò me celas de omnibus rebus tuis, ubinam id fieri solet: præterea quòd existimāt, tutò se alicui quidpiam credere, qui uicissim aliquid suæ quod cōmittabitur fidei acceperint, sic enim nobis persuademus futurū, ut à nobis audita nō efferat, dum scilicet metuat ne quando & nos enūciemus quæ ipse nobis narrarit de se. Hac ratione à militibus deprehenduntur Romæ inconsiderati & temerarij. Assedit quispiam tibi miles specie priuati hominis, ac maledicere Cæsari dum incipit, tanquam pignus quoddā fidei ipsius accipis, quòd primus ipse coepit conuicijs proscindere, ac propterea tu quoque quæ sentis, profers. Postea uinctus abduceris. Tale quid in uniuersum nos patimur. Proinde ut sua mihi tutò cōcredidit ille, ita ego mea quoque cuius obuiò credam.

At ego

At ego dum audio, nihil loquor, siquidem seruās sum fidei: at ille discedens narrat omnibus. Deinde si huic fuero similis, & persequi poenas ab illo cupiam, non reticeo ab ipso quoque quæ audita habuero, omninoque & confundo et confundo. Sin uerò meminero alium ab alio non affici posse damno, sed quemque à suo facto ledi ac iuari, istud nimirum assequor, ut ne quid simile committam, aut faciam quod is fecit qui me prodidit. At nihilominus poenas utilitatis meae pendo. Ita sane, uerū tamen inæquale est, si quis secreta à quopiam audiens, non uicissim eorundem participem ipsum faciat. Num te accersui bone uir? Non profecto passionibus quibusdā interpositis, ita mihi elocutus es tua, ut uicissim tibi mea expromerem. Quam utilis & garrulus tu sis, & quosuis obuios tibi amicos esse putes, num uis me quoque tibi similem fieri? Quid si mihi recte credidisti ea quæ ad te pertinebant, tibi autem non satis tuto credatur quidpiam, uis nihilominus ut prouideam: perinde re comparata, atque si doliū undique bene obturatum ego habeam, tu uerò ex omni parte pertusum, tu uerò accedens tuum uinum meo infundendum proponas, num propterea succenses, quod ego uicissim meum uinum infundendum tibi non exhibeam? Enim uero pertusum tu habes dolium, et sic quo pacto paria faciemus? Tu fideli commissisti, uerecundo, ei qui persuasum habeat sibi utiles aut damnosas duntaxat esse actiones suas proprias: externarum uerò rerum nihil. Vis ut par faciam ego tibi homini deditus concipienti arbitrio tuo, cupienti lucrum, aut imperium, aut in aula ad superiores ordines promotionem etiam necandi tibi tui essent liberi tanquam Medæ? Vbi uerò par mihi referes? proinde ostende te ipsum mihi fidelē, uerecundū, constantē, ostende opiniones dignas amicitia: ostende uas tuum non pertusum esse, et uidebis ut non ego operiar aut pestoler donec tu mihi consilia & restuas comunices, sed ipse

sed ipse ego ueniens ultro rogabo, ut mihi de meis narranti rebus aures præbeas. Quis enim est qui bono uti uasculo nolit? quis contemnit consiliarium beneuolum & fidelem? quis non sponte eum complectetur, qui tanquam sarcinam suorum casuum & periculorum simul gestare sit paratus, qua releuetur non nihil ipse, dum sit consors quispiam in sustinendo? Profecto sic res est comparata. Veruntamen ego tibi, tu uero mihi non credis. Quin tu ne mihi quidem credis, sed propterea dicis, quia continere te non potes, & inutilis es. Quod si ita est, mihi soli credito. Nunc uero cum es conspicatus aliquo otiosum, assidens ipsi narras: Frater, inquiens, neminem te habeo magis beneuolum mihi, aut amiciores: rogo audire de meis rebus dicentem uelis. Et id quidē apud eos facis, qui minime tibi sunt noti. At si tu mihi credideris, haud dubium, quin ut fideli & uerecundo credideris: non ob id, quia scilicet tibi quæ ad me attinent sum elocutus. Permite igitur mihi, ut idē ego quoque sentiam. Planum facito, eum qui alij sua protulerit, esse fidelem ideo, aut uerecundum. Nam si ita esset, obambulans ego undique, me uniuersis aperirem: nec reticerem de rebus meis quicquam, si hoc nomine essem fidelis & uerecundus. Res uero sic non habet: uerum opus est opinionibus & decretis, non utcumque in mentem uenientibus. Si quem ergo uideris studio rerum non uoluntariarum occupatum, & his subiiciētem suum arbitrium, scito hominem illum sexcentis obnoxium esse impulsoribus, itemque quibus prohibeatur. Huic opus non erit pice, aut rota, ut prodat quæ nouit, quum pusionis unius nutu, si ita accadat, concitari ad prodendum possit: nempe Cæsariani alicuius fauor, imperadi cupiditas, item expectatio hereditatis, hisque sexcenta alia consimilia. In uniuersum itaque id meminisse oportet, arcanos sermones requirere fidem, & rectis opinionibus imbutum animum. Sed ista ubi nam hodie quispiam intueniatur aut demon-

Z strecur

stretur quispiam, qui ita sit affectus, qui sic dicat: Mihi duntaxat, quæ mea, curæ sunt, quæ prohiberi non possunt, quæ natura sunt libera. Hæc mihi substantia est boni: cætera fiant prout permissum fuerit, non enim ut fiant laboro.

ARRIANI FINIS.

*hinc propositum est in rubrica
ante hunc librum.*

IA COBVS SCHEGKIVS

LECTORI S.



VERBORVM atque orationis Arriani sensum, quoad potui, sum interpretatus hac uersione: quam nihilominus rerum quarundam obscuritas & difficultas, quo minus aperta & perspicua sit, sic perplexam & impeditam facit, ut nihil egisse interpretando uideatur aliquis, si non rebus etiam explanandis operam aliquantulam impertiat. Quod ego in præsentia tamen si magis coner quam præstem, breuitate temporis impeditus: æqui bonique faciatis tamen id ipsum rogo. hac enim opera non gratiam à uobis inire, sed debitum pensum utcumque absoluerestatueraui. Plenissime id quidem doctissimus D. Io. Alexander Brassicanus olim, uaria & librorum supellectile, & summa eruditionis ingenique copia fretus, præstare potuisset: ac præstitisset etiam, nisi è medio cursu fati necessitas ipsam abripuisset: cuius ego propositum & uoluntatem sequi me etsi fatear, exequi tamen, aut assequi si me sperem, plane ineptus sim, & hac ipsa confidentia nimis arrogans & proteruius. Itaque sic habetote candidi Lectores, me maluisse uestra causa parum lucis, quam omnino nihil, ad intelligenda Arriani scriptorum quædam loca afferre in medium, non tam ut studium quam uoluntatem meam uobis probarem: quod uel hac qualicumque & mediocri quadam industria me consecuturum sum arbitratus, in qua magis conatus meus quam facultas inuandae communis studia appareat. Sed ad rem ipsam accingor, omisis excusationum deprecationumque ambagibus. Si quæ singulorum librorum

in

in capitibus singulis difficiliora inesse, quam ut à quolibet intelligantur, visa fuerint, annotatiunculis planiora faciā. nec explicabo, ut dicitur, ad amissum: sed attingam duntaxat loca, è quibus nonnullarum disputationum explicatio sit requirenda, præsertim si prolixa sit, & philosophica, quæ paucis tractari nequit.

ANNOTATA IN PRIMI
Libri CAP. I.

SI quæ sint facultates.) Quicquid in natura est, id opus exercere & ἐνεργεῖν, respectu alicuius quod extra se sit, dicitur. Atque id contagione corporum, naturalium præsertim, perspicuum est: itemq; actionibus animæ, quas ipsa non intra se, sed in corpore animato præstare soleat. Nec non mens quoque ipsa intendens se in aliud καὶ διὕστερον, opus suum exercet, ut est apud Aristotelem in tertio de Anima scriptū, itemq; in 12 Primæ philosophiæ libro, ubi sic scribit: ὅς τις ἦν τοῦ νοῦτος, διὕστερον καὶ τοῦ νοῦτος. Veruntamen proprium illud est facultatis mentis, ut non modò percipiendis alijs energieat præstet suam, sed ipsa quoq; semetipsam contemplari possit. nam ut ibidem inquit Aristoteles, αὐτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς καὶ τοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ νοεῖν, ita ut omnino idem sit hac in se quasi reflexa & reorta energia, id quod intelligit, & quod intelligitur. Nemo autem speret se intelligendis his parem, si non accuratè tertium de Anima librum Aristotelis perdidicerit. quare non rudibus illa, sed in philosophia exercitatis, breuiter commemoranda duximus. Perfectionissima hæc est & præstantissima mentis energia, qua ipsa semetipsam cognoscit. Quum enim melius nihil, aut diuinius sit mente, cui nam dubium, quin notitiæ quoque isti præferendum sit nihil, qua ipsa seipsam agnoscens apprehendit mens, ipsaq; sua energia intra se uertitur? Eminentia cognitionis hæc sapientia dicitur. Quod si foras eminens, regendæ uitæ atque actionum nostrarum gubernacula arripiat, intra se contemplans quod externis applicet rebus, proxima nimirum hæc erit à perfectionissima energia sapientiæ & cognitionis: prudentiæ & actionis scilicet energia, de qua hoc loco Arrianus loquitur. Penes hanc magistrum est iudicandi & discernendi omnia quæ in uita facimus, aut omittimus officiosè & laudabiliter: quod ipsum in rebus agendis uirtutem esse

dicimus, in iudicandis prudentiam, in applicatione rerum extra nos positarum iustitiam.

An uerò abnuis.) De Plautio Laterano sic scribit Cornelius Tacitus libro 15 Augustæ historiæ: Proximam necem, Plautij Laterani consulis designati Nero adiungit, adeo properè, ut non cõplecti liberos, non illud breue mortis arbitrium permetteret. Raptus in locum seruilibus supplicijs sepositum, manu Tatij tribuni trucidatur: plenus constantis silentij, nec tribuno obijciens eandem conscientiam.

Sic Thrasea solitus est loqui.) De Thrasea Pæto scribit Tacitus lib. 14, & Plinius Iunior in Epistolarũ lib. 3 ad nepotem suum: cuius uxor Arria, non minore uirtutis & fortitudinis celebratur fama, ut ex illo apud Martialem Epigrammate liquet:

Castâ suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de uisceribus traxerat illa suis:
Si quâ fides, uulnus quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

IN C A P. II.

Idipsum alijs cuipiam tam indignũ uidebitur.) Plutarchus in Apophtheg. Laconicis refert, puerum quendam Spartanum ab Antigono captum ac uenditum, paruisse quidem emptori in omnibus quæ non essent indecora ingenuis. Cæterum iussus afferre matulam, detrectauit obsequium, addens: Non seruiam. Surgente domino, puer: Senties inquit, quem emeris. simulq; conscenso tecto, se præcipitem dedit.

Ac idipsum Priscus quoq; Heluidius.) Innocentia & sanctitate uitæ facillè omnibus ætatis suæ superiorem fuisse Heluidium, prodit Historiæ. Hunc à Vespasiano occisum, missis percussoribus, scribit Suetonius. Plura de ipsius moribus ac ingenio reperies apud Tacitum, libro 20 historiæ Augustæ, ubi sic scribit: Ingenium illustre altioribus studijs, iuuenis admodum dedit: nõ ut pleriq; ut nomine magnifico segne otium uelaret, sed quo firmior aduersus fortuita rempub. capesceret: doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, nobilitatem cæteraq; extra animum neq; bonis neq; malis annuerant. Plura apud Tacitum, & sparsim quædam reperies apud Plinium in Epistolis.

Si quis

INCAP. V.

Si quis disputando se opponit.) Academici nihil sciri, aut certa
notitia comprehendere posse censent: quare ab omni assensu se cohibent
nec pro certo quicquam defendunt, sed pro & contra quamque rem
afferunt rationes, quas principijs rationum & demonstrationum si op-
ponant, hoc loco Epicetus ostendit signum non esse aut infirmitatis in-
genij illorum quibus contradicuntur, aut solertiae eorum qui contra dispu-
tant: sed ipsorum potius stuporis, qui non animadvertant, se & sibi & alijs
intelligentiae sensum eripere, sublati his principijs, per quae reliqua perci-
pi & cognosci soleant. Quare talem affectionem animi in contradicen-
do hoc loco appellat ἀπολιδωσις, Aristoteles in octavo Physicōw nomi-
nat ἀρρητιαν τῶ δυνάμει.

IN CAP. VI.

Quid dicam de sexu masculino & foemineo.) Causam
finientem in natura esse, ratione cuius τὸ θεῶν καὶ θεῶν particeps sit
natura rerum, multis in locis ostendit Aristoteles, praesertim in secundo
Physicῶν, & in quinto de Procreatione animalium, & in primo de Par-
tibus animalium. Caeterum in secundo de Procreatione animalium vo-
lumine, causam sexus differentiae non tantum ad necessitatem refert ma-
teriae, sed etiam ad providentiam divinam, ex qua dependeat finiens cau-
sa, καὶ τὸ θεῶν naturae rerum. Sic enim scribit : τὸ δὲ θεῶν καὶ ἀνθρώπων
ὅτι μὲν εἰσι ἀρχαὶ γένεως, ἐρήτοι περὶ τερον, καὶ τίς ἡ δυνάμις, καὶ
ὁ λόγος τῶν εἰσίων αὐτοῦ. ὅτι τίς ἡ γένεσις καὶ ἐστὶ τὸ θεῶν καὶ τὸ
ἀνθρώπων, ὡς μὲν οὖν ἀνάγκης καὶ τῆς πρώτης κινήσεως, καὶ ὁποῖος ὕλης
περὶ οὗτα δὲ φράζων τὸν λόγον, ὡς δὲ ἂν τὸ βέλτιον καὶ τὴν αἰτίαν,
πῶς ἐνεκα τινος ἀναδωρ ἀπὸ τῆς πρώτης ἔχει τὴν ἀρχήν. Et hoc
quid aliud est, quam divinitus sexus differentiam in naturam esse intro-
duci? quod ipsum in Oeconomicis his quoque expressit verbis : ὅτι
περὶ οὗτα δὲ φράζων τὸν λόγον, ὡς δὲ ἂν τὸ βέλτιον καὶ τὴν αἰτίαν,
πῶς ἐνεκα τινος ἀναδωρ ἀπὸ τῆς πρώτης ἔχει τὴν ἀρχήν.

Rationis uerò & intelligentiæ nostræ.) A mente ratio-
nes & notitiæ quæ applicantur, Græcè appellantur νοῦς, scholæ
nominant uniuersalia: quæ ut formari soleant opificio mentis, rerum sin-
gularum sensibus subministrantibus, ex Aristotele discendum. Hac enim
breui admonitiuncula res tanta explicari non potest.

Doctrina præceptorum illorū.) Syllogismos μετὰ τὴν ἴσιν
 ἴσιν interpretati sumus, quibus aliquis sentire aliud, quam antea senserit,
 adducitur, ac de priore opinione redarguitur, quam posuerit. Id ut arti-
 ficiose possit præstare quispiam, docent Dialectici: ut Aristoteles in
 octavo Topicorum. Epistimonicus eam, ut inquit Aristoteles, ἀμε-
 τὰ πᾶσι καὶ ἀμετὰ τοῖς ἐσθ' est. In hoc genere ac studio Dialecticæ,
 multum elaborarunt Stoici. In differentiis ἀξιωματικῶν secundū Stoi-
 cos numerat inter alias μετὰ τὴν ἴσιν quoque Laetius in vita Zenonis, his
 uerbis: καὶ δὲ καὶ εἰς τὴν ἀποφασίαν ἀξιωματικῶν, ὡς μετὰ τὴν ἴσιν αὐτῶν
 ἢ δὲ ἀντιθέσεων εἰς ψεύδην καὶ ἀντιθέσεων. Ceterum quoad sustinere,
 et quemadmodum propositum suum debeat aliquis in disputatione Dia-
 lecticæ, docet Aristoteles in eo quo dixi libro Topicorum, et recentio-
 res: sed horridiores atque incultiores in loquendo Dialectici, accommo-
 datē ad Stoicorum rationem tractant hanc methodum in libellis quos
 inscribunt de Obligationibus: sic enim appellant, ὅτι πᾶσα ἡ τοιαύτη
 περὶ ματαίαν πρὸς ἑαυτὸν ἐστίν. De his paucula quædam apud Gela-
 lium quoque reperies, et μετὰ τὴν ἴσιν Dialecticarum quædam exēpla.

Nimirum se rationibus suis adhibere uera.) Nam in ob-
 ligationibus disputationum Dialecticarum quod ponitur, aut affir-
 mari, tanquam uerum, aut negari, ut falsum, aut dubie poni, ut incertum,
 consuevit.

An potius parum consideratē me concessisse aliquid
 fatebor?) Ex concessis disputatio concluditur. Quæ uerò adhiben-
 tur ad disputandum, aut pro ueris conceduntur, aut pro falsis negantur,
 aut pro incertis et dubijs ponuntur. Ceterum qui respondet in disputa-
 tione Dialecticæ, et obligat sese interroganti, cautus et circumspēctus
 sit oportet, nequid committat quo redargui possit: quod nimirum artis
 est, et exercitationis, et attentionis. Molestē qui ferunt se capi dispu-
 tando, ac redargui, appellantur Græcè δυνολογῆσαι, de quibus Aristoteles
 sic scribit: δυνολογῆσαι τὰ πρῶτα μάλιστα συγχωρεῖται, ἐὰν μὴ πᾶν-
 τελὲς φαιερὸν ἢ τὸ συμβασιμολογῆσαι ἐπὶ τῆς αὐτῆς δὲ δυνολογῆσαι. ὁ-
 μοίως δὲ καὶ ὅσοι οἰοῦνται δεξιὰς εἶναι ἐν τῷ ἀποκρίνεσθαι. ὅσοι
 γὰρ τὰ πᾶσα, ἐπὶ τῆς αὐτῆς τῷ ἀποκρίνεσθαι, ὡς δὲ συμβασιμολογῆσαι ἐν τῇ
 καμῖαν.

καμλίαν. τὴν αἰσὶ δὲ προχέρας πεινύοντες τῇ ἡσέ, καὶ ὑπολαμβάνοντες
 ἄλλην πείσαν. Hanc Dialecticam in disputando garrulitatem Plato
 in Parmenide ἀδολειχίαν appellat. Laertius uero sic definit Dialecti-
 cos, ut hi sint, οἱ ποὺ πᾶσι πᾶσι τὰ λόγων τὸν ὁρῶν καὶ ἀποκρίνοντες.

Quum id non sit in concessis.) Ad data & concessa ante
 conclusionem cautè respondentū est respiciendum. Illud enim artis est, ut
 penitentiae non sit locus: sed occurrendum omnibus ante conclusio-
 nem, ne redarguamur. Præcepta sunt apud Aristotelem in octavo
 Topicorum.

IN CAP. XIX.

Age uero si extra Nicopolim sis.) De urbe hac, ubi sit, &
 a quo, & propter quam condita, sic scribit Suetonius: Quoq; Aetiacæ
 uictoriæ memoria celebratior & in posterum esset, urbem Nicopo-
 lim apud Aetium condidit Augustus, ludos que illic quinquennales
 constituit.

IN CAP. XX.

Quod si ipsa quoque scientia seu ars eiusdem speciei
 est.) Res uniuersæ dupliciter dicuntur esse. Aut enim sunt extra intelli-
 gentiam, aut sunt intra ipsam. Quoad sunt extra, aliud est quod intelligit,
 & aliud quod intelligitur: nec sunt idem specie, sed genere, quoad nimi-
 rum ambo sunt vountæ, & materia facultateq; quadam participant, unde
 communitas generis formari consuevit. In his uero quæ actu intel-
 liguntur, quum idem sint intelligens & quod intelligitur, ὁμοειδὴς sint
 oportet. nam lapis qui intelligitur, nihil aliud est quàm mens intelligens
 lapidem: propterea quod in uacantibus materia rebus idem est τὸ νοῦν
 καὶ νοῦς, ut inquit Aristoteles. At in his quæ sic sunt comparata,
 ipsum sese quidpiam potest apprehendere, contemplariq;: eaq; mentis
 simplicissima est energiea, qua ipsa seipsam contemplans agnoscit, qua cō-
 templatione perfectæ describitur sapientia. De his quæ plura uolet, le-
 gat Aristot. in tertio de Anima uolumine.

Collectio ex aliquo modo se habentibus uiris.) Col-
 ligi τὸ καὶ ὅλα per ἑμπερίαν καὶ μέμνην, docet Aristoteles in poste-
 rioribus

rioribus Analyticis. Ut autem notiones communes rebus singulis accom-
modare rite possit homo, prudentia assequitur: quæ licet circa singularia
uersetur, non tamen prout sentit illa, sed quoad intelligenter obseruat, in
his administrandis occupatur. Hac enim ratione nexa sunt singularia nõ
à sensu, sed à collectione τῆς κοινότητος: hac enim acie res singulas aspiciit
oculus prudentiæ. Non enim tantum colligit à singulis rebus suas no-
tiones mens nostra, sed etiam eas applicat per prudentiam. Et hoc ipsum
est quod dicit Arist. in Ethicis, ipsum vñ esse τὴν πρῶτον καὶ ἐχέον
ἐργον. Proinde Plato in Phædro, modum quo colligatur τῆς κοινότητος
in anima hominis, sic expressit: δ' αὖ γὰρ ἀνδρῶν πῶς ἑνέονται κατ' εἶδος
λεζόμενοι ἐν πολλῶν ἰὺν αἰσθήσεων, εἰς ἓν λόγον μὲν ἑνωμένοι.

Quinetiam proderit surripere ac suffurari ē balneo.)
Pro flagitiosissimis olim furtis sunt habita, quæ committebantur publi-
cis in locis: ut balneis, foro, gymnasijs. Causa apud Aristotelem est in
Problem. sectio. xxix. Problem. 14.

IN CAP. XXII.

Non ne cultus isti exhibentur, ut Veiouibus.) Vel ar-
cendis seu auerruncandis malis, uel impetrandis bonis, deos suos gentes
coluerunt: pro eo, ut hodie quoque sit apud quosdam, dum sanctos (ut
uocant) pro auertenda peste, aut febre, aut alia quapiam re mala preci-
bus interpellant. Græci auerruncatores ἀποτροπῶντες, salutem autem
cōferentes σωτῆρες appellant. ut apud Xenophontem libro tertio ἐμ-
νηκῶν: ἐν δὲ τῷ τῷ θύοντες καὶ τοῖς ἀποτροπῶντοισι καὶ τοῖς σωτῆσι.
Virgilius libro quarto Georg. — Si quem Numina læua sinunt. —

IN CAP. XXVII.

Quemadmodum excitetur sensus.) Num sentiamus, de-
inde quemadmodum sentiamus, non parem habet rationem dubitandi. De
priori enim Pyrrhonij stultè dubitant, de posteriore quæstione disputari
in utraq. partē potest. Nā & quod totū animal sentiat, & quod parte
certa sentiat, defendi potest. Quod enim sentit, totū est animal: quo uero
sentit, instrumenta sunt sensuum, & partes animalū, non totum animal.

ANNOTATA LIBRI SECVNDI.

IN CAP. V.

Quando uidelicet imitatus eos fueris, qui ludunt
talis.) Similis est apud Terentium sententia, quam inquit in
Adelphijs:

Adelphis: Ita est in uita hominum, atque si ludas tesseris. Prudentia enim fortuna omnis moderanda est. Nec dissimile huic est quod Plato in decimo de Republica monet his uerbis: *ὡςπερ ἐν πῶσει κύβων, πρὸς τὰ πεπρωκότα τίθεσθαι τὰ αὐτῷ πρῶγμαίᾳ, ὅταν ὁ λόγος αἰρεῖται βέλῳς ἢ ἐν ἔχειν.*

IN CAP. XV.

Adeò qui contumaciter.) Aristot. lib. 8 Ethicorū disputat, utrum pertineat ad essentiā constantiæ, in proposito permanere: quandoquidem uideatur in primis constantis esse proprium, ut sit *ἑμμενειακός*. Respondet: Non per se, sed propter rectam rationem, dici temperantem *ἑμμενειακόν*: Et hac ratione, secundum accidens constantiam sententiæ laudari, cui rationem καὶ θόλυ hanc subiungit: *ἔστι γὰρ τις τοδὶ ἀρετῆς τοδὶ αἰρεῖται, ἢ δυνάκει, καὶ αὐτὸ μὲν ἔστι δυνάκει καὶ αἰρεῖται, ἢ τὴ συμβεβηκός ἐστι τὸ πλεόντερον.*

ANNOTATA IN LIBRVM TERTIVM.

IN CAP. VI.

Neque enim facile est caseū hamo aculeato.) Apophthegmate tali usum Bionem quoque refert Laertius his uerbis: *ὁτι δὲ ῥόμβος ἐστὶ τὸ μὴ θεωρεῖσθαι μὲν ἀκόνιον, ὅχι οἷόν τε εἶπεν ἀπαλὸν τυφλὸν ἀγνύσσει ἐπαινωμένον.*

IN CAP. XI.

Et respiciens ad fratrem.) Sapienter et doctè Aratus, quem Virgilius etiam est imitatus, quum inquit: Iouis omnia plena. In libello qui inscribitur Aristoteli de Mundo, sic scriptum legitur, de cognominibus Iouis: *αἱ δὲ ὧν πολυνόμιός ἐστιν, καὶ νομομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν ἀπὸ αὐτοῦ νομομαζέσθαι γὰρ αὐτὸν ἐν ζῳῇ, καὶ δυνάμει, καὶ ἁπλῶς χρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν, ὥς κ' ἐν λέγειν δὲ ἐν ζῳῇ κρόνος δὲ καὶ χρόνος λέγεται, δυνάμει δὲ αἰὼν, ἀτέρμωνος δὲ ἑτέρον αἰὼνα ἀφ' ἑαυτοῦ ἐν βροτῇ, καὶ αἰθερί, ἐν αἰθερί, κερκύριος τε καὶ ἑτέρι, πολιεύς δὲ ἀπὸ τῶν πόλεων ὀνομάζεται. γυνήλιος καὶ ἑκατος, καὶ ὀμύγιος καὶ πάτριος, ἀπὸ τῶν πρὸς ταῦτα κοινῶν.* Reliqua, qui uolet, in libello hoc perlegat.

IN CAP. XV.

Cuiusque suscepti operis.) In aggrediendo magnam aliquam

A 4 rem

rem uti sumus cauti, admonemur etiam Evangelica parabola, qua proponitur nobis exemplum eorum qui edificando aut pugnando prius sumptus supputant, quam negotium aggrediantur. Et Plato lib. 10 de Republica, idem propemodum his expressit verbis: ἄχ' οἱ μὲν δ' ἐν οἷ τα καὶ ἀδικοὶ δ' ὄντοι, ὅπερ οἱ δ' ἐοικὼς, ὅσοι ἂν βίωσιν ἐν ἀπὸ τῶν καὶ τῶ, ἀπὸ δ' τῶ ἀνὰ μὴ. 3 μὲν πρῶτον ὁξίως ἀπὸ πικρῶσι, ταλὺ τῶντες δ' ἐκ τὰ γέλαστοι γίνονται, τὰ ὅτι ἐπὶ τῶ ὁμῶν ἔχοντες, καὶ ἀσεφάνωτοι ἔποτίζονται.

IN CAP. XXI.

Inspicite Ofellium.) Ofellus cum locupletiss. esset, et moderatam vitam ageret, subito proscripius, ferebat se non admodum sentire fortune mutationem, propter pristinam parsimoniam, cui assuevisset. De quo sic Horatius in Sermonibus:

2. Sermon. Quæ virtus, et quanta boni sit, vivere paruo,
Saty. 2. Non meus hic sermo est, sed quem præcepit Ofellus.

IN CAP. XXV.

Similis effugientibus coturnicibus.) Ortygos, seu coturnicis hanc naturam scribunt esse, ut dum se in speculo à venatore obiecto spectare gestit, suæ imaginem appetit, in prætensa incidat retia, capiaturq;. Quod si effugiat, et non decipiatur hac imagine, extra periculum esse. Idem nobis, oblati phantasijs faciendum, ut ad se mens conuersa, peccati occasionem et laqueum effugiat. Historiam huius animalis reperies apud Athenæum lib. 2. Dipnosoph.

IN CAP. XXVI.

Et tanquam is qui tesseram inueniat.) ἐκὼς ὄντων transluli, pro eo qui rem emi exhibito signo, aut tessera aliqua. Nā antiquitus munus ac libertate donatis emere publice frumenta permittebatur, exhibitae tessera: alioqui seruus emendi ius nullum erat, quod Persij uersiculo intelligitur etiam Satyr. 5.

Libertate opus est non hac, qua ut quisq; Velina

Publius emeruit scabrosum tessera far, Possidet, &c. —

Obiter hic monebo, et alia fuisse tum insignia, tum indicia missionis, ut pote pileum, uindictam, uertiginem, qua in gyrum uersabantur à domino. Hanc rationem libertatis eleganter ad philosophiam detorquet Persius Satyr. 5. Qui uolet, legat.

IN LIBRUM QUARTVM ANNOTATA.

IN CAP. I.

Socrates non calculum fert iuventibus Atheniensibus.) Xenophon libro primo ἱππικῶν scribit, duces Atheniensium, quum praelio navali commisso caesos atque interfectos non collegissent propter fluctus & tempestatem, adeoque solenni sepultura non humassent, factum fuisse decretum, ut omnes supremo afficerentur supplicio. Id iniquum visum Socrati cum fuisset, solus calculum, quo da mnaret eos suffragatione sua, ferre noluit. sic enim Xenophon scribit: οἱ δὲ πρὸ τοῦ φοβεῖσθαι, ὡμολόγησαν πάντες πρὸς αὐτὸν, πολλὸν σκαρδαῖος τῷ ἑσθρονίῳ. ἔτι δὲ ἐκ, ἐφικ, δὲ ἢ κατὰ νόμον ποιεῖσθαι. Idud in presentia vult intelligi Arrianus.

Num si proficiscerer in Thessaliam.) Verba sunt Socratis apud Platonē in Critone: ὅτι τὸν ἔαν μὲν εἰς θεσσαλίαν ἀποδημήσῃς, ἐπιμελλήσονται, ἔαν δὲ εἰς αὐτὸς ἀποδημήσῃς, ἐχὲν ἐπιμελλήσονται.

IN CAP. III.

Non Massurij aut Calsij legibus.) Celeberrimi isti fuerunt iurisconsulti, quorum de priore sic scribit Athenæus lib. 14. Διονυσίου τοῦ ὁμοῦ τοῦ πρὸς τὸν ἀριστὸς καὶ σοφός, καὶ γὰρ νόμων ἐκκλήσεις εἰδὼς δεύτερος. De Cassio apud Cor. Tacitum lib. 12. historiae Augustae scriptum reperies: Ea tempestate Cassius cæteros præeminebat peritia legum. Fuit sub Claudio & Nerone Imperatoribus. Proinde si lex est constans & perpetua voluntas, omnes nimirum leges, quantumvis pro temporum, locorum, hominumque ratione sint mutabiles, nisi ex ratione dependant immutabilis legis, pro legibus non sunt habendæ. propterea autem immutabilis est voluntas, quoniam dependet ex ratione perfecta, qua nihil est antiquius. Hanc apud deos esse, & in primis penes Iovem, Sophodes inquit in Antigona:

ὃ γὰρ τι νῦν γὰρ κ' ἀχθεῖς, δὲ αἰ ποτὶ
ἔτι τῶν τε, κ' εἰς οἷον ὅς τ' ὅς φάνη.

F I N I S.

A C = ARRIA-

ARRIANI CAPITVM

E L E N C H V S.

Libri primi.

1	DE his quæ sunt in potestate nostrâ, aut non sunt.	Pag. 30
2	Quo pacto suum decorum seruare quisq. possit in omni resu- scipiendâ.	33
3	Quoniam pacto hac opinione imbutus aliquis, Deum uidelicet esse pa- trem hominum, in omnibus deinde studijs uersetur.	37
4	De profectu.	38
5	Ad Academicos.	42
6	De prouidentia.	43
7	Quam utilitatem afferat cognitio redarguentium & hypotheticarum rationum, ac similium.	47
8	Quod uires & facultates non bene institutis non sint salutes.	51
9	Quoniam pacto a contēplatione cognitionis quæ est nobis cum Deo, rebus cæteris se quispiam accommodare debeat.	53
10	Ad eos qui Romæ, ut dignitate potiuntur aliqua, student.	57
11	De amore, quo afficiuntur aliquis erga suos: Græci φιλοστοργίαν ap- pellant.	58
12	De æquitate animi.	63
13	Quemadmodū omnibus in reb. erga deos pietas præstari possit.	66
14	An nomine diuino omnia conspici.	67
15	Quid polliceatur philosophia.	69
16	De prouidentia.	70
17	Necessariam esse artem Logicam.	72
18	Non exandescendum esse peccantibus.	75
19	Quomodo affectu erga tyrannos esse debeamus.	78
20	De ratione, ut ipsa sese contemplari possit.	80
21	Ad illos qui cupidi sunt admirationis.	83
22	De primis notitijs.	e ad.
23	Ad Epicurum.	85
24	Quomodo decertandum contra res aduersas.	86
25	Quæ ad eandem sententiam faciant.	88
26	Quæ sit regula uitæ.	92

Quot

E L E N C H V S.

- 27 Quot modis uideatur nobis aliquid, & cuiusmodi expedita admini-
cula nobis sint preparanda. 94
28 Quod stomachari aduersus homines non oporteat: præterea quæ
magna uideantur, itemq; parua inter homines. 96
29 De constantia. 100
30 Quid in promptu habere oporteat, quando periclitamur. 107

L I B R I I I.

- 1 **N**on pugnare inter se, animo confidere & cautum esse. 109
2 De tranquillitate. 113
3 Ad eos qui commendauerant nonnullos philosophis. 116
4 Ad eum qui fuerat deprehensus in adulterio. ead.
5 Quo pacto magnitudo animi & diligentia simul esse possint. 118
6 De indifferentia rerum. 121
7 Quomodo diuinationibus utendum. 124
8 Quæ substantia sit boni. 126
9 Quod nonnulli suscipiamus personam philosophi, cum interim non
præstemus quod hominis esse uideatur. 129
10 Officiorum ratio quemadmodum à uocabulis etiam sit petenda. 132
11 Quod principium sit philosophiæ. 135
12 De anxietate. 137
13 De differendo. 138
14 Ad Nasonem. 144
15 Ad eos qui contumaciter in eo quod semel statuerunt, perseverant. 148
16 Non meditata nobis esse illa, quibus ui conueniat rebus bonis ma-
lisq; discernendis. 150
17 Quomodo applicandæ sint notitiæ cōmunes singularibus rebus. 156
18 Vt sit certandum contra phantasias. 161
19 Ad eos qui philosophiā sectantur, dūtaxat propter disputationes. 165
20 Ad Epicureos & Academicos. 169
21 De confessione. 175
22 De amicitia. 178
23 De facultate differendi. 183
24 Ad quemdam quem non dignatus erat responso. 190
25 Artem Logicam esse necessariam. 193
26 Quid proprium sit peccati. 194

C A P I T V M

L I B R I I I I.

1	Delenocinio.	195
2	In quibus exerceri oporteat eū qui uelis proficere: & quod præstantissima quæq; negligamus.	201
3	Quæ materia sit boni, & ad quid præsertim nos exerceri conueniat.	204
4	Ad eum qui in theatro præposterè officiosus erat.	207
5	Ad eos qui propter morbum fingunt aliquid.	208
6	Miscellanea quædam.	210
7	Ad quendam ordinatorem liberarum ciuitatum, quum tamen esset Epicureus.	212
8	Quomodo pugnandum contra phantasiam.	216
9	Ad rhetorem quendam, qui Romam, iuri causam ageret apud iudices, proficiscebatur.	217
10	Quomodo oporteat ferre morbos.	220
11	Miscellanea quædam.	222
12	De exercitatione.	ead.
13	Quid desertio, & quid desertus.	225
14	Miscellanea quædam.	228
15	Singula aggrediendi esse circumspectè.	229
16	Quod cautè nos debeamus dare conuersationi.	231
17	De prouidentia.	233
18	Quod non oporteat allatis nuncijs perturbari.	234
19	Qui status indocti hominis, & philosophi.	235
20	Quod ex omnibus rebus utilitatem percipere liceat.	236
21	Ad eos qui faciles & promptos se exhibent ad argutandum.	238
22	De Cynicismo.	241
23	Ad eos qui recitant orationes generis demonstratiui, & eius in loquendo ac differendo etiam sunt studiosi.	255
24	Quod non oporteat perturbari animo in his quæ ad nos nihil pertinent.	261
25	Ad eos qui in proposito non perseuerant.	276
26	Ad eos qui egestatem metuntur.	278

L I B R I

E L E N C H V S.

LIBRI IIII.

1	D elibertate.	302
2	De conuersatione.	309
3	Quæ quibus nam sint permutanda.	311
4	Ad eos qui, ut in otio uiuant, dare operam solent.	312
5	Ad pugnaces & feros.	320
6	Ad eos qui, quod uideantur miserabiles, dolore afficiuntur.	325
7	De uacuitate timoris.	332
8	Ad eos qui celeriter ad personam philosophi profiliunt.	338
9	Ad eum qui impudens erat factus.	344
10	Quæ nam despicere oporteat, & quo cum sit contendendum.	347
11	De puritate.	351
12	De attentione.	356
13	Ad eos qui sua facile produnt.	359

F I N I S.

E R R A T A Q V A E D A M O B I T E R
animaduersa sic emendabis.

Pag. 54. in marg. *istis* *istis* 178. uers. 8. utiles esse 191. 28. bellicosiss.
penult. At ult. Agamemnone! 204. 31. accipiat 206. 22. dele primus
aliquid 231. 4. nunc sis 237. 26. dederis 244. 6. sin secus 242. 31. esse.
si 250. ult. obortam. duxit 255. 5. submoneat 265. 20. uas inutile 271.
3. Greciam 24. labores 272. 26. opponas 273. 16. mundus. nam &
in mundum es editus non cum ipse uoluisti, sed ei mundo fuit opus. Quæob.
257. 21. producere 279. antepen. syllogismoru. 281. 2. conficere 17.
